





JO. LAURENTII BERTI

FRATRIS EREMITÆ AUGUSTINIANI

THEOLOGI PRÆCLARISSIMI

LIBRORUM XXXVII.

DE

THEOLOGICIS DISCIPLINIS

ACCURATA SYNOPSIS,

QUAM

AD USUM SEMINARII AUXIMATIS

CONCINNAVIT,

Notis perpetuis, ac novis quibusdam Dissertationibus auxit, & in lucem nunc primum edit

F. HIERONYMUS MARIA BUZIUS

AUGUSTINIANUS

In eodem Seminario Sacræ Theologiæ Professor.

ACCEDUNT

De Locis Theologicis Libri X.

qui in Auctore desiderantur.

TOMUS II.

IN QUO DE PRIMI HOMINIS LAPSU, ET GRATIA REPARATORIS, TUM DE LEGIBUS, ATQUE HUMANIS OFFICIIS DISPUTATUR.



Cum Privilegio S. Cæs. Majest. & Approbat. Superiorum.

BAMBERGÆ ET WIRCEBURGI,

APUD TOBIAM GOEBHARDT, BIBLIOPOLAM UNIVERSITATIS A CELSISSIMO SPECIALITER PRIVILEGIATUM. MDCCLXX





DISPUTATIONES THEOLOGICÆ

DE PRIMI HOMINIS LAPSU, ET GRATIA REPARATORIS, TUM DE LEGIBUS, ATQUE HUMANIS OFFICIIS.

DEUM unum, & trinum, rerum omnium opificem, & conditorem ſuperiori volumine propoſita brevitate ſpectavimus: æquum eſt igitur, ut in ejus quoque imaginem (hominem ſcilicet) animum intendamus, quam primi Parentis labe miſere deturpatam unigenitus Dei Filius & pio cruore deterſit, & innumeris gratiarum donis cumulavit: legibus denique, ac virtutum officiis egregie formavit, ut, ubi abundavit delictum, ſuperabundaret & gratia. Quæ quidem omnia hoc altero volumine breviſſime expendere dum pro virili ſatagimus, illud dividere poſſumus in partes duas, quarum prior de primi hominis culpa, ac de gratia Chriſti verba faciet, altera de legibus, atque humanis officiis.

PARS PRIMA

De primi Hominis lapſu, & Gratia Reparatoris.

ADAMI labem, quæ propagatione peccati univerſum genus humanum infecit, & gratiam Chriſti, qua languor animi, & lacertoſa cupiditas, quæ etiam in renatis remanet ad agonem, opportune ſanatur, morbum ſcilicet, & medicinam, hac prima II. Voluminis parte complectimur libris ſeptem: quorum prior, ſervato auctoris ordine XIII. de originali peccato pertractabit. XIV. De erroribus circa gratiam Chriſti, & primo de Hæreſi Pelagiana. XV. De Hæreſi Semipelagiana. XVI. De Lutherana, & Calviniana. XVII. De Janſeniana. XVIII. De Gratiæ neceſſitate. XIX. De Juſtificatione, ac meritis.

LIBER XIII.

De originali peccato.

DUO quæremus hoc loco; primo quidem originalis peccati exiſtentiam, ſeu transfuſionem: ſecundo naturam, ac proprietates inveſtigabimus.

DISSERTATIO I.

Originalis peccati transfuſio, ſive exiſtentia demonſtratur. I. Ex ſacris litteris. II. Ex traditione, & Conciliorum auctoritate. III. Ex hujus vitæ miſeriis. IV. In filios etiam Baptizatorum originariam labem transfundi declaratur. Singula diſtinctis capitibus percenſebimus.

CAPUT I.

In quo exiſtentia, ſeu transfuſio originalis peccati ex ſacris litteris demonſtratur.

NOT. originalis peccati exiſtentiam, ſive transfuſionem negaſſe ſecundo Eccleſiæ ſæculo, 1. Gregales Carpocratis. 2. Origenem Pelagianiſmi aucto-

auctorem (1). 3. Pelagium. 4. Cæleſtium, & Julianum. 5. Theodorum Mopſueſtenum. 6. Armenos (2), Albenſes, & Beguinos. 7. Socinianos. 8. Denique Eraſmus ipſe ob ereptum Catholicis locum Ap. Rom. 5. hac de re male audiit, quamvis ſe ſe purgare conatus ſit (3).

Propositio I. Originalis peccati transfuſio, atque exiſtentia ex veteri Teſtamento demonſtratur.

(1) Quo ſenſu, & qua de cauſſa originale peccatum denegaverit Origenes, fuſe declarat Noriſius Præf. ad Hiſt. Pelag.

(2) Armenos ſaltem hodiernos peccatum originale agnoſcere ex eorum ritualibus demonſtrat Galanus T. 2. Conciliat. Eccleſiæ Armenæ cum Romana q. 3. §. 5., ubi miniſter Baptiſmi jubetur, ut *ter immergat infantem in aquam, ſepeliens peccatum antiquitatis*, ideſt originale, &, recitata forma, puero baptizato dicitur: *a peccati ſubjectinoe liberatus es*. Cum ergo Joannes Armenus Epiſcopus apud Armacanum l. 8. c. 11. pluribus oſtendere conabatur, Baptiſmum gratiam parvulis non conferre, (unde fortaſſe infert cl. Auctor, Armenos originalem culpam non agnoviſſe) ſed tantum adultis, qui credunt, id non eo conſilio feciſſe putandum eſt, ut colligitur ex orationis contextu, ut errorem confirmaret, ſed ut dubia quædam ſolvenda proponeret. Negant quidem Armeni nonnulli Baptiſmi neceſſitatem pro infantibus, ex Galano q. 4. §. 1., ſed hoc ideo negant, quia putant, eos ſola parentum fide ſalvari poſſe, non quia negant originale peccatum, ut ait Jo. Arm. ap. Armac. l. 8. c. 37. Certe P. Georgius Anteplyus monachus Armenus gentis ſuæ dogmatum peritiſſimus conſtanter pronunciat, nullos modo Armenos exiſtere, qui negent originale peccatum.

(3) Eraſmo adjungi poſſe videtur Auctor *Hiſtoriæ populi Dei*, ejuſque magiſter.

Prob. I. Gen. 17. habetur: *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illius de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit.* Atqui verba illa, *delebitur* &c. damnationem ſignificant, ſicut alia Geneſ. 25. exprimunt damnationem. Pactum quoque non fœdus cum Abrahamo initum, quod tenellus puer violare per ætatem non potuit, ſed pactum de ligno vetito debet intelligi; ergo &c.

Prob. min. ex Aug. de pecc. or. 30., ubi ait: *Quid enim mali parvulus propria voluntate commiſit, ut, alio non circumcidente, damnetur; ut pereat anima illius de populo ſuo? Neque temporalis mortis terror incuſſus eſt, cum de juſtis diceretur, & appoſitus eſt ad populum ſuum.* Et l. 3. contr. Julianum 18.: *Innocens natus quid meruerat, ut anima ejus periret, niſi circumciſio ſubveniret?* Ex quibus ſic arguitur. Puer incircumciſus delebatur de libro vitæ ob violatum Dei mandatum; ſed hoc de violata circumciſione nequit intelligi, cujus tranſgreſſionis incapax puer erat; ergo de ligni prohibitione, & originali culpa intelligitur.

Inſt. Grotius. Locus Geneſ. 17. non ſpectat ad pueros, & male additur ab aliquibus *die octava:* quæ verba in hebraico textu, & in vulgatæ lectione deſiderantur; ergo &c. Prob. ant. Nam in hebraico textu habetur loc. cit. זכר *zacàr*, ſed *zacàr* virum ſignificat ætate grandævum; ergo locus Geneſ. 17. male refertur ad pueros. R. neg. ant. Habentur enim verba illa in Græco textu, eamque lectionem, præter Aug., ſequuntur Ambroſius, Origenes, aliique vetuſtiores. In Hebraica autem, & vulgata ex verſu præcedenti, ubi dicitur: *Infans 8. dierum circumcidetur*, ſubintelligi per ſe notum eſt. Extant præterea in Samaritano textu, & in Polyglottis Waltonianis (1). Ad prob. diſt. min.

Zacar

(1) His adde Ægyptiacum textum ex apographo v. cl. Guillelmi Bonjour Ordinis Eremitarum S. Aug.

Zacar virum designat ætate grandævum in aliquibus scripturæ locis, conc., in omnibus, neg. Nam Exo. 13., Levit. 12., If. 66., & Jerem. 20. *zacar* de puero recens nato effertur. Quo sensu locum Gen. 17. accipit Aben-Ezra.

Inst. II. Alii. *Pactum* illud est pactum circumcisionis in puero violatum; ergo non est lex ab Adamo violata. Prob. ant. Nam Exo. 4. Angelus ob incircumcisum puerum Moysem voluit occidere; ergo &c. R. dist. ant. Est pactum violatum circumcisionis tamquam originalis peccati remedium, conc., tamquam Abrahamitici fœderis violatio, neg. *Si enim dixisset* scriptura, *quia hoc testamentum meum dissipavit, nonnisi de ista circumcisione intelligi cogeret. Nunc vero, quoniam non expressit cujusmodi testamentum parvulus dissipaverit, liberum est intelligere de illo testamento dictum, cujus dissipatio pertinere possit ad parvulum. Si autem quisquam hoc nonnisi de ista circumcisione dictum esse contendit, quod in ea testamentum Dei, qui non est circumcisus, dissipaverit parvulus, quærat locutionis aliquem modum, quo non absurde possit intelligi, ideo dissipasse testamentum, quia licet non ab illo, tamen in illo est dissipatum: verum sic quoque animadvertendum est, nulla in se negligentia sua juste interire incircumcisi animam pueri, nisi originalis obligatione peccati.* Hæc S. D. 16. de C. D. 27.

Inst. III. Illud *delebitur* &c. vel mortem corporis significat, vel temporalem hæreditatem, vel denique sortem filiorum Israel; ergo hæreditatem sanctorum non significat. R. I. neg. ant. Sicut enim *apponi ad populum suum* hæreditatem sanctorum, ita deleri de populo suo ejus privationem designat. Hinc in Hebraico, Chaldæo, & Samaritano habetur: *de populis suis.* Quod ex Drusio exclusionem innuit a cœtu sanctorum. R. II. Utcumque ea verba sumantur, urget semper Augustini argumentum: *Quid meruerat, ut periret* &c.? III. Probat S. P. Ex Cypriano, & Chrysostomo, circumcisionem

nem ſignum fuiſſe Baptiſmi, & originalis peccati remedium; ergo ſicuti non baptizati, ita incircumciſi excluduntur a regno cælorum.

Prob. II. Ex Job. 14. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine?* Ubi verſio 70. habet: *Quis enim mundus a ſorde? Nec unus, ſi & una dies vita ejus in terra.* Hinc Olympiodorus pag. 275. Catenæ Græcorum Patrum ait: *Ipſa hominis generatio ſine illuvie non exiſtit*, unde fit, ut infantes ad eluendam ſordem, quam ex Adami tranſgreſſione contraxerunt, baptizentur; ergo Job non de ſordibus pannorum intelligit (ut Fratres Poloni), quæ immundo ſemine non contrahuntur, ſed de ea ſorde, quam omnes contrahunt, quæque a ſolo Deo ablui poteſt.

Prob. III. Pſ. 50. habetur: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Atqui verba hæc de illicito complexu accipi nequeunt. Non enim de adulterio, ſed *de Jeſſe viro juſto, & conjuge ejus David natus erat*, ut ait ib. S. P., nec de Uriæ nece, aut adulterio Berſabeæ, quæ nullam habent cum ejus conceptione, niſi ratione fomitis, connexionem: neque de peccatis actualibus: habetur enim ibi *in peccatis* plurali numero, quia in originali tranſgreſſione reperiuntur plura peccata, ut notat S. P. 46. Ench. Superbia nempe, ſacrilegium, fornicatio, furtum, avaritia &c. Adde, in Hebræa, Chaldaica, Syriaca, & Arabica lectione haberi ſingulari numero: *in peccato;* ergo de originali peccato intelliguntur.

Opp. Ezech. 13. habetur: *Anima, quæ peccaverit, morietur, filius non portabit iniquitatem Patris:* ſed, ſi peccatum originale transfunderetur, filius portaret iniquitatem Patris; ergo non transfunditur. R. neg. min. Hæc enim *per Ezechielem promiſſio eſt novi Teſtamenti, ubi Deus ſecundum propria facta diſcernit*, ait S. P. 3. Imp. 38. Promittit enim ibi Deus, non ultra futurum hoc proverbium in Iſrael, *Patres noſtri comederunt, uvam acerbam, &*

dentes noſtri obſtupeſcunt; quippe regenerati parentum pœna non obſtringuntur, ſed perſonalium delictorum admiſſione. Reapſe proverbium illud non accipiebant Iſraelitæ de originali peccato, quod viſitat Deus nedum in tertiam & quartam, ſed etiam in mille generationes, ſed de ſolis actualibus. R. II. diſt. min. Filius portaret &c. niſi ei remiſſum foret originale peccatum, conc. ſecus, neg. Loquitur ergo Propheta de Iſraelitis pœnitentibus, quibus originale remiſſum erat, & de actuali, non de originali peccato.

Prop. II. Originalis peccati exiſtentia, ſive transfuſio ex Novo Teſtamento demonſtratur.

Prob. I. Ex Ap. Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, in quo omnes peccaverunt.* Et 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.* Vide de hoc loc. Lib. XII. c. 1. Nec dici poteſt, mortem regnaſſe in parvulos ob actualem imitationem prævaricationis Adam; parvuli enim ſunt hujus imitationis incapaces; ergo &c. II. Si de imitatione loquamur, peccatum non intravit per Adam, ſed primo per Angelum, deinde per Evam. III. Apoſtolus comparationem inſtituit inter Adam, & Chriſtum: ſed is eſt cauſſa reſurrectionis, non per imitationem tantum, ſed per veram participationem virtutis ſuæ; ergo &c.

Inſtat Jo. Clericus. Locus Ap. Rom. 5. ſpectat adultos, qui Adam imitantur; ergo &c. Probat ant. Eraſmus, qui pluribus exemplis oſtendit ἐπὶ nuſquam dativo jungi ad ſignificandum *In*; ergo illud ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον verti debet *eo quod*, non *in quo* (1) *omnes peccaverunt*, imitatione utique,

(1) Non nova eſt fallax Clerici interpretatio = *eo quod.* Julianus idem objecerat S. P. A. producto v. Pſ. *in quo corrigit adoleſcentior*, docens ibi *in quo* idem eſſe, ac *propter quod* &c. Verum S. D. eum egregie refutavit in libris Operis imperfecti.

que, non transfusione. Locus vero 1. Cor. 15. innuit, quod sicut Adam occidit omnes, qui eum imitantur; ita Christus vivificat omnes, qui eum sequuntur; ergo Apostolus non loquitur de peccato infantium, qui, cum sint de mortalibus geniti, moriuntur conditione naturæ, non pœna peccati.

R. neg. ant. Ad prob. neg. ant. Quidquid enim dicant Clericus, & Erasmus, ἐπὶ pro ἐν usurpatur Matth, 18. Rom. 4. Philipp. 1. ut Smidius observat Bibliorum pag. 1000. ubi etiam profert exempla Pindari, & Hesiodi. Porro *novum non est*, ait Beza (a), *ut* ἐπὶ *pro* ἐν, *accipiatur, quamvis repugnante Erasmo, ut Marc.* 24. *Hebr.* 9. 17. *& passim apud idoneos auctores, & cum* ἁμαρτία *Græcis sit fœminini generis, non potest relativum* quo *referri ad peccatum.* Addit, Erasmum vertere *eo quod* propter errorem, quem ex Origene arripuit. Idem docet Vossius (b), Grotius (c), & Waltonius in Polyglottis: ubi versio Arabica habet, *cum omnes jam peccaverint.* Accedunt ex eodem Vossio, præter Augustinum, auctor Homiliæ de Adamo & Eva, Theodoretus, Prosper, Sedulius, Faustus, Concilium Carthaginense, & Arausicanum. Ex quibus patet, quam temere Phereponus ea de re Augustinum dixerit *proletarium*, idest plebejum Apostoli interpretem. Verùm etsi daremus ἐπὶ ibi verti *eo quod*, nihil efficeret Clericus, sequeretur enim omnes mori, *eo quod* peccaverunt, sed infantes non peccaverunt *actualiter*; ergo originaliter peccavere. Vid. Lib. XII. c. 13. apud Auct.

Prob. II. Apost. 2. Corinth. 5. ait, *si unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt*: atqui hæc sententia omnes etiam parvulos comprehendit; ergo &c. Prob. min. ex Aug. 6. contra Jul. 4., ubi

(a) *In not. ad Novum Testam. p.* 405.
(b) *De Hær. Pel. l.* 2. (c) *In Ep. ad Rom.*

ubi ait: *Nega Chriſtum etiam pro parvulis mortuum, ut eos eximas de numero mortuorum, hoc eſt de contagio peccatorum. Si autem & pro iis mortuus eſt, ergo & ipſi mortui ſunt.* Ubi nota, Apoſtolum mortuorum nomine eos intelligere, qui in delictis mortui ſunt, ut docet S. P. loc. cit., & patet ex 2. Coloſſ. 13. *Et vos, cum mortui eſſetis in delictis, convivificabit:* & Hebr. 2. Chriſtus mortuus dicitur, ut *deſtrueret diabolum.*

Prob. III. Joan. 3. habetur: *Niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei:* atqui nemo baptizatur, niſi in remiſſionem peccatorum: ergo & parvuli peccatum habent. Min. probatur ab Auguſtino l. 6. contra Jul. 3., ubi ex Apoſtoli loco Rom. 6. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus,* hoc infert: *parvuli in Chriſto baptizantur; peccato ergo moriuntur. Cui peccato, quæſo te, niſi quod originale traxerunt?* Quoniam vero Pelagiani regnum cælorum ſecernebant a vita æterna, ita eos revincit S. P. 1. Chriſtus ait: *Qui non crediderit, condemnabitur,* ſed qui condemnatur, non eſt particeps vitæ æternæ; ergo ab ipſa excluditur non baptizatus. 2. Matth. 25. electis dicetur: *poſſidete regnum;* & 36. *ibunt juſti ad vitam æternam;* ergo idem eſt regnum, ac vita æterna. 3. Nemo niſi inſipiens vitam æternam excogitare poteſt extra ſocietatem Chriſti. Vide Auctorem, qui fuſius hoc argumentum pertractat.

Ob. I. Ap. Rom. 5. ait: *multo magis gratia Dei, & donum in gratia, in plures abundavit.* Atqui gratia, & *donum in gratia,* ideſt vivificatio per Chriſtum, non pertranſiit in omnes; ergo multo minus Adæ delictum. II. Ib. *Unius delicto multi mortui ſunt, & ſicut per inobedientiam unius peccatores conſtituti ſunt multi, ita per unius obedientiam juſti conſtituuntur multi;* ergo non omnes. III. Ib. v. 18. *Sicut per unius delictum in omnes in condemnationem, ita per unius juſtitiam in omnes*

in justificationem: & 1. Cor. 15. *sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*, sed non omnes vivificantur, aut justificantur; ergo a pari.

R. ad I. dist. ant. cum D. P. Aug. *Magis abundavit*, quoad copiam donorum, conc., quoad numerum filiorum Adæ, quorum plurimis gratia confertur, neg. *Multo magis abundavit*, ait S. P. 2. Op. imp. n. 85. *non in magis multos, idest non in plures. Quis enim non videt, plures esse in genere humano, in quos non abundavit? Ut ex pluribus ostenderetur, quid universæ massæ justo judicio deberetur.* Hinc Arabica versio habet *abundavit vehementer per gratiam uberrimam in* QUAMPLURIMOS. Græca habet: εἰς τὰς πολλὰς, *in multos*, ita etiam Syriaca, & Æthiopica. Itaque copia donorum gratia Dei abundavit, *quia omnes, qui per Christum liberantur, temporaliter propter Adam moriuntur: propter ipsum autem Christum sine fine victuri sunt*, ait S. P. ibidem.

R. ad II. dist. ant. Et ii multi, qui moriuntur, sunt omnes, conc. sunt aliqui tantum, neg. Licet enim aliquando *multi non omnes intelligantur, tamen, ubi dicuntur omnes, vereque sunt omnes, recte dicuntur & multi*, ait S. P. 2. Op. imp. 145. Nam omnes filii Adæ vere multi sunt, & quinque manus digiti non multi sunt, & tamen omnes, & omnes capilli multi promiscue, omnesque dicuntur, ita S. D. Hinc Genes. 17. 5. Abraham *pater multarum gentium* dicitur, quæ c. 22. 18. dicuntur *omnes gentes terræ. Multos* ergo scripsit Apostolus, ne putares, Adæ peccatum paucis nocuisse.

R. ad III. dist. maj. & ibi fit comparatio inter Adam, & Christum, conc. inter damnatos, & prædestinatos, neg. Ibi enim exprimitur caussa damnationis in Adam, & caussa vivificationis in Christo: *quia sicut sine Adam nullus ad mortem, ita sine*

ſine Chriſto nullus ad vitam. Ita S. P. l. 2. de Nupt. 27.

Ob. II.. Ex Apoſtolo *per unum hominem* peccatum intravit, ſed, ſi contraheretur per carnalem generationem, non intraſſet per unum, ſed per duos; ergo &c. R. neg. min. *Ideo enim*, ait S. P. 2. Imp. n. 83. *dictum eſt per unum hominem, non per duos, quia non a fœmina concipiente, ſed a viro ſeminante eſt generationis exordium, aut quia per coitum una fit caro.* Sic Hebr. 11. de Abrahæ poſteris dicitur, *ab uno orti ſunt.*

Ob. III. Rom. 4. 15. habetur, *ubi non eſt lex, nec prævaricatio*, ſed in pueris nulla eſt lex; ergo &c. 2. Cor. 5. *Ante Chriſti tribunal referet quiſque prout geſſit in corpore*, ſed pueri nil geſſerunt in corpore; ergo &c.

R. ad I. neg. min. In pueris enim eſt prævaricatio legis, quæ in Paradiſo lata eſt, per quam naſcitur homo cum lege peccati. Ad II. diſt. maj. Et hic locus ſpectat ad adultos, conc. ad pueros, ſubdiſt. *ut referat quiſque prout geſſit* per ſe, neg. per alios, conc. *Reportat* enim quiſque quod geſſit *cum per corda, & ora geſtantium, ſive credant, ſive non credant*, ait S. P. 6. contra Jul. 10. Sicut enim per alios bonum, ideſt Dei regnum, reportant etiam in Pelagiana ſententia, ita & malum reportare debent.

CAPUT II.

Originalis peccati transfuſio ex Patribus,, & Eccleſiæ auctoritate demonſtratur.

NOT. Originalis peccati transfuſionem priſcis inauditam, & ab Auguſtino confictam eſſe Pelagiani criminabantur, quibus l. 2. de Nupt. 12. reſpondet S. P. *Non ego finxi originale peccatum, quod catholica fides credidit antiquitus, ſed tu, qui negas, es novus hæreticus.* Sit ergo.

Propositio I. Ex ſcriptis priorum PP. oſtenditur originalis peccati transfuſio.

Prob.

Prob. I. Ex S. Ignatio martyre, qui ep. ad Trall. illud vocat, παλαιὰν δύσσεβειαν, *impietatem antiquam*. Dionysius Areop. 3. Hier. ait: *mortem esse ab Adæ peccato*. Justinus in Dial. ait: humanum genus *per Adam in morte concidisse, ut sicut unius inobedientia caussa est damnationis, ita Christi obedientia confert vitam*. Tatianus Or. contr. Gent. ait, nos *priscorum hominum inobedientia justitiam* amisisse. Idem ex Irenæo demonstrat S. P. contra Jul. 3. Origenem laudant Coccius, l' Herminier, Boucat &c., nos Pelagianis prælusisse censemus. Nazianzenus Or. 25. ad Arm. *Omnes sumus per peccatum mortui; ac per cœlestem Adamum saluti restituti*. Athanasius Or. 2. contr. Ar. scribit: *lapso Adamo in omnes peccatum dimanavit*. Basilium laudat S. P. hom. de Jejun. n. 18.

Prob. II. ex Chrys. quem Julianus, aliique temere Pelagianis accensent: at S. P. l. 1. contr. Jul. 6. locum Chrys. ad Olympiam laudat, ubi ait: *Adam omne genus humanum in commune damnavit*. Et ex homil. 10. ad Rom. roganti Judæo: *quomodo unius virtute mundus salvatus est?* R. *quomodo uno inobediente Adam mundus damnatus est*. Alia etiam profert S. P. ex Hom. de resurr. Lazari, ex 9. in Gen. &c.

R. Erasmus, Dallæus, aliique, Chrysost. velle, Adæ peccato corpora reddita esse mortalia, animas vero nihil detrimenti sensisse. Sed contra est: nam S. D. Hom. 11. ad Rom. ait: *una cum morte magnum etiam* (pravorum) *affectuum examen introisse* in animam, quæ proinde sine Dei gratia rueret in præceps, *ac si esset equus indomitus*, ut ait hom. 12. & 13. *Cum enim corpus mortale effectum est*, inquit, *tum necessario admisit concupiscentiam, & iracundiam &c. quæ magnæ sapientiæ indigebant, ne inundantis æstus vis rationem obrueret:* ergo &c.

Prob. III. ex Latinis Scriptoribus. I. Tertullianus l. de Testim. anim. c. 3. *Homo a primordio circumventus, ut præceptum Dei excederet, & propterea*

pterea in mortem datus, exinde totum genus de ſuo ſemine infectum ſuæ etiam damnationis traducem fecit. Eadem habet de An. 40. & in 1. c. Marc. II. Cyprianum laudat S. P. l. 1. cont. Jul. In 4. ad Bonif. & alibi. Hieronymus l. 3. contr. Pelag. ubi ait: *Infans ſecundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit.* Reticii Auguſtodunen. Epiſcopi, Olympii Hiſpani, & Hilarii Pictavienſis teſtimonia profert S. P. l. 1. contra Jul. Ex Ambroſ. l. 1. de Pœn. hæc refert: *Omnes ſub peccato naſcimur dicente David: ecce in iniquitatibus conceptus ſum.* Optatus Mil. l. 4. contra Parmen. *Omnis homo, qui naſcitur, ſine ſpiritu immundo eſſe non poteſt.* Hieronymus in 2. Mich. *Unusquiſque noſtrum cum Adam de paradiſo cecidit.* Et in 4. Jonæ: *Nullus enim abſque peccato, nec ſi unius diei fuerit vita ejus.* Prudentius in Apotheoſi *natura animæ malo peccamine Adæ infecit genus hominum:* ergo &c.

Prob. II. Originalis peccati transfuſio Eccleſiaſticis decretis oſtenditur.

Prob. I. ex decretis Rom. Pontificum. Ex Innocentii literis contra Pelagium: Ex Zoſimi reſcripto ad Africanum Concilium, cujus meminit Cæleſtinus, & S. P. ep. ad Opt. Bonifacium Auguſtini reſponſa contra Pelagium probaſſe, teſtatur Proſper contra Coll. 41. Cæleſtinus originis vitium agnoſcit. ep. ad Neſt. & alibi. Xyſtus III. hæc Baptiſterio inſcripſit: *Mergere peccator, iſto mundare lavacro, ſeu patrio premeris crimine, ſeu proprio.* Leo Magnus ep. ad Nicetam 86., & alibi docet, hominem, niſi baptizetur, Adæ peccato teneri. Idem ſcribunt Gelaſius ep. ad Piceni Epiſcopos, & Gregorius Magnus 4. Mor. & ep. 14. ad Narſem Comitem.

Prob. II. Sanctorum Conciliorum auctoritate. Nam Dioſpolitana Synodus 14. Epiſcoporum ann. 415. damnavit negantes originale peccatum, apud Aug. l. 1. contra Jul. & l. 2. de pecc. m. 8.

II. Idem ſanxit Concilium Carthaginenſe, & Milevitanum eodem anno 416. de quo idem S. P. ep. 94. ad Hil. III. Concilium Africæ plenarium anno 418. anathema dixit iis, qui ajunt, pueros *nihil ex Adam trahere originalis peccati*. Adde Epheſinam œcumenicam, quæ can. 4. & Arauſicanam, quæ can. 2. Cæleſtii doctrinam proſcripſit. Tandem Tridentina Synodus veritatem catholicam Seſſ. 5. conſecravit.

Ob. I. Juſtin. martyr quæſt. ad orth. 88. ait, Jobi ſententiam, *nemo mundus a ſorde* &c. ad parvulos non pertinere, ac de operibus deliberatis intelligi; ergo pueri ante uſum rationis ſunt ſordis expertes.

R. I. neg. ant. Auctor enim harum quæſtionum meminit Irenæi, Origenis, & Manichæorum, qui annis 130. poſt Juſtinum orti ſunt: utitur etiam vocibus *Triadis*, *Hypoſtaſeos &c.* Juſtino ignotis; ergo Juſtini fœtus non ſunt. R. II. diſt. ant. Ait ad pueros non pertinere ſordes, quæ contrahuntur ex propoſito, & libertate, conc. conceptione, & origine, neg. Nam originale peccatum aperte agnoſcit q. 102., ubi Chriſtum Adamo opponit.

Ob. II. Clemens Alexandrinus Julium, Caſſianum, alioſque Encratitas exagitans connubia damnantes, ex quibus polluta natura traducitur, negat 1. Strom., pueros Adæ peccato inquinari, dicens: ubi *fornicatus eſt infans, vel quomodo ſub Adæ cecidit execrationem, qui nihil eſt operatus?* 2. Ait locum Pſ. 50. *in peccatis concepit me mater mea*, ad ſolam Evam ſpectare, *& ſi in peccatis fuit conceptus, ſed non ipſe in peccato, neque ipſe peccatum;* ergo &c.

R. Miſſis reſponſionibus Bellarmini, Simoneti, l' Herminierii, & Voſſii apud Auctorem neg. ant. quoad utramque partem. Non enim Julius, Caſſianus, aliique Encratitæ a nuptiis abhorrebant ob originale peccatum catholice propugnatum, prout inhæret animæ recens creatæ, & ex carnis conſortio pollutæ contrahitur; ſed etiam quia cohærenter ad Tatiani, ac Valentini principia (a quo Encratitæ)

titæ) nuptias [a Deo malo institutas esse docebant, & seminarium libidinum, quibus anima in uno corpore fornicata in aliud transfunderetur continuis sordibus inquinanda. Ait ergo S. Clemens *ubi fornicatus est infans?* nempe ejus anima, antequam in hoc carcere clauderetur? quonam in corpore se se libidine maculaverat? *Quomodo sub Adæ cecidit execrationem?* Non ob anteacta flagitia, ut a Gnosticis edocti estis, nil enim boni malive antea perfecit. Ait quidem David se in peccatis a matre conceptum, sed hæc ad Evam referenda sunt, ex qua labes primigenia diffunditur, non ad Isai uxorem, ejusque damnatas nuptias, nec ad sceleſtam superioris vitæ consuetudinem. Conceptus est in peccato, sed ante in peccato non fuit. Hactenus cl. Auctor. Cæterum Clem. 1. Pæd. 6. & 4. Strom. aperte agnoscit originale peccatum.

Ob. III. Chrysostomus hom. ad Neoph. ait: *Infantes baptizamus, quamvis non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justitia &c.*: ergo &c. II. Hom. 10. ad Rom. locum Ap. *per unius inobedientiam &c.* sic solvit. *Illo peccante, & mortali effecto, & qui ex eo orti sunt, tales esse, nihil absurdum: at ex illius inobedientia alterum peccatorem extitisse, quam congruentiam habet? Quid igitur? verbum hoc peccatores significat? Mihi videtur significare supplicio obnoxii; quod Adam mortuo, omnes sunt mortales effecti;* ergo &c. III. Homil. 17. 1. Cor. ait: *nos minime ab Adæ delictum perire.* IV. Homil. 39. ait: *Non omnes in Adam morte peccati mortuos esse.* V. Homil. 24. ait: *per Adæ peccatum nobis esse corruptibile corpus, animam vero suo peccato post baptismum vitiari:* ergo &c.

R. ad I. cum Augustino l. 1. contra Jul. 6. dist, ant. Non sunt coinquinati peccato proprio, conc. alieno, neg. Habetur enim in Græco, *peccata non habentes. Intellige* PROPRIA, ait S. P., *& nulla erit contentio. At inquies, cur non ipse addidit* PROPRIA? *quia, vobis nondum litigantibus, securius loque-*

loquebatur. Quod etiam de aliis Patribus, qui Pelagianam hæresim præcessere, dici debet. R. II. Habet Basileensis & Parisiensis versio: *ut non sint coinquinati peccato*, quæ lectio cohæret scopo Chrysostomi, qui erat, contra nonnullos unicum Baptismi effectum agnoscentes, decem annumerare. *Vides*, inquit, *quot sunt Baptismi largitates. Multis videtur in peccati tantum remissione consistere, nos autem honores computavimus decem: Hac de caussa infantes baptizamus, ut non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas &c.* Hæc responsio nodos omnes solvit.

Ad II. dist. ant. Et ibi S. D. vult neminem peccatorem constitui per actualem Adæ inobedientiam, quasi peccatum originale sit ipsamet Adami culpa, conc.; non enim pueri actualiter, & proprie, sed originaliter peccarunt. Ita ut neget, originalem maculam ob eam inobedientiam in omnes transfundi, neg. Fatetur enim ib. *supplicio obnoxios esse, & mortis reos*; ergo in iis, uti pœnam, ita culpam agnoscit.

Ad III. dist. ant. *Minime perire &c.* proxime, conc. remote, neg. Loquitur enim Chrysost. de baptizatis, quibus Adæ supplicium, nempe mortalitas, non damnum tulit, sed lucrum; est enim frænum, quo a peccatis retrahimur. *Proxime* ergo ob actualia peccata perimus, remote ob originale, quod in nos *una cum morte etiam examen pravorum affectuum* invexit, *concupiscentiam*, *iracundiam &c.* quæ nos *in peccati voraginem mergunt.*

Ad IV. dist. ant. Non omnes mortuos esse morte perpetua, quam vitavit Abraham, Job. &c. conc., temporali, neg.

Ad V. neg. conf. Habetur enim in Græco: nobis esse corruptibile corpus, sed incorruptibilem animam. *Ne itaque & ipsam corrumpamus. Hoc primum peccatum fecit: quod est autem post lavacrum potest pariter animam corrumpere:* quibus verbis statuitur peccatum originale, non evertitur.

Ob.

Ob. IV. Nyſſenus pueros malitiæ cenſet expertes, anceps, an ſint judicio ſiſtendi. Baſilius ait, non eſſe malam naturam, quæ ſemine propagatur. III. Theodoretus ait, pueros peccatum nondum guſtaſſe; ergo &c.

R. ad I. diſt. ant. Et loquitur de baptizatis, conc. ſecus, neg. Anceps eſt autem de Judicio, quia Evangelium adultos commemorat, qui actualia opera fecerunt. Ceterum peccatum orig. in l. de vita Moyſis diſerte agnoſcit Nyſſenus. Ad II. R. cum Auguſt. l. I. contra Jul. Baſilium ſcribere *adverſus Manichæos putantes corpora eſſe immutabilia mala*, & a mala natura, *& Deo coæterna.* Ad III. diſt. ant. Nondum guſtaſſe peccata actualia, conc., originale, neg. Hoc enim agnoſcit expreſſe in c. 5. ep. Rom. Guſtantur autem actualia peccata, non originale.

Ob. V. Ex Latinis Patribus Tertullianum, qui l. de Bapt. *Quid feſtinat*, inquit, *innocens ætas ad remiſſionem peccatorum?* ergo &c. II. De Reſurr. 47. Adæ refert corporis mortem, non animæ reatum; ergo &c. III. Hilarius in ep. Pauli ait: *eſt mors ſecunda in Gehenna, quam non peccato Adæ patimur.* IV. Optatus Mil. ait: *non pertinuiſſe ad Seth filium Adæ patris admiſſum;* ergo non transfunditur in omnes.

R. Ad I. diſt. ant. Dicitur *innocens ætas*, eo quod nihil geſſerit actualiter, ut Jacob, & Eſau, conc. eo quod labe originali careant, neg. Ad II. R. agere Tertullianum contra Marcionem, qui mortuos reſurrecturos negabat; ait ergo, ſicut omnes moriuntur per Adam, ita omnes reſurgent per Chriſtum. Ad III. R. Cum S. P. A. plura ex Hilario producat contra Jul. l. I. c. 3. *Hunc virum tanta in Epiſcopis Catholicis laude præclarum de peccato originali criminari quis audeat?* Hilarius ergo auctor commentariorum in ep. Pauli non Pictavienſis, nec Arelatenſis, ſed Hilarius Diaconus Luciferianus, dictus a Hieronymo in dial. *Deucalion or-*

bis (1). Ad IV. dist. ant. Non pertinuisse actuale Adæ *admissum*, conc. originale, neg. Loquitur enim Optatus de traditoribus, adeoque de actualibus peccatis. Vide supra Ob. III. R. ad II. Cæterum Optatus de originalis peccati transfusione egregie sentit l. 4. contra Parm. ut supra dictum est.

CAPUT III.

Ex hujus vitæ miseriis originalis peccatis transfusio ostenditur.

NOT. Licet nonnulli Catholici censeant, potuisse Deum absolute hominem innocentem morti & miseriis subjicere; tamen, fide supposita, quod Deus condiderit hominem rectum, magnam vim habere hoc argumentum, conveniunt omnes. Sit itaque

PROPOSITIO. Ex vitæ miseriis probatur orig. peccatum.

Prob. I. pars l. 12. c. 13. ubi ostendimus mortem, concupiscentiam &c. non esse naturæ conditionem, sed pœnam peccati. Confirmatur can. 2. Arau-

(1) Demonstrant Patres Maurini Præf. t. 1. c. 3. de Hil. op. quæ exciderunt n. 27. neque ex Augustini, neque ex Hispalensis Synodi testimonio satis evinci, Hilarium in Pauli epistolas commentaria edidisse: sed tantum in operibus, quorum jacturam dolemus, quosdam ex iis locos exposuisse. Licet non concedamus Hilarium horum commentariorum auctorem esse Schismaticum Luciferianum, sed eum potius esse credimus Pelagii asseclam, atque eum ipsum, qui sub Ambrosii nomine circumfertur, & vulgo dicitur *Ambrosiaster*. Gaspar Juenin, qui t. 6. Inst. diss. 7. c. 4. hunc locum sibi opponit sub Ambrosii nomine R. commentarium illud non esse Ambrosii (nos Hilarii non esse dicimus) sed *fœtum esse hominis aperte Pelagiani.*

Arausic. Synodi, quæ ait: *injustitiam Deo dare, qui mortem, quæ est pœna peccati, sine peccato ad nos transiisse dicit.* Idem docent Patres Africani exules, Gelasius, Prosper, Auctor hypogn., Anselmus, aliique apud Noris. Vind. c. 3.

Prob. II. pars. I. Vel enim statum *puræ naturæ* credimus impossibilem, vel possibilem. Si primum: constat, miserias hasce pœnam esse peccati, ut docet S. Th. 4. contra Gent. 53. & S. P. contra Jul. l. 1. *Propter quod affliguntur parvuli, si nullum habent omnino peccatum? An omnipotens, & justus Deus injustas pœnas a tot innocentibus prohibere non potest?* Si secundum, dato etiam quod Deus nullo supernaturali beneficio rationalem creaturam exornasset, non tamen creasset, tot miseriis obnoxiam. Vel enim concupiscentia nulla esset, vel non tam lacertosa, qualem nunc sentiunt Adæ filii, quantam vix pecudes sentiunt. Quis enim credat voluisse Deum hominem condere brutis deteriorem? ergo ex concupiscentia recte probat S. P. originale peccatum. Idem de ignorantia dicendum est: cum enim creaturæ omnes in finem suum dirigantur, non esset homo adeo excæcatus in iis, quæ ad se spectant, & in quibus sæpe errat invitus. Quid? quod *parvulum spiritus vexat immundus*, ait S. P. l. 1. adv. Jul. c. 88. *animamque ejus, & corpus affligit; nec invenitis hujus mali meritum negantes originale peccatum.*

Prob. II. Ex ipso mortis horrore, quem cunctis experimur. Est enim frequenter mors tam sæva, immatura, teterrima, ut pœnam esse peccati natura ipsa proclamet. Hinc ululatus & lacrymæ in ipso vitæ nascentis exordio, quas nullus animantium fœtus emittit: *dispendia ergo, quæ nascentes flendo testantur, quo merito sub justissimo judice, si nullum peccatum attrahunt, irrogantur?* ait ibid. S. D. n. 113. Hinc Philosophi scripturarum lumine destituti originale peccatum non agnoscentes,

aut naturam, quasi novercam culparunt, quod esset in homines magis, quam in bestias iniquior, aut ob superioris vitæ peccata his calamitatibus subjici commenti sunt; ergo ex hujus vitæ calamitatibus originale peccatum ostenditur.

Ob. I. Cæcus natus, de quo Jo. 9. *neque peccavit ipse, neque parentes ejus;* ergo ex cæcitate non evincitur peccatum originale. II. Nec Christus, nec B. Virgo peccavit, & tamen morti uterque subjecti est; ergo a pari.

R. Ad I. cum Aug. l. 3. contr. Jul. 6. retorqueo argumentum. *De innumerabilibus parvulis, qui cum tanta vitiorum varietate nascuntur*, dici nequit, *quod Dominus ait de illo, qui cæcus natus est, non propter peccatum ipsius, vel parentum id esse factum, sed ut manifestentur opera Dei in illo; multi quippe non sanantur omnino;* ergo saltem illorum cæcitas effectus est originalis peccati. Vide de hoc argumento l. 12. diss. 1. c. 4. R. ad 3. Ad II. R. S. P. de Pecc. m. l. 1. 37. Ideo Adam *non talem* (idest infirmum) *creatum, quia nullius parentis præcedente peccato est creatus. Nos ideo tales, quia illius præcedente peccato, nati sumus in carne peccati: Christus ideo talis, quia, ut de peccato condemnaret peccatum, natus est in similitudinem carnis peccati.* B. V. autem, quamvis pie credatur a peccato præservata, nata est tamen ex carne vitiata, unde mors sequitur, licet anima non fuerit singulari privilegio inquinata.

Ob. II. A Deo bono produci nequit contaminata natura; ergo a diabolo producta est, sed hæc est hæresis Manichæorum: ergo &c. Nec dicas, Deum rectam condidisse naturam, sed ea Adæ peccato corrupta, carnis propagine contrahi peccatum. Nam anima non propagatur, sed corrupto corpori inseritur a Deo, qui ea de re est hujus caussa peccati. Cur enim eam vitiato corpori jungit sciens illam diaboli ancillam evasuram?

R. ne. conf. Non enim a diabolo, sed a Deo pro-

producta est humana natura, nec vitiata, sed recta; peccatum ergo non est ex institutione creatoris, sed ex Adæ prævaricatione. Nec opus est ad perdifficilem de animarum origine quæstionem confugere: nam, licet singulæ animæ a Deo creentur, contrahunt ex carne maculam originalem, *sicut aqua in vitiato vase corrumpitur.* Disposito autem corpore non debet Deus juxta universalem legem ab eo semel latam animorum creationem suspendere, adeoque nec hominum efformationem.

Ob. III. Julianus. In Catholicorum sententia nuptias damnari, si ex iis propagatur vitiata natura; ergo &c. II. Matth. 7. habetur: *A fructibus eorum &c.*; mala ergo est generatio, unde fructus ita noxius exoritur. R. neg. ant. *Nuptiæ* enim, ex Aug. c. 26. *institutæ sunt caussa generandi, non peccandi. Peccatum autem, quod inde a nascentibus trahitur, non ad nuptias pertinet, sed ad malum, quod accidit hominibus* &c. Non sunt ergo damnandæ nuptiæ, quarum finis bonus est, nempe naturæ conservatio: imo inde est bonus usus concupiscentiæ malæ, & cura filios recte procreandi. Ad II. R. S. P. ib. *Nihil valet similitudo illa evangelica, quia non sunt nuptiæ caussa peccati, sed peccatum hominis primi originalis est caussa peccati.*

Ob. IV. Parentes baptizati peccatum originale non habent; ergo non traducunt. R. neg. conf. Licet enim renatis concupiscentia remissa sit, nec aliquid noceat, nisi ejus motibus consentiatur, tamen *proles eorum, quia per carnalem concupiscentiam seminatur, sic inde reatum nascendo trahit, ut nisi renascendo liberari ab illa peste non possit.* Ait S. P. 2. de Nupt. c. 34.

Ob. V. Si Adæ culpa non peccantibus nocuit; ergo Christi justitia non credentibus profuit, sed falsum conf; ergo & ant.

R. neg. min. & retorqueo argumentum. Sicut enim in spiritali generatione opus non est propria

actuali fide in pueris, ut sancti fiant, & regni hæredes; ita nec requiritur actualis, ac propriæ voluntatis transgressio in carnali generatione, ut nascantur natura filii iræ. *Et sicut eos vitæ spiritus in Christo regenerat fideles, sic eos corpus mortis in Adam generat peccatores.*

Ob. VI. Non est peccatum, nisi voluntarium: sed originale non est parvulis voluntarium; ergo nullum. R. dist. min. Non est voluntarium parvulis *actualiter*, & voluntate propria, conc. *originaliter*, & voluntate Adæ, qui communem naturam infecit, neg. Hinc S. P. l. 4. Op. imp. ait, *libera voluntate* originale admissum, *non ejus propria, qui nascitur, sed ejus, in quo omnes originaliter fuerunt.*

Ob. VII. Hæc sententia Deum crudelem facit; ergo &c. Prob. ant. Nam innocenti creaturæ aliena peccata impingit &c. R. neg. ant. Ad prob. neg. ant. Non enim nos Deum crudelem & injustum facimus, sed Pelagiani, qui docent, a Deo innocentem creaturam tot ærumnis affligi. *Aliena* quidem sunt horum parvulorum peccata, *sed paterna sunt, ac jure seminationis & nostra sunt.*

Ob. VIII. Voluntarium est a principio intrinseco, sed Adæ voluntas est pueris extrinseca; ergo per eam peccatores fieri non possunt. 2. Peccatum est dictum, factum, concupitum contra legem, sed ad hæc ineptus est parvulus; ergo &c. 3. Nemo damnatur ex ignorantia invincibili, aut malefactis alienis; ergo &c. R. cum D. Th. 2. dist. 30. q. 2. a. 2. Quod *ad culpam personæ requiritur voluntas personæ, ad culpam vero naturæ, non requiritur, nisi voluntas in natura illa*; quæ ergo supra dicta sunt in solis actualibus peccatis actum personæ voluntarium demonstrant. Dum quæstio est de originali, sat est, quod fuerit voluntarium originaliter. Atque ita est factum concupitum &c., prout ex primi hominis voluntate manavit.

Ob·

Ob. IX. Non peccat genitor, nec genitus, nec creator; ergo per nullas rimas hoc peccatum in orbem ingreditur. R. cum S. P. Aug. l. priori Op. 24. neg. conſ. Intravit enim peccatum per Adam, qui communem naturam vitiavit, *rimam quæris, cum tibi oſtendat Apoſtolus apertiſſimam januam dicens: per unum hominem peccatum intravit &c.*

Ob. X. Julianus, ex catholica doctrina perfectionis deſperationem induci: nequit enim fieri, ut ingenita vitia extirpentur. R. Nihil eſſe impoſſibile gratiæ Dei, *qui ex origine vitiatam mutare poteſt, & ſanare naturam*, ait S. D. l. 2. contra Jul.

CAPUT IV.

De originalis peccati transfuſione in filios baptizatorum.

Cum fideles non gignant prout ſunt filii Dei, ſed ſicut ex olea gignitur oleaſter, aut ex tritico mundo frumentum cum paleis, etiam in filios SS. originale peccatum pervadit, ut ſupra oſtendimus contra Pelagianos. Novatores tamen filios baptizatorum cenſent ad hæreditatem novi fœderis pertinere, & ſolum tingi, ut tamquam membra in unum corpus coaleſcant. Ita Calvinus, Zuinglius, Bucerus, Beza contra quos ſit

Propositio. Etiam ad filios fidelium pervadit originale peccatum.

Prob. I. ex locis Script., quæ *ordinata lege* ad omnes Adæ poſteros, excepta B. V. referri debent. 2. Idem de aliis dici debet, quod de Davide a fidelibus & circumciſis parentibus exorto, ſed is ait: *in iniquitatibus conceptus ſum*; ergo & alii. 3. Apoſtolus ex Hebræorum genere ait de ſe, aliiſque: *Eramus natura filii iræ*; ergo &c. 4. Filii SS. per Novatores ſunt baptizandi, atqui baptizantur in remiſſionem peccatorum; ergo &c. 5. Pelagiani baptizabant parvulos, ne eos arcerent a regno cælorum; ergo Novatores ſunt iis deteriores, qui non

baptizatos ad hereditatem adſciſcunt. 6. Pueri fidelium exorcizantur ; ergo ſunt dæmonis mancipia. 7. Ex Calvino baptizantur filii fidelium, ut fiant eccleſiæ membra ; ergo ſine baptiſmate cum Chriſto capite regnare non poſſunt. *Regeneratus quippe*, ut docet S. P. de pecc. orig. 40. *non regenerat filios carnis*, *ſed generat*, *ac per hoc in eos*, *non quod regeneratus*, *ſed quod generatus eſt*, *trajicit.* Definita eſt hæc propoſitio a Trid. Syn. Seſſ. 5. can. 4.

Ob. I. Ap. Hebr. 7. 9. ait, Levi in lumbis Abrahæ decimatum poſtea natum decimas accepiſſe; ergo etiam filii fidelium, qui in fœmore Adæ prævaricatores putati ſunt, a patre fideli procreati a reatu ſoluti cenſentur. R. S. P. l. 2. de Pecc. mer. c. 25. neg. conſ. *Non enim Levi non fuit decimatus, quia jam fuerat decimatus in lumbis Abrahæ*, *ſed quia ſic ordinatus eſt honore ſacerdotii*, *ut acciperet decimas*, *non præberet* : *alioquin*, *nec alii fratres*, *decimarentur*, *quia & ipſi in lumbis Abrahæ jam decimati ſunt.* Comparat enim Apoſtolus ſacerdotium Leviticum Chriſti ſacerdotio, atque hoc illi præcellere oſtendit, quod Melchiſedech decimas accepit a Levi, non viciſſim.

Ob. II. Ap. Rom. 11. ait: *Quod ſi delibatio ſancta eſt*, *& maſſa*, *& ſi radix ſancta*, *& rami* ; ergo &c. R. neg. conſ. Alloquitur enim ibi Apoſtolus fideles e gentibus vocatos, ne ſe a Judæis converſis ſegregarent duplici comparatione. I. Oblatione primitiarum, qua facta cunctis frugibus veſci licebat, ergo regeneratione per baptiſmum facta, debent Judæi, & Gentiles mutuo verſari. II. Comparatione ramorum, qui debent eidem trunco adhærere; Judæi converſi erant rami arboris, Gentiles quaſi oleaſtri in olivam inſerti; non debent ergo ex arbore materna nec illi nec iſti defringi, ſed omnes caritate conjungi.

Ob. III. *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem &c.* 1. Cor. 7.; ergo &c. R. diſt. ant.

San-

Sanctificatus eſt &c. ſi baptizetur, conc., ſecus neg. Monet ibi Apoſtolus, ne ab altero conſentiente conjux fidelis abſcedat, (quod Corinthiis fœminis poſitum erat in more) ut ſimul cohabitando, unius ſanctitas alium reducat ad frugem. Quis enim *exiſtimet bonum etiam maritum non Chriſtianum, quia Chriſtiana fuerit uxor ejus, neque baptizari oportere, & in regnum cælorum eſſe intraturum, quia ſanctificatus dictus eſt in uxore?*

Ob. IV. Fideles deputantur in ſemen Abrahæ, ſed Deus promiſit, futurum ſe Deum Abrahæ, & ſeminis ejus; ergo &c. R. diſt. maj. Deputantur in ſemen Abrahæ ſecundum carnem, & ob generationem, neg., ſecundum fidem, & propter baptiſmum, conc. Nam Rom. 9. *qui ex fide ſunt, ii ſunt filii Abrahæ.* R. II. neg. min. Nam filii Abraham incircumciſi ex Geneſ. 5. ad æternum Dei fœdus non ſpectant; ergo nec ſpectant non baptizati.

DISSERTATIO II.

De eſſentia, ac pœnis Originalis peccati.

De hoc argumento quinque capitibus eo, qui ſequitur, ordine pertractabimus.

CAPUT I.

De eſſentia originalis peccati.

Peccatum originale malam eſſe ſubſtantiam putavit Illyricus: alii novatores in concupiſcentia conſtituunt. Ex catholicis Pighius & Catharinus cenſent ipſum eſſe Adæ peccatum. Alii privationem originalis juſtitiæ. Ariminenſis, Gabriel, Henricus eſſe putant concupiſcentiam cum reatu, ſeu vitium ex morbida qualitate contractum. Thomiſtæ ajunt, *materialiter* eſſe concupiſcentiam, *formaliter* privationem juſtitiæ. Cohæret hæc opinio cum Arimin. atque Noſtratum ſententia; eaque a Novatorum opinione longe abeſt. Quibus prænotatis ſit

Propositio I. Originale peccatum non est mala substantia.

Prob. I. Ex Aug. Ps. 68. ubi ait : *Iniquitas non est substantia : non enim est natura, quam fecit Deus, sed est perversitas quam fecit homo ;* ergo &c. II. docet Illyricus , hominis substantiam post Adæ lapsum *physice* perseverare, sed *theologice* fuisse mutatam, atqui mutatio theologica non est substantialis ; ergo &c. III. per baptismum deletur peccatum , non substantia ; ergo &c.

Ob. I. In homine imago Dei sita est in animæ substantia, sed Adam peccando divinam imaginem perdidit ; ergo & substantiam. R. dist. min. Perdidit quoad characterem & ornatum , conc., quoad intellectricem naturam, neg. *Adulterata est,* ait S. Cyrill. in 1. Jo., *illa similitudo Dei incursu peccati , nec jam characteres erant amplius clari, sed tenebris involuti.*

Ob. II. Gen. 8. Peccatum vocatur in hebraico textu *figmentum cordis malum.* Rom. 6. *Vetus homo*, & alibi *semen serpentis* , *Adam terrenus &c.* sed hæc substantiam significant ; ergo &c. R. dist. maj. vocatur metonymice, & ex effectibus, conc., vere, & proprie, neg. Sic *figmentum malis cordis* dicitur ob malas, quas ingerit, cogitationes : *vetus homo* nequitiam & concupiscentiam significat, sicut *novus homo* Rom. 12. novitatem sensus, & gratiam.

Ob. III. Quilibet ex originali culpa nascitur filius Diaboli ; ergo gignitur a mala substantia. R. dist. ant. Nascitur filius Diaboli, id est cum peccato, quo Diaboli mancipium redditur, conc., cum substantia, quæ a Diabolo generatur, neg. Tripliciter enim in scripturis filius dicitur ex Aug., natura, doctrina, imitatione : qui ergo peccat, duobus postremis modis filius Diaboli dicitur ; quo sensu Joan. 8. dicitur, *vos ex Patre diabolo estis :* infantes vero alio sensu filii diaboli sunt, nempe secundum legem peccati, cui natura ex Adæ transgressione adstringitur. Sicut per baptisma dicun-

tur

tur filii Dei, quia a lege peccati, & dæmonis potestate solvuntur.

Ob. IV. Potest Diabolus rationalem substantiam in deteriorem mutare, ut vinum in acetum, lac in caseum; ergo &c. Prob. ant. De facto mutavit tam difformem a lege Dei illam reddens, & ab ea quam Deus instituit; ergo &c. R. neg. ant. Spiritalis enim substantia non potest extrinsecis accidentibus corrumpi, ut vinum, & caseum, in quibus tamen non nova substantia, sed sola partium diversa intervenit dispositio. Vitiata ergo natura contraria est naturæ primitus institutæ, ut infirmus sano &c. quæ quidem est oppositio privativa, & per accidens. Hinc difformes legi dicimur, quia deest rectitudo justitiæ.

PROPOSITIO II. Peccatum originale non est ipsum Adami personale delictum.

Prob. I. ex Trid. Syn. can. 3. sess. 5. ubi statuit, peccatum originale *inesse unicuique proprium*: sed in Catharini sententia peccatum fuisset in Adam reipsa, in posteris vero per imputationem: ergo &c. II. Ex can. 5. Trid. deleri hoc peccatum non est solum non imputari; ergo contrahi non est solum imputari; III. ex Rom. 5. Adæ culpa in omnes pertransiit, sed non pertransiit actuale Adæ delictum, quod fuit actus immanens, & propria ejus transgressio; ergo &c. IV. Caussa differt aliqualiter ab effectu; sed Adæ culpa est caussa orig. peccati; ergo differt ab illo. V. Justitia Christi nobis vere inhæret, sed Apostolus ib. v. 18. & 19. eodem modo de peccato loquitur, ac de justitia; ergo &c.

Ob. Apostolus ib. v. 12. ait. *In quo omnes peccaverunt.* Et v. 19. *Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.* S. P. l. 2. de Pecc. mer. 6. *Peccato Adam tenentur obnoxii*; ergo &c. R. dist. ant. Et hæc loca de caussa efficiente accipi debent, conc., de ipso Adæ personali delicto, neg. Nemo quippe negat, orig. peccatum ex primi hominis

volun-

voluntate tamquam ex ſua cauſſa manaſſe, quod ex Apoſtoli & Auguſtini locis cit., aliiſque evincitur: ſed ex iis non colligitur, peccatores eſſe conſtitutos per ipſum Adæ perſonale delictum.

Propositio III. Peccatum originale eſt concupiſcentia cum reatu, ſeu vitium ex *morbida* qualitate contractum ab anima, cui ineſt reatus culpæ.

Not. Concupiſcentiam non eſſe ſenſitivum appetitum, ſed inordinationem potentiarum animæ, unde motus exurgunt rationi repugnantes, ut l. 12. dictum eſt. II. In illo peccato eſſe *materiam*, & *formam*, actionem nempe, & defectum rectitudinis. III. Originale peccatum eſſe natura ſua habituale, non actuale. In hoc enim tranſit materia, ſeu actio, puta ſuperſtitioſæ thurificationis, & remanet in anima crimen Idololatriæ. In habituali vero etiam ablato reatu remanet materia, ſeu prava quædam affectio, quæ ad pravos, & inordinatos actus inclinat, ut patet in ebrioſis. Ita S. P. l. 6. contra Jul. 18.

Prob. I. Ex Trid. Syn. decretis, quæ ſeſſ. 5. ſtatuit: *Tolli per baptiſmum totum id, quod veram peccati rationem habet: at manere in baptizatis concupiſcentiam, & fomitem.* Hanc concupiſcentiam peccatum dici ab Apoſtolo, non quod vere, & proprie in renatis peccatum ſit, *ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat*, quæ omnia docet S. P. l. 1. de Nupt. c. 26., atqui hæc ipſa eſt noſtra ſententia; ergo non adverſatur, ſed congruit Trid. decretis, & Aug. doctrinæ. Prob. min. Noſtra enim ſententia eſt, per baptiſmum deleri concupiſcentiæ reatum, remanere autem concupiſcentiam, quæ in renatis peccatum proprie non eſt, quia quod in peccato habituali habet rationem materiæ, ſoluto reatu remanet, ut patet in ebrioſis: quod non imputatur ad culpam, ſed ad malum inclinat, & ſi voluntas ex gratia reſiſtat, non peccat, ſed meretur; ergo Trid. congruit. Confirmatur. Nam in

Con-

Congregatione diei 21. Maji an. 1546. impugnata Trevirensis Episcopi sententia, qui peccatum statuebat in privatione originalis justitiæ, duæ aliæ sententiæ propugnatæ sunt, quarum prior, *inordinationem* facultatum arbitrio subditarum esse originalis culpæ materiam statuebat, perturbationem vero ipsius arbitrii relate ad Deum esse formam. Altera vero locabat originalis peccati naturam in debiti ordinis defectu, & propensione animi ad fluxa tamquam ejus materia: atqui nos utrumque complectimur; ergo &c.

Prob. II. Ex Aug. 2. de Pecc. mer. 4. *Concupiscentia in baptizatis a reatu solvitur, ad agonem relinquitur, ante agonem mortuos nulla damnatione persequitur.* Et lib. 6. contra Jul. 18. ait: *Concupiscentiam manere actu, & præterire reatu.* Et 1. Retr. 15. *Concupiscentiæ reatus in baptismate solvitur, sed infirmitas manet.* Ex quibus constat, concupiscentiæ reatum inesse ante baptismum, & a reatu solutam manere ad agonem; ergo &c.

Prob. III. ex D. Th. qui 1. 2. q. 82. art. 3. ait: *Privatio originalis justitiæ est formale in peccato originali, inordinatio virium animæ quæ concupiscentia appellatur quoddam materiale.* Ubi nota, S. Th. *quoddam materiale* concupiscentiam dixisse, non quod ad peccati naturam non spectet, ut perperam contendit Habert, sed quia nec corpus, nec substantia, nec materia proprie est.

Prob. IV. ex D. Bonaventura 2. sent. dist. 30. art. 2. *Dum quæritur, quid sit originale peccatum? Recte respondetur, quod sit concupiscentia immoderata: recte etiam respondetur, quod sit debitæ justitiæ carentia, & in una responsione clauditur alia, licet una notificet ipsum habituale peccatum ratione ejus, quod est in ipso habens modum conversionis, altera vero rationem privationis.* Dicitur autem hæc originalis peccati materia vitium ex *morbida qualitate* contractum, quia, ut ait S. P. 11. Gen. ad lit. 32. *corpus eorum* (protoparentum) *duxit morbidam,*

bidam, & pestiferam qualitatem, ex qua inficitur anima, eamque ex Juliani principiis, qui concupiscentiam, nec qualitatem esse objiciebat, nec de subjecto in alium migrare posse, ostendit, 1. *affectionalem* esse *qualitatem,* hæc enim definitur a Jul., quæ *ita inhærescit, ut magnis molitionibus, aut nullis omnino separetur,* sed talem esse concupiscentiam prob. S. P. ex Apost., qui adversus talem qualitatem clamat: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* 2. Hanc qualitatem non migrare de substantia in substantiam, sed transire aliam ejusdem generis *quodam operante contagio, sicut de parentibus morbidis, morbida soboles procreatur;* ergo recte concupiscentia dicitur cum Arimin. Vitium ex morbida qualitate: est enim prava quædam affectio, ut infirmitas est mala corporis habitudo, perturbatio humorum &c. Ex sola autem concupiscentia non constitui originalis culpæ naturam, sed hujus *formam,* sive, id quod reos constituit, esse privationem justitiæ originalis ex D. Th., & Bonav. probatum est. 3. Accedit theol. ratio. Peccatum enim ex Trid. est macula, injustitia, mors animæ: sed mors est vitæ privatio, injustitia, & macula carentia sanctitatis, & rectitudinis; ergo &c.

Ob. I. Per baptismum tollitur quidquid est vere, & proprie peccatum; sed concupiscentia remanet in renatis; ergo non est proprie peccatum. II. Si ea orig. peccati essentiam constituit, sequitur, hoc in renatis remanere quoad essentiam, quod Arimin. fateri coactus est dist. 30. III. Sequitur, concupiscentiam esse peccatum per se ipsam, ut ajunt hæretici ex verbis Apostoli: *non ego operor, sed quod habitat in me peccatum,* cum ex Trid. peccatum dicatur, quia ex *peccato est, & ad peccatum inclinat;* ergo &c.

R. ad I. Dist. min. Remanet in renatis actu, conc. reatu, neg. Ita S. P. supra laud. Solvitur autem a reatu per gratiam sanctificantem, qua tollitur

tur ab anima habitualis averſio a Deo, in qua ratio formalis peccati ſita eſt: remanet tamen actu, quia adhuc manet mala affectio, & languor animi, & *licet ſoluta reatus vinculo, manet in certamine*, ait S. P. l. 1. de pecc. mer. c. ult. Eodem modo diſt. conſ. Non eſt proprie peccatum in renatis, in quibus evacuatur caro peccati, ut ait S. P. & Trid. conc., in nondum regeneratis, quos concupiſcentia reatu & macula dehoneſtat, nego.

Ad II. R. neg. ſequelam. Non enim remanet eſſentia peccati in concupiſcentia ſublato reatu & macula, quod eſt *formale* peccati, licet remaneat *materiale* in ipſa concupiſcentia, ſicuti ablata figura non manet ſtatua, ſed lignum, & ablata anima non homo remanet, ſed cadaver. Quo plane ſenſu, ait Arimin., remanere in renatis *quantum ad eſſentiam* originale peccatum, nempe quantum ad actum ſeu materiale peccati, non quantum ad reatum ſeu *formale*. Recitata enim Auguſt. auctoritate l. 2. de Gr. 38. ubi ait, concupiſcentiam *renato ineſſe quidem, ſed non obeſſe*. Ait, *ipſam non eſſe in eo peccatum, ac per hoc* PROPRIE *loquendo de peccato, ſcilicet culpa, nec ipſe baptizatus habet orig. peccatum.* Immerito ergo ait l' Herminier (1), Ariminenen-

(1) Auctor diſſertationis Hiſtorico-Crit. de antiquis, noviſque Manichæis Romæ ed. ann. 1763. c. 14. nu. 70. hæc habet; *Bellarminus quidem ſententiam Petri Lombardi, Gregorii Arim. &c. improbat, & refellit, non quod ad Manichæos accedant, quæ Lutherana calumnia eſt, verum quia Lutheranis, & Calvinianis in eo ſibi videantur accedere, quod, ubi definiunt, quid ſit peccatum originale, cum concupiſcentia illud confundunt, quæ pœna eſt originalis peccati. Cum autem poſt baptiſmum in baptizatis adhuc adpugnam concupiſcentia maneat, his auctoribus* (nempe Gregorio, aliiſque) *videtur conſequi, peccatum ipſum ori-*

nenſem ad hæreticos acceſſiſſe, cum ipſe nuſquam diſceſſerit ab Aug. Ad III. neg. ant. Hæretici enim docent concupiſcentiam eſſe formaliter originale peccatum, idque in renatis remanere, nos vero cum Auguſtino concupiſcentiam in renatis ab ea diſtin-

---

originale in baptizatis quoque manere, quamvis ad culpam, & ad pœnam is non imputetur a Deo, quæ Lutheranorum ſententia eſt. Hactenus auctor diſſ. ſupra laud., qui ſane in pluribus lapſus eſt. I. enim falſiſſimum eſt, ſaltem Ariminenſem originale peccatum formaliter tale cum concupiſcentia confundere. Is enim in 2. diſt. 30. q. I. art. 2. ait, originale peccatum eſſe ipſam concupiſcentiam *cum reatu*, ſive vitium ex *morbida qualitate* contractum, quam ſententiam a Thomiſtica non differre, quæ docet, peccatum originale materialiter eſſe concupiſcentiam, formaliter vero privationem originalis juſtitiæ, demonſtrat hoc loco cl. auctor. II. Falſum eſt etiam ex materiali concupiſcentiæ, quæ remanet poſt baptiſma, *peccatum ipſum originale in baptizatis quoque manere*, Gregorio conſequi viſum eſſe &c. Numquam enim id noſtro Ariminenſi viſum eſt, qui non ita fuit miſer in ratiocinando, ut, ex quo remaneat in renatis concupiſcentia a reatu ſoluta, in iis originalem quoque noxam remanere contenderet. Ait quidem Arimin. remanere in renatis concupiſcentiam, *quantum ad eſſentiam*, ſed hoc nomine intelligere *materiale peccati*, ſive *morbidam qualitatem* ex ejus Catholicis p r i n c i p i i s ſupra monſtratum eſt. Falſum eſt III. concupiſcentiam, *quæ pœna* eſt originalis peccati ſub uno reſpectu, non poſſe ſub alio *materiale* eſſe originalis peccati. Si enim per D. Th. I. 2. q. 85. art. 5. ſubtractio originalis juſtitiæ, quæ habet rationem pœnæ, poteſt eſſe *formale* originalis peccati, a fortiori concupiſcentia, quæ pœna eſt, poterit *materiale* eſſe originalis peccati.

diſtinguimus, quæ in aliis invenitur: in iis enim *peccatum vocatur, non quia peccatum eſt, ſed quia peccato facta eſt, & peccatum, ſi vicerit, facit*, ait S. P. l. 1. de Nupt. c. 23. Fallitur ergo Vaſqueſius docens, Auguſtini ſententiam *favere* eorum errori, qui ajunt, originale *tegi non tolli, radi non eradicari*.

Dices. Concupiſcentia peccato facta eſt; ergo peccatum non conſtituit. II. Fieri poteſt, ut prætereunte actu, e. g. immolationis idolis, maneat reatus, & macula idololatriæ, ſed non econtra; ergo &c. R. ad I. Concupiſcentiam eſſe ſimul *pœnam peccati* relate ad Adæ prævaricationem, *peccatum* cum nondum ſoluta eſt a reatu, & *cauſſam peccati* dum trahit ad illicita. Sic habituale peccatum *pœna* eſt actualis peccati, *peccatum* ideſt averſio a Deo, & *cauſſa* peccati, quia ad alia peccata trahit, ut patet de vinolentia, & ſcortatione. Ad II. neg. conſ. Nam immolatio illa eſt *actuale* peccatum, cujus *materia* eſt actus *tranſiens*; peccatum vero orig. eſt *habituale*, cujus materia eſt *permanens* affectio prava; ergo *nullo modo*, ait S. P. contr. Jul. 6. 8. *ſimile eſt ſacrificium tranſiens manenti concupiſcentiæ*.

Ob. II. Orig. peccatum eſt idem in omnibus, ſed concupiſcentia eſt vehementior in uno, quam in alio; ergo &c. II. In anima ante baptiſmum ſejuncta a corpore ſunt omnia, quæ ad culpam originalem attinent, non tamen concupiſcentia, atqui in pura natura foret abſque ulla labe concupiſcentia; ergo ex ea non conflatur culpa originalis. R. diſt. maj. Eſt idem in omnibus quoad *formam*, ideſt reatum, & privationem juſtitiæ, conc., quoad *materiam* & actum, neg. Motus enim, qui rationi adverſatur non eſt æqualis in omnibus. Ad II. diſt. maj. In anima ſeparata non eſt concupiſcentia, ideſt libido carnis, conc. ideſt inordinatio voluntatis, & intellectus, & pugna utriuſque, neg. Porro in hac inordinatione, quæ animam corpori junctam

ad illicita trahit, concupiſcentiam ſtatuimus. Hæc autem, cum ſuapte natura mala ſit, in ſtatu puræ naturæ nulla eſſet.

Ob. III. Si reatus concupiſcentiæ eſſet privatio orig. juſtitiæ, vel per baptiſmum non tolleretur peccatum, cum nulli reſtituatur orig. integritas, vel per actuale peccatum, quo ſanctitas amittitur, iterum contraheretur originale, atqui falſum conſ. ergo & ant. R. neg. utramque ſequelam maj. Per baptiſmum enim redditur juſtitia prior, non quoad omnes dotes, ſed quoad primam, & maximam, nempe *gratiam ſanctificantem*, cujus privatio hominem peccatorem conſtituit. Nec ſequitur per actuale peccatum contrahi originale, nam privatio juſtitiæ in actuali peccato contrahitur propria voluntate peccantis, at in originali ob Adæ culpam, quæ *originaliter tantum* nobis voluntaria eſt.

CAPUT II.

De modo, quo originale peccatum ex Adam derivatur in poſteros.

Difficillima quæſtio hæc viſa eſt Auguſtino, unde objicienti Juliano hæretico, quomodo pueri abſque uſu ſuæ voluntatis culpam contrahant originalem, ait, l. 5. c. 3. *Aut utrumque vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero, tamquam in vitiato vaſe, corrumpitur; ubi occulta juſtitia divinæ legis includitur. Quid autem horum ſit verum libentius diſco, quam dico, ne audeam docere, quod neſcio.* Prior ratio innixa animorum propagini ſuſtineri nequit. Sit itaque

Prop. Contrahitur orig. culpa propagatione naturæ, quia concupiſcentia ſeminatur corpus, cui ex lege providentiæ anima inſeritur, quæ carnis conſortio vitiatur: & quia corpus præcontinebatur in lumbis Adæ, is communem naturam infecit, adeoque orig. peccatum eſt cuique proprium, & originaliter voluntarium, non quod voluntates

noſtræ

noſtræ contineantur in Adam, aut Deus cum eo pactum inierit.

Prob. I. pars. Nempe contrahi pecc. originale propagatione naturæ: ex Trid. Syn. ſeſſ. 6. 3. ubi ait. *Niſi ex ſemine Adam propagati naſcerentur, non naſcerentur injuſti; cum ea propagatione propriam injuſtitiam contrahant.* Et S. P. l. 3. de pecc. mer. 8. ait, peccatum orig. eſſe cuique proprium *carnali generatione, vel contagione propagationis*, ut ait l. 6. contra Jul. 12. Idem docet S. Thom. 1. 2. q. 81. Prob. II. pars, nempe ideo transfundi, quia generatio fit ſeminatrice concupiſcentia, ex Job. 14. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine?* Quæ verba exponens Innoc. III. ait: *Ex ſeminibus corruptis concipitur corpus corruptum, cui anima infuſa corrumpitur.* Hinc S. P. 2. pecc. m. 27. docet, filios baptizatorum peccato infici, quia gignuntur *ex illa manente concupiſcentiæ vetuſtate;* Chriſtum vero ab eo immunem fuiſſe, quia de Sp. S. conceptus *liber fuit a nexu ſeminatricis concupiſcentiæ.* Idem docet S. Thomas 1. 2. q. 82.

Prob. III. pars, nempe animam contrahere orig. culpam ex unione carnis vitiato ſemine procreatæ, I. ex verbis Jobi & Innoc. III. ſupr. laudatis. II. Ex Aug. l. 5. contra Jul., ubi docet, vel animam ex anima propagari, vel in corpore tamquam in vitiato vaſe corrumpi, ſed illud communiter rejicitur; ergo &c. III. Cum doceat S. P. orig. peccatum carnali generatione transfundi, neceſſe eſt, ut in animam tranſeat per carnem. Cumque Julianus objiceret, peccatum, cujus ſubjectum eſt anima, per corporis generationem traduci non poſſe, ut ex qualitate corporali pertranſeat in ſpiritum, R. S. P. ob arctiſſimam inter animam & corpus neceſſitudinem, etiam rerum corporalium qualitates in res incorporales tranſire, *ut formas corporum, quas videmus, haurimus, & in memoria recondimus;* ergo cenſet Aug. carnis vitium contagio quodam tranſire in prolem, & ex carne, *ubi occulta juſtitia*

divinæ legis includitur, contrahi ab anima labem originalem. Confirmatur I. Quia in fcript. peccatum dicitur, manere in carne, quia *ejus confortio animæ maculatur*, ait dift. 31. n. 4. Magifter. II. ex lege, & nexu carnis & fpiritus, quo fit, ut ex mala corporis affectione animus doleat, & viciffim. III. Pueri non inquinantur ex origine animæ, quæ a Deo creatur, neque ex operibus, quia nondum libere operantur, ergo ex carne. Ita Arim. Prob. IV. pars, nempe orig. peccatum effe fingulis proprium, & voluntarium, quatenus omnes feminaliter fuerunt in Adam, qui fua voluntate communem naturam vitiavit. Sequitur ex dictis. Nam orig. peccatum non eft proprium hujus perfonæ, nifi prout naturam recipit a primo parente, fed ideo recipit, quia præceffit *feminaliter* in lumbis ejus; ergo &c. Hinc Trid. Synod. loc. cit. ait. Nafcimur injufti, quia fumus ex Adæ femine propagati, quia nempe ex femore ejus egreffi.

Prob. II. ex Auguft. Enchir. 6. ubi ait, Adam *ftirpem fuam peccando in fe tamquam in radice vitiaffe.* Et l. 4. poftr. op. contra Jul. n. 75. ait, omnes in Adam peccaffe, *quia in lumbis Adam fuit genus humanum, quando perpetravit illud grande peccatum*, & n. 103. ait. *Secundum hanc originem feminalem, etiam Levi in lumbis patris Abraham fuiffe dicitur, quando a Melchifedech decimatus eft Abraham: unde & ipfe Levi tunc decimatus oftenditur, non in fe ipfo, fed in illo, in cujus fuit lumbis.*

Prob. III. ex D. Th. qui 1. 2. qu. 81. art. 1. docet, Adami culpam ideo in ejus filios tranfire, non quod ille fuerit morale caput pofterorum præcontinens voluntates, fed quia eft primus auctor, *qui movet motione generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur, & in quantum unufquifque recipit naturam a primo parente.* Profert S. D. exemplum peccati actualis per corporalia membra perpetrati, quod voluntarium non eft voluntate membro-

brorum, puta manus occidentis, ſed voluntate arbitrii, a quo membra ad illicita moventur. Sic originale peccatum univerſæ poſteritati Adam eſt proprium, quia is propria voluntate naturam communem vitiavit, & motu generationis, quæ ab eo habet originem primam, hæc natura in ſingulos homines vitiata traducitur. Quæ ratio D. Th. a Paſchali Epiſcopo Motulanenſi producta in Trid. congreſſu omnium plauſu excepta eſt, cum e contra opinio de capite morali, quam Joan. Fonſeca Stabienſis Epiſcopus illuſtrare conatus eſt exemplo regis, oppidum alicui concedentis ea lege, ut, ſi deſeiverit, eo ſpolietur ejus progenies univerſa, viſa eſt non ſatisfacere ex Pallav. l. 7. Conc. Trid. c. 8.

Prob. quinta pars, nimirum non transfundi originale peccatum in Adæ filios ob pactum illud, pro quo ſcholaſtici nonnulli decertant. Patet ex dictis. Nam 1. peccatum originale eſt cuique proprium ob ſolam ſeminalem originem; ergo pactum cum Adamo initum fictitium eſt. 2. Nullum extat in ſcript. vel apud Aug. hujus pacti veſtigium, ſed potius oppoſitum, ergo &c. 3. Originale peccatum dicitur peccatum naturæ, quia *naturaliter ſequitur*, ait D. P. Aug. 13. de C. D. 3. ob generationem ex ſemine Adæ: ergo non vi conventionis, & pacti. 4. Præceptum Adæ factum, quo violato *peccatum intravit* in mundum, fuit abſolutum. *Nam quid Deus opus habebat Adæ conſenſu?* ait Soto l. 1. de Nat. & gr. c. 20.; ergo fabuloſa eſt illa pactio. 5. Voluntas poſterorum nec phyſice, nec moraliter potuit in Adami voluntate præexiſtere. Non primum; non enim eorum voluntas erat, *quando nec ipſi adhuc erant*. Non ſecundum; non enim poterant propria electione voluntatem ſuam in Adami voluntatem transferre; ergo nullo modo. 6. Caput morale poteſt quidem lege, voto, aut pactione filiorum aut ſubditorum voluntatem obligare, itaut, ſi legem, pactum, aut votum frangant, peccent;

ſed hoc non ſat eſt, ut nati, ſubjectique teneantur illorum tranſgreſſionis reatui. Unde in Trid. conventu viſum eſt, hanc de capite morali ſententiam, pœnæ tranſmiſſionem ſalvare, non culpæ. 7. Sola conventio Chriſti cum Patre, ejuſque conſtitutio in caput morale Eccleſiæ nos non juſtificat, ſed gratia ſanctificante indigemus; ergo ſola pactione Dei cum Adamo, peccatores non conſtituimur, ſed per ſeminalem originem, corruptamque naturam; ergo peccatum originale non pactione transfunditur.

Ob. I. Si peccatum originale per ſeminalem originem traheretur, *caro Chriſti*, ait Jul. apud Aug. l. 5. c. 15., *qui de Maria natus eſt, cujus caro ex Adam fuerat propagata, nihil diſtat a carne peccati*, atqui falſum conſ. ergo & ant. R. Neg. ſequelam maj. *Licet enim Chriſtus ſit etiam ipſe ſemen Abrahæ, eo quod Virgo Maria, de qua carnem ſumpſit, ex ipſo ſemine propagata eſt, non tamen eſt obnoxius eidem ſemini, qui virili non eſt conceptus ex ſemine, liber a nexu ſeminatricis concupiſcentiæ.* Ita S. P. l. 4. ſupplem. c. 103.

Dices. Ex hac reſponſione ſequitur, B. Virginem, quæ virili ſemine, & concupiſcentia concepta eſt, ſine qua nec ſanctiſſimi conjuges gignunt, originalem labem traxiſſe; ergo &c. R. neg. ant. Prima enim virginis conceptio, quæ eſt carnis propagatio per ſemen, talis fuit, ut inde conſecuta eſſet originaria macula, niſi Deus ſpeciali gratia ſervaſſet animam Virginis, ne pollueretur corporis unione. Quare nec Virgo puriſſima a debito contrahendi originalem labem immunis fuit. Quod autem maculam ipſam peccati contraxerit, ob honorem Domini, & Virginis dignitatem, tum ob eccleſiæ decreta, & piam fidelium devotionem pronunciare nec audeo, nec debeo, neque vero poſſum. Qua noſtra aſſertione facilius Virginis privilegio conſulitur dicendo, veteres, quorum plures, ut Anſel-

Anſelmus, & D. Thom. (1), in oppoſitam abiere ſententiam, de conceptione ſeminis, & carnis propagatione locutos, ob quam Virgo Chriſti redemptione opus habuit, non qua anima peccati vinculo ſolveretur, ſed qua per corpus nullam traheret fœditatem.

Ob. II. Nec per ſemen, nec vi concupiſcentiæ originale peccatum traduci poteſt; ergo &c. Prob. ant. Non primum, quia in eo peccatum non eſt, non ſecundum, nam etiam ſine ardore libidinis filii gignerentur peccato inquinati; e contra in ſtatu innocentiæ fuiſſet ſine culpa filiorum procreatio. R. neg. ant. Ad prob. diſt. ant. In ſemine non eſt peccatum *formaliter*, conc. ant. *cauſſaliter*, neg. Concupiſcentia vero, quæ eſt tradux peccati, non eſt motus vel actus ipſe, ſed perturbatio virium & affectio perverſa, quæ in omnibus eadem eſt. Hæc autem in ſtatu innocentiæ ad nutum rationis fuiſſet. Vide ſuperioris cap. ob. 2. & l. 12. c. 11.

Ob. III. Pactum illud a Luthero, Calvino, & Janſenio fuit exploſum; ergo probandum eſt; II. Reges terræ in voluntate tutoris voluntatem filiorum includunt, & debita, ac vota parentum in filios pertranſeunt; ergo & Deus potuit in Adam voluntates includere poſterorum. III. Gen. 17. de puero incircumciſo dicitur: *pactum meum irritum fecit.* Et Oſ. 6. *Ipſi autem ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum;* ergo &c. R. ad I. diſt. ant. A Lu-

(1) Hanc piam fidelium ſententiam pluribus, iiſque graviſſimis D. Thomæ locis, atque argumentis illuſtrare, & communire conatus eſt nuperrimus ſcriptor cl. Camillus Blaſius Patricius Auximas, atque in Romana Curia magni nominis Advocatus in ſuis Epiſtolis Familiaribus, quas de Immac. B. Mariæ Virginis Conceptione Romæ vulgavit anno 1764., & præſertim Ep. 13. 18. 20. 21. 22. & 23.

thero &c. tantum, & injuſta de cauſſa, neg. etiam, & juſta de cauſſa conc. Conſtat enim ex dictis, pactum illud, nedum ab hæreticis, ſed etiam a Catholicis, Soto, aliiſque jure exploſum fuiſſe, cum originale peccatum traducatur concupiſcentiæ vehiculo ex Aug., Magiſtro, aliiſque non vi conventionis & pacti. Ad II. neg. conſ. & par. Voluntas enim pupillorum in tutoris voluntatem transfertur in ordine ad bonorum adminiſtrationem, quæ ſunt penes principis juriſdictionem; non poteſt tamen a principe pupillorum voluntas transferri in ordine ad peccandum, ut peccante tutore peccet pupillus. Sic peccante patre exulat etiam filius, quia exilium eſt filio conditio nativitatis, non proprii pœna peccati. Princeps enim poteſt damnare homicidam, non poteſt tamen efficere, ut filius habeat in ſe homicidii reatum, hoc ſolo, quod a patre homicida ſit genitus; hæc ergo exempla oſtendunt transfuſionem pœnæ, non culpæ.

Dices. Ex pœnis rebellis filiis a rege inflictis non evincitur eorum reatus; ergo neque ex miſeriis hujus vitæ originalis peccati transfuſio. R. neg. conſ. Licet enim hoc argumentum ad hanc quæſtionem non ſpectet, ſolvitur tamen ab Auguſt. Ep. ad Auxil. 250. corporalis enim pœna infligitur etiam iis, qui ejuſdem impietatis non fuerunt participes *ad terrorem viventium*, ſpiritalis vero pœna non poteſt ſine proprio crimine infligi, dicente Ezech. 18. *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur.* Viſitantur ergo quandoque a Deo peccata parentum in filios Exodi 20. temporalibus ſuppliciis, quia traxerunt ab Adam carnem peccati, non poſſunt autem puniri pœna ſpiritali, niſi peccatum trahant aut imitatione aut origine. Ad III. neg. conſ. Pactum enim ibidem eſt quodvis legis præceptum: Deus enim præcipiendo, quaſi de mercede, aut ſupplicio paciſcitur. Sic Lev. 26. legis præcepta pactum appellat. Quod ex cit. Oſ. loco probatur, ubi de Idololatris dicitur, *tranſgreſſi*

ſunt

sunt pactum, sed pactum ab Idololatris violatum est Dei lex; ergo Dei lex est pactum ab Adamo violatum.

Ob. IV. Absque pacto nequit intelligi quomodo Adæ peccatum sit proprium posterorum: ergo &c. Prob. ant. Horum voluntas non est ex Adam origine seminali; anima enim, unde voluntas, non traducitur per semen; ergo &c. R. neg. ant. Ad prob. neg. cons. Proprium est enim peccatum meæ voluntatis, quia voluntas per unionem corporis contrahit habitualem a Deo aversionem, non voluntate Dei creantis animam, sed Adami, a quo est primus motus generationis.

Ob. V. Si originale peccatum traheretur per semen, non solum Adæ peccatum, sed etiam proximorum parentum in nos transiret, sed falsum cons.; ergo & ant. R. neg. seq. maj. Neque enim ipsa Adæ transgressio in nos transit. Nam orig. peccatum non est ipsum Adæ peccatum, sed cuique proprium est. Prima enim transgressio caussa fuit orig. culpæ, neque ad eam pertinent Adæ peccata, aliorumque parentum, quia ob primum peccatum communis natura vitiata est, hancque seminali propagatione recipimus. Sic peccatum pertransiit per unum hominem, quatenus prima prævaricatio naturam communem vitiavit. Peccata reliqua, sive Adami, sive aliorum parentum non induxerunt in naturam tale vitium, sed invenerunt. Per hæc ergo jam manenti concupiscentiæ voluntas obtemperans non inficit naturam, sed ad hunc vel illum actum illicitum declinat, & cum prona sit ob vitiatam originem ad omne malum, reddit ad unum, aut alterum procliviorem. Nota hanc objectionem esse Juliani apud Aug. l. 6. Op. Imp. n. 21., nec dilui ab Augustino recurrendo ad pactum, sed ad effectum primi peccati.

CAPUT III.

An Christi crucifixorum peccatum fuerit in suo genere originale.

CENSUIT Bajus Prob. 52. *Omne scelus ejus esse conditionis, ut auctorem, & posteros eo modo inficere possit, quo prima transgressio:* sive quod Bajus putaverit, omnem pravum concupiscentiæ motum esse peccatum *formaliter*, sive quod nullum reatum agnoverit, præter obligationem ad pœnam, ab hac impia opinione quam longe absunt Aug. placita, ut sup. ostendimus. Sit itaque

PROP. Scelus Judæorum non est peccatum naturæ pervadens in posteros.

Prob. I. ex Ap. Rom. 5. *Judicium quidem ex uno in condemnationem;* ergo unum est peccatum orig., quod est caussa condemnationis posterorum, sed unum non esset, si etiam scelus Judæorum transiret in posteros; ergo &c.

Prob. II. ex Aug., qui in postr. op. contra Jul. l. 6. n. 21., hæretico objicienti, quod si Adæ peccatum natura fieret, talia etiam evaderent actualia; R. *Illud solum habere suam vim, & suum meritum singulare, quia potuit omnium nascentium in deterius mutare naturam.* Hoc vero potuit, quia ante illud peccatum *natura illa talis fuit, ut contra vitia sua nulla certaret*, sed ante Judæorum crimen erat in eis natura vitiata; ergo crimen illud non habuit *vim ac meritum singulare, ut omnes nascentes inficeret.* Vid. Ob. V. cap. 2. Deinde pœna originalis peccati singuli afficiuntur ex Augustino, nam *nullum hominem videmus a pœna laboris alienum; nullam parientium a suppliciis scimus immunem:* atqui velamen cordis, obduratio &c. non omnes Judæos afficiunt, sed eos tantum, qui imitantur majorum flagitia; hinc Act. 21. multa millia ex Judæis crediderunt, & Rom. 11. *Cæcitas ex parte contigit* in Israel; ergo scelus Judæorum non pervadit in posteros.

Ob.

Ob. I. Judæi, utpote ex Abrahæ ſemine, peculiare jus ad divinas promiſſiones habebant, unde Chriſtus Matth. 15. dicitur *miſſus ad oves Iſrael;* atqui poſt crucifixionem Domini hoc jure privati ſunt, ut conſtat ex Apoſtolorum prædicatione ad gentes, cum antea vetiti eſſent, ne in viam gentium abirent, ergo &c. Sed peccatum, quod privat non ſolum perſonam, ſed etiam progeniem aliquo bono, eſt peccatum naturæ; ergo Judæorum peccatum eſt naturæ.

R. diſt. maj. Judæi jus habent &c. ut filii Abrahæ *ſecundum carnem*, neg., *ſecundum ſpiritum*, conc. Ait enim Ap. Rom. 4. *Non enim per legem promiſſio Abrahæ, aut ſemini ejus, ſed per juſtitiam fidei.* Et S. P. Pſ. 148. *Quiſquis imitatus fuerit Abraham, filius eſt Abrahæ, quiſquis degeneraverit a fide Abraham, perdidit progeniem, Judæi degeneraverunt, perdiderunt.* Sic Chananæa, quæ filia Abrahæ non erat, cum nondum credebat, habuit per fidem, quod petiit. Et Zachæus Abrahæ filius *imitando fidem* ejus ſalvus factus eſt, non ob carnalem propagationem ex Abraham, alioquin Judæi omnes ſalvi facti eſſent. Item diſt. min. Judæi privati ſunt jure promiſſionum, quoad terram Chanaan, & temporalia, conc., quoad æternum Meſſiæ regnum, ſubdiſt., qui crucifixorum crimen imitantur, conc., omnes ex eorum ſemine propagati, neg. Nam poſt Chriſti mortem Judæis prædicatum eſt Evangelium, & Apoſtoli ad gentes converſi ſunt ob contradictionem Judæorum. Pariter diſt. conſ. Eſt peccatum naturæ, quod privat dono naturæ, e. g. originali juſtitia, & recto ordine, conc., quod privat dono perſonæ merito, ac fidei collato, ut promiſſio Abrahæ ab iis accipienda, qui ejus eſſent imitatores, neg. Ita D. Th. ib. Ait enim, peccata proximorum parentum non eſſe originalia, quia non auferunt *aliquo donum naturæ.*

Ob. II. Rom. 11. Judæi dicuntur inſerti olivæ, ideſt

ideſt Eccleſiæ *ſecundum naturam ;* ergo &c. R. neg. conſ. Judæi enim dicuntur olivæ rami naturales, quia naturaliter erant ex radice, ſeu Abrahæ genere, in quo ſervabatur Eccleſia: ſicut gentes erant oleaſtri, quia inter eos vigebat Idololatria. Sicut ergo Idololatria gentium non eſt peccatum originale, ſed actuale, ita benedictio Abrahæ ad eos ſpectat, qui ejus fidem imitantur: & ſicut gentes in bonam olivam inſertæ ſunt per gratiam fidei, ita rami naturales fracti ſunt *propter incredulitatem*, ait Apoſtolus ib. v. 20.

Ob. III. Judæi clamarunt: Matth. 27. *Sanguis ejus ſuper nos* &c., ideſt *culpa & pœna*, ait Gloſſa, *ſed perſeverat uſque hodie imprecatio*, ut ait Hieron.; ergo etiam *culpa & pœna*. R. diſt. maj. Clamaverunt excæcati, & neſcientes quid dicerent, conc., ita ut in filios *culpa & pœna* tranſire poſſet, ſubd. Pœna temporalis, conc., æterna, neg. Similiter diſt. min. Perſeverat imprecatio, ideſt temporalis pœna, & abominatio a Daniele prædicta, conc., æterna, ſubdiſt. Si majorum impietatem imitentur, conc., ſecus, neg. Solutio patet ex dictis.

Ob. IV. Scelus Judæorum a Jeremia 17. dicitur, *ſcriptum ſtylo ferreo in ungue adamantino ;* ergo traducitur in poſteros. Prob. ant. ex eorum pervicacia, qua perpauci fidem amplectuntur, aut continuo relabuntur; ſed hæc pœna culpam ſupponit; ergo &c. R. neg. conſ. Peccatum enim Judæorum ſcriptum dicitur *ſtylo ferreo*, quia per ipſum in perpetuam captivitatem ſunt deportati, & ubique diſperſi, quaſi inſignia deferunt ſuorum ſcelerum, ſed hoc non eſt culpam contrahere, ſed ſanguinis & natalium infamiam, ut filii rebellium abſque reatus macula habentur infames; ergo &c.

Dices cum Manſo: trahunt Judæi a parentibus etiam pravum habitum, cæcitatem, & pervicaciam; ergo & reatum. R. neg. conſ. Nam etiam filius ebrioſi &c. pravam affectionem contrahit parentis, ſed hæc prava affectio reatum in eo non efficit,

ficit, nisi voluntas ei præbeat assensum; nemo enim damnatur quod pravam dispositionem induerit lacte, vel semine. Judæi ergo, non secus ac alii, in filios affectiones malas trajiciunt; quæ tamen nocere non possunt, nisi volentibus. Qui volunt, ac pereunt, non sunt a massa perditionis discreti, qui vero discreti sunt velamen cordis abjiciunt, iisque, sive Judæi sint, sive Gentiles, *durum est contra stimulum calcitrare.*

CAPUT IV.

De pœnis, quæ in altera vita originali peccato respondent.

NOT. I. Pueros non regeneratos, excludi quidem a regno cælorum, sed frui quadam felicitate, ac vita perenni Pelagiani putarunt, teste Aug. Hær. 88. & alibi passim. Eosdem frui naturali beatitudine, & in terra post judicium moraturos, censent Catharinus, Pighius, & Sfondratus. Puniri pœna damni per exclusionem regni cælorum asserunt uno ore Catholici. Ex quibus non pauci nullum animi dolorem ex hac pœna illos experiri opinantur. Augustini sententia est, illos etiam pœna sensus, licet mitissima cruciari. Qua de re *tortores puerorum* a scholasticorum nonnullis Augustinianæ sententiæ assertores dicti sunt, quos tamen scholasticos stupendæ animositatis redarguit Florentius Conrius Tuamensis Archiepiscopus Ord. Min., eosque a penetrandis Augustini principiis remotissimos esse pronunciat.

Not. II. Sententiam nostram in Florentina Synodo definitam esse, arbitrari Petavium T. 1. Th. dogm. l. 9. & l' Herminier T. 6. p. 441. Edm. vero Simonet. S. J. fatetur, Latinos Patres post exortam hæresim Pelagianam communiter nostram tenuisse sententiam, licet oppositam post sæculum XII. amplexi fuerint scholastici ferme omnes. Cum enim Magister sent. scripsisset dist. 33. infantes nullam

ignis

ignis materialis, vel vermis conſcientiæ pœnam ſenſuros eſſe, qui in eum commentaria edidere Patrum opera haud data opera expendentes, Magiſtro ſubſcripſere, ut D. Th., Scotus, & Bonaventura, ob quorum auctoritatem abſit, ut huic opinioni erroris notam impingamus; ſed viciſſim jure poſcimus, ut a conviciis temperent adverſarii. Pro nobis enim major ſtat numerus, & auctoritas Patrum Latinorum, nec deſunt Scholaſticorum ſuffragia. Nam præter noſtrates, Ariminenſem nempe, Reylof, Moreau, Gavardi, Noriſium, Manſo, Girkem, Vanroy, Piette, Guerrero &c. ex exteris plures laudares poſſumus cum Noriſio Vind. c. 3. præſertim ex Scoti diſcipulis Joan. Poncium, Macedo, Conrium, alioſque. Silvius vero fatetur, ſententiam noſtram eſſe *tum ſcripturis, tum Patribus conformiorem.* Eſtius ait, a Fulgentio poni inter fidei regulas, licet neutra tamquam de fide tenenda ſit (1). Ex Sorbonicis pro nobis ſtant l' Herminier, Habert, Juenin. Sit itaque

PROP.

(1) Obſervat Noriſius loco cit., *antiquitus in Africana Eccleſia, in qua* 466. *Epiſcopi numerabantur, adeo certum fuiſſe, pueros ſine baptiſmo defunctos puniri in inferis pœna ſenſibili, ut id inter fidei dogmata relatum fuerit.* Hinc Paulus III. in Brevi: *Alias felicis recordationis* Clem. Pp. VII. dato Peruſiæ die 28. Septembris 1535. tamquam Catholicam, & Auguſtinianam probat hanc propoſitionem = *Pueri decedentes cum ſolo originali reatu damnantur ad æternos cruciatus ignis inferni.* Idem Paulus III. eamdem doctrinam tamquam Catholicam & Auguſtinianam probavit in Apologia; quam Auguſtinus Muſæus Tarviſinus Ord. Erem. S. Auguſtini Papæ & Cardinalibus exhibuit, idque duobus brevibus, quorum alterum Muſæo ipſi, aliud Senenſi Archiepiſcopo direxit. Extat utrumque in ArchivoVaticano, & in Archivo

Ange-

Prop. I. Pueri decedentes ſine baptiſmo ſupernaturali beatitudine non fruuntur.

De fide eſt contra Pelag. definita a Synodo Dioſpolitana, Carthaginenſi, Milevitana, Tridentina, & Florentina. Prob. I. Scripturis. Joan. 3. habetur: *niſi quis renatus fuerit &c. non poteſt videre regnum Dei*, quo teſtimonio falſi ſunt Pelagiani, teſte Aug., pueros non *propter ſalutem, & vitam æternam* baptizandos, *ſed propter regnum cælorum*. Atqui non ſolum a regno cælorum, ſed etiam a vita æterna excluduntur hi parvuli; ergo ſupernaturali beatitate non fruuntur. Prob. min. I. enim fictitia eſt diſtinctio inter regnum Dei, & vitam æternam. II. Joan. 3. habetur, *ut omnis, qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam;* qui ergo non habet fidem, a vita æterna excludetur. Hinc S. P. Serm. 14. de Verb. Ap. ait, *nos dicimus, aliter ſalutem, & vitam æternam non habituros, niſi baptizentur in Chriſto.* Accedunt Patres Concilii Carthaginenſis, & Milevitani, qui in Ep. ad Innoc. 90. hanc Pelagianam doctrinam proſcribunt, necnon Innocentius, & Gelaſius Romani Pontifices.

Prob. III. ratione. Beatitudo enim eſt Dei viſio in ſe, ſed pueri non baptizati non videbunt Deum in

Angelicæ bibliothecæ, ſed latuit utrumque Noriſium, licet eum non latuerit Muſæi apologia. Tandem ipſi etiam S. I. Theologi in ſuis Theſibus Romæ habitis anno elapſo 1766. ingenue fatentur, *ſententiam S. Auguſtini fuiſſe, quod pueri decedentes cum originali torqueantur pœna ignis per ambuſtionem æternam. Quamvis poſtea ſententiam SS. Thomæ, & Bonaventuræ cum communi ſcholaſticorum, eos non torqueri pœna ignis, aut alia pœna ſenſus, veriorem* exiſtiment. Sit ut lubet. Nobis plane ſat eſt, eam eſſe Auguſtini ſententiam, atque ut talem a Romanis Pontificibus, atque ab ipſius etiam doctiſſimis adverſariis cognitam eſſe.

in ſe; ergo &c. Not. A Pelagiana ſententia diſtat Gerſonis opinio docens, pueros nondum natos, ſi morituri ſint ante baptiſmum, & parentes aſſidue orent, & in votis habeant, ut baptizentur, baptiſmo Spiritus ſancti miſericorditer conſecrari. Huic opinioni ſuffragatur etiam Biel, & Cajetanus. Sed refellitur auctoritate Aug. qui l. 2. de Orig. An. 12. ait, neminem ſolvi ab originali peccato abſque baptiſmate. II. De iſtorum damnatione dubitandum non eſſe conſtat ex Ep. 1. Siricii, ex Conc. Africanis ſup. cit., ex Florent., & Trid. Vide Petavium l. 9. Th. Dog. c. 11. III. Si fide, ac voto parentum poſſent pueri interiori baptiſmate conſecrari, plures filii fidelium in utero matrum expiarentur, nec opus eſſet parvulos recens natos ob damnationis periculum ſacro fonte levari, ſed hoc praxi Eccleſiæ adverſatur, & novatoribus favet; ergo &c.

Propositio. II. Fictitia eſt naturalis beatitudo, quam pollicentur benigniores quidam renatis infantibus (1).

Prob.

(1) An hujuſmodi beatitudinem non renatis infantibus polliceantur laud. Theologi, qui Theſ. 3. hæc habent, *quamvis concedatur, quod cum cognitione; & amore Dei naturæ auctoris, alia naturalia bona animæ & corporis ii pueri habituri ſint in hoc mundo poſt generalem innovationem, tamen ea bona adeo contemptibilia ſunt præ iis, quæ præparavit Deus diligentibus ſe, ut pueri illis in pœnam privati nullo tolerabili ſenſu dici poſſint beati, ſed filii iræ, participes diaboli &c.* noſtrum non eſt definire. Illud non eſt prætereundum, bona hæc naturalia longe contemptibiliora eſſe iis, *quæ præparavit Deus diligentibus ſe; nulloque tolerabili ſenſu pueros hoſce aut eſſe, aut dici poſſe beatos*, beatitate nimirum ſupernaturali per ſolum baptiſmum obtinenda Pelagianos quoque affirmaſſe.

Prob. I. Hæc aſſertio nullum habet in ſcripturis, aut Patribus fundamentum, imo iis adverſatur. II. Inter damnationem, & regnum cælorum nullus eſt *medius locus* ex Aug. de orig. Anim. 9., ſed beatitudo naturalis eſſet medius locus, quem *non baptizatis parvulis* hæreſis Pelagiana promiſit; ergo &c. III. Hi parvuli non eſſent a miſeriis immunes, ut infra oſtendemus, ſed beatitudo cum miſeria ſtare non poteſt; ergo &c. IV. Ii ſunt ſub dæmonis poteſtate; ergo beati non ſunt. V. Hanc naturalem beatitudinem parvulis promittebant Pelagiani, ut ſentit Eſtius, Petavius, l' Herminier, Noriſius, aliique. Pelagiani enim duo vitæ genera diſtinguebant, nempe ἀναμαρτησίαν, ſive *impeccantiam*, quam ſine peccato vitam degens congruentem felicitatem aſſequeretur, & adoptionem filiorum, ad quos ſpectat regnum cælorum, ſed Pelagiani excludebant pueros non baptizatos a regno cælorum; ergo iis naturalem felicitatem tribuebant. VI. Fatebantur Pelagiani, eis non deberi vitam æternam, ſed quandam felicitatem; ergo naturalem.

Prop. III. Parvuli cum originali decedentes dolore aliquo afficiuntur.

maſſe. Quare attributa illa, *filii iræ*, *participes diaboli &c.*, niſi *negative* ſumantur, quatenus pueri illi non ſunt filii adoptionis & gratiæ, & Chriſti participes, neque in feliciſſimo beatitudinis ſtatu locati, quo ſenſu nec Pelagiani rejiciunt, ſed *poſitive* accipiantur, prout pœnam important vindicis iræ Dei, partem habere cum diabolo, & ſenſu affici damnationis, aperte pugnant cum ea naturali beatitudine, quæ in hac Theſi conjuncta dicitur cum amore & fruitione Dei Auctoris naturæ. Repugnat enim participes eſſe diaboli, qui ſunt Dei creatoris eorum animos & corpora beantis participes. Hæc autem cum obſervamus, opinionem noſtram producimus, catholicorum placita minime cenſura notamus.

Prob. I. Pueri ob originale peccatum nascuntur filii iræ, vindictæ, gehennæ ex D. Thom. lect. 1.; ergo iram, vindictam, & gehennam patiuntur. II. Arcentur a regno cælorum, sed hoc est maximum supplicium ex Basilio, & Chrysost.; ergo dolore afficiuntur. III. Concil. Florent. sess. ult. statuit, *eos, qui in mortali, vel originali decedunt, in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendos*; ergo &c.

Prob. II. ex Aug. Ench. c. 112. *Perire a regno Dei tam grandis est pœna, ut ei nulla possint tormenta comparari*: quia vero Pelagiani respondebant, parvulos hac pœna non cruciari, ita hanc responsionem S. D. expungit. *Si hoc eis non erit malum, non ergo amabunt regnum Dei innocentes imagines Dei, si autem amabunt, nihil ne mali de hac separatione patientur?* Et serm. 249. *Si non desiderat regnum cælorum, pœna est de perversitate, si desiderat, pœna est de fraudata charitate.* Tandem de peccato mortali ait, parvulos futuros *in damnatione mitissima*, sed talis non est pœna damni, cui nulla tormenta possunt comparari; ergo mitissima pœna est, quia minus premit, & cruciat.

Prob. III. ratione. 1. Pueri Deum appetunt, quem assequi non possunt; ergo cruciantur. 2. Exulant a patria, & sub dæmonis potestate versantur; ergo &c. 3. Vero & proprio peccato sunt obstricti; ergo vere & proprie torquentur. 4. Nulla ratio est, cur non sint excruciandi. Non quod sint innocentes, iisque provideat Deus, ne quid iis accidat triste; sunt enim vasa iræ in interitum: nec quia ignorant regnum illud, nam illud amant, & cupiunt; ergo &c.

Propositio IV. Pueri cum originali decedentes puniuntur pœna sensus, licet mitissima in comparatione adultorum.

Prob. I. Matth. 3. habetur: *Congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Idem habet c. 13. v. 25. *Tunc dicet his,* qui

qui a ſiniſtris erunt, Diſcedite maledicti in ignem æternum. Apoc. 20. *Qui non eſt inventus in libro vitæ, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* Ex quibus ſic arguitur. Parvuli non renati non ſunt triticum, non oves, non ſcripti in libro vitæ; ergo &c. Unde S. P. Serm. 14. de Verb. Ap. 3. *Nullus relictus eſt medius locus, ubi ponere queas infantes, qui non in dextra, proculdubio in ſiniſtra; ergo qui non in regnum, in ignem æternum.*

R. Adverſarii I. Parvulos non eſſe a Chriſto judicandos. Sed hoc repugnat Evangelio Matth. 25. *Congregabuntur ante eum omnes gentes.* Et c. 13. exponens Chriſtus parabolam ait, *Ager eſt mundus: bonum ſemen ſunt filii regni, zizania filii ſunt nequam;* ergo omnes, qui in agro mundi naſcuntur, ſive triticum, ſive zizania in die meſſis ſunt colligendi, & in horreo, ſive in igne locandi. II. Concilium Africanum, & Gelaſius Ep. ad Pic. hos parvulos collocat in ſiniſtra, idque S. P. Ep. ad Vitalem ſtatuit inter fidei regulas. III. Chriſtus ex Jo. 5. accepit a Patre judicandi poteſtatem, *quia filius hominis eſt,* ideſt prout eſt omnium redemptor, ſed omnes redemit Chriſtus; ergo &c.

R. II. alii, parvulos judicandos, ſed non igne damnandos. Sed contra. Vel enim in dextra erunt, vel in ſiniſtra; ergo vel in regnum ibunt, vel in ignem. Ajunt: Ibunt, ſed non cremabuntur. Falſum. Nam *ibunt in ſupplicium æternum ad comburendum,* ubi Græc. habet εἰς κόλασιν αἰώνιον *in cruciatum ſempiternum.* Et S. P. A. l. 1. de Fid. 15. *Nec dici poteſt ignem æternum dictum, non combuſtionem æternam, cum Dominus ſententiam ſuam concluſerit dicens, & ibunt illi in combuſtionem æternam; erit ergo æterna combuſtio ſicut ignis.*

Prob. II. Ex Apoc. 20. ubi habetur: *Beatus, qui habet partem in reſurrectione prima: in his ſecunda mors non habet poteſtatem;* atqui parvuli non renati non habent partem in reſurrectione prima, ſive in animarum beatitudine; ergo in iis ſecunda

mors habet poteſtatem. Sed *mors ſecunda* ibid. eſt *in ſtagnum ignis*; ergo parvuli non renati erunt igne cruciandi. Ita S. P. Serm. 162. *Mors ſecunda eſt corporis & animæ punitio ſempiterna. Utraque ergo mors omnem hominem tenebat obſtrictum; quia naturæ tranſgreſſio unumquemque peccatis propagat obnoxium*; atqui pueri non renati ſunt orig. peccato obnoxii; ergo utraque morte, corporis nempe, & animæ punitione ſempiterna tenentur obſtricti.

Prob. III. ex PP. Auguſtinus de Don. Perſ. 12. *Abſit*, inquit, *ut eſſe nobis dicamus incertum, utrum in Chriſto regenerati, ſi moriantur parvuli, tranſeant in æternam ſalutem, non regenerati autem in mortem ſecundam.* Et Serm. 14. de Verb. Ap. ad Chriſti verba: *Ite in ignem æternum*, ait: *Ecce expoſuit tibi, quid ſit regnum, & quid ignis æternus, ut quando confiteris, parvulum non futurum in regno, fatearis iturum in ignem æternum.* Et l. 3. Op. Imp. n. 199. *Quid miraris, parvulum in igne æterno cum Diabolo futurum, qui in Dei regnum intrare non ſinitur?*

R. I. adverſarii, Aug. ibi impugnare fictitiam beatitatem Pelagianorum, de ſola pœna damni exponendum, tandem æſtu diſputationis abreptum rigidiorem adhibuiſſe orationem. Sed contra. Demonſtrat enim S. P. Scripturarum auctoritate, parvulos non renatos ire in ignem æternum, arſuros ignibus æternis, nec ſolum rejicit medium locum a Pelagianis confictum, ſed quemlibet inter dextram & ſiniſtram, nec rigidiorem ſententiam ſequitur: ſunt enim non renati filii iræ, vindictæ, gehennæ, ex Adæ peccato, iiſque non Auguſtinus, ſed judex dicet *Ite in ignem &c.* Etiam Julianus immanem Aug. ſententiam appellat l. Op. Imp. n. 48., nec tamen objectum ſibi rigorem ab hæretico emollit; ſed ait, *hoc judicium occultiſſimum quidem eſſe, ſed juſtiſſimum.*

R. II. alii, Aug. mentem aliunde dignoſci. Nam

ep. ad Hieron. ait: *Cum ad pœnas ventum eſt parvulorum, magnis coarctor anguſtiis, nec quid reſpondeam invenio;* ergo S. P. nihil de iis definite pronunciavit. Deinde ait, futuros in damnatione mitiſſima l. 5. contra Jul.; ergo &c. Verum ex cit. loco noſtra firmatur aſſertio. Sequitur enim, *non ſolum pœnas dico, quas habet poſt hanc vitam illa damnatio, quo neceſſe eſt trahantur, ſi exierint ſine ſacramento, ſed eas ipſas, quæ in hac vita nobis verſantur ante oculos;* cenſet ergo Aug., uti *in hac vita*, ita in *damnatione, ad quam neceſſario trahuntur*, parvulos pœnas dare. Anceps tantum de modo, quo traducatur peccatum orig. tot malorum cauſſa, idque rogat, ut ei Hieronymus exponat.

Ad ſecundum diſt. ant. Ait futuros parvulos in *damnatione mitiſſima*, relate ad ſceleſtiſſimos peccatores, qualis eſt Judas, de quo dictum eſt, *bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet*, conc., abſolute, neg. Ita S. P. l. 5. contra Jul., ubi ait. *Non dico parvulos illos tanta pœna eſſe plectendos, ut eis non naſci expediret, cum hoc Dominus de ſceleſtiſſimis dixerit: quis dubitaverit parvulos, qui ſolum habent orig. & nullis propriis aggravantur, in damnatione omnium leviſſima futuros?* Atqui pœna damni non eſt leviſſima per Aug. ſed maxima; ergo &c.

R. III. alii, Auguſtinum contrariam PP., novamque invexiſſe ſententiam. Sed contra eſt. Nam S. P. Sermonem 14. de Verb. Ap. Carthagine ad populum recitavit jubente Aurelio Primate; ergo nec nova erat, nec ſingularis ejus opinio. Etenim auctor Hypogn. l. 5. Auguſtini ſententiam iiſdem ferme verbis expreſſit. Fulgentius de Fid. c. 27. ait: *Firmiſſime tene, parvulos, qui ſine Sacr. Baptiſmatis de hoc ſæculo tranſeunt, ignis æterni ſupplicio puniendos.* Fulgentio ſubſcribunt Epiſcopi 15. atque ejus verba in canonem ſub Aug. nomine retulit Gratianus can. *Firmiſſime.* Eadem habet Fulg. l. de Incarn., ubi ait: *Interminabilibus ignis cruciabitur pœnis imago Dei, quæ nihil potuit per ſe delinquere,*

nisi ab orig. peccato solvatur. Hieron. in dial. contra Pelag. ait, *Infantulis orig. labe inquinatis æternæ miseriæ cruciatus præparari.* Greg. M. 9. mor. *Tormenta percipiunt.* Prudentius Tricaff. Episcopus: *Perpetua plexione damnantur.* Isid. Hispal. *Damnabuntur in ignem æternum.* Aelredus *Injustum æstimas, ut lignum inutile ignis depascat?* Avitus in Carm. de iisdem ait: *Quæ flammis tantum genuerunt pignora matres.* Ex quibus sic ratiocinatur Petavius: *Iisdem inferni pœnis puniendi sunt qui cum solo orig. peccato moriuntur, quibus cæterorum, qui in actuali mortali decedunt: atqui, horum pœnæ sunt combustio ignis, ut Aug. observat; ergo quamvis dissimile sit in eadem concrematione judicium, una est tamen cruciantium pœna flammarum.*

Prob. IV. ratione. I. Parvuli sunt sub diaboli potestate. Ex Aug. (*a*), Trident. (*b*), & Ecclesiæ exorcismis; ergo &c. Atqui diabolus, dum ei permittitur, parvulos vexat in hac vita animam & corpus affligens (*c*); ergo multo magis in altera vita in gehenna. II. Si orig. peccato sensibilis pœna non responderet, ut adversarii contendunt, non possent parvuli plecti morte corporis, atqui plectuntur; ergo &c. III. Pueri renati de alieno merito reportant bona corporis; uniuntur enim ecclesiæ Christi, qui sanctificat animam & corpora; ergo a pari.

CAPUT V.

In quo oppositæ sententiæ argumenta solvuntur.

Quemadmodum nos assertionem nostram scripturarum, PP. ac rationum pondere communivimus, ita adversarii iisdem armis nos adoriuntur. Sic itaque

Ob.

(a) *L.* 1. *de Nupt.* 23. (b) *Sess.* 5. *de Orig. Pecc.*
(c) *L.* 1. *Op. Imp.* 88.

Ob. I. ex ſcript. Apoſt. 2. Cor. 5. ait, omnes judicandos, *ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Apoc. 18. 7. habetur: *Quantum glorificavit ſe ... tantum date illi tormentum.* Matth. 25. *Ite in ignem æternum: eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare,* atqui parvuli nihil mali geſſerunt, non fuerunt in deliciis, non negarunt eleemoſynam; ergo &c. R. I, cum Aug. retorq. argum. Parvuli enim bona corporis reportant de alieno recte facto; ergo & mala. Vid. Ob. ult. c. 1. R. II. diſt. maj. Et hæc dicta ſunt cum excluſione aliorum peccatorum, neg., ſine excluſione, conc. Quamvis enim in judicio durius cum iis agendum ſit, qui humanitatis expertes pauperes deſpiciunt; non tamen infideles abſolventur, vel ambitio, hæreſis, adulterium &c. non punietur.

Ob. II. Job. 3. ait: *Quare non in vulva mortuus ſum, nunc enim ſomno meo requieſcerem;* ergo pueri nullo ſupplicio torquentur. R. diſt. ant. *requieſcerem* a miſeriis hujus ſæculi, conc. alterius vitæ, neg. de hujus vitæ miſeriis Job loqui conſtat ex ſeq. verſ. 17. c. 3. Ait enim, quod in ſepulcro *impii ceſſaverunt a tumultu, & ibi requieverunt feſſi labore,* idque nos vulgo de quovis homine miſeriis jactato licet improbo dicimus: nempe *pati ceſſavit.*

Ob. II. ex PP. Innoc. IV. de Bapt. Tit. 42. c. 3. *Majores* ait: *Pœna orig. peccati eſt carentia viſionis Dei, actualis vero eſt gehennæ cruciatus;* ergo &c. R. diſt. ant. Eſt carentia viſionis Dei tantum, neg. etiam, conc. Sicut enim pœna actualis peccati non eſt ſolus gehennæ cruciatus, ſed etiam carentia viſionis, ita originalis culpæ pœna eſt carentia viſionis, & gehennæ cruciatus, ut habetur diſt. 4. de Conſecr. c. 3. *Firmiſſime.* Vide auctorem.

Ob. IV. Aug. l. 3. de lib. arb. 23. *Non enim metuendum eſt,* ait, *ne vita eſſe potuerit media inter recte factum, & peccatum, & ſententia judicis me-*

dia esse non possit inter præmium, & supplicium; ergo &c. II. l. 5. contra Jul. 11. ait, parvulos in *damnatione mitissima* futuros, negatque tanta pœna esse plectendos, ut eis non nasci expediret, sed hoc falsum esset, si essent igne torquendi: ergo &c. III. Serm. 14. de Verb. Ap. 6. *Hæc illis sola pœna est non esse in patria*; ergo &c. Tandem tract. 19. in Joan. ait, sententiam judicis, *ibunt in ambustionem, esse de quibusdam sinistris*; non ergo de omnibus.

R. ad I. dist. ant. Et ibi disputat S. P. ex principiis Manichæorum, conc., in propria sententia, neg. Cum enim Manichæi duo principia obtrudere vellent ex pœnis parvulorum, qui nunquam peccarunt, quinque cum mali non sint sua voluntate, consequens esse dicebant, ut tales sint constitutione naturæ; rursus cum dicerent, parvulis in judicio, nec inter justos locum esse, cum nihil recte fecerint, nec inter malos, cum nil peccaverint, si ergo damnantur esse malos natura, & substantia; quid ad hæc S. P.? Cum Manichæi originale peccatum negarent, sed novum testamentum reciperent, & occisos ab Herode infantes venerarentur; *Quis novit*, ait, *quid ipsis parvulis bonæ compensationis reservet Deus?* Et sic explodit unam Manichæorum instantiam dicens: si nullum est peccatum in parvulis; tales ergo afflictiones non sunt pœna peccati, sed meritum justæ retributionis. Diluit etiam quod objiciebant ex parvulorum judicio. Si enim potest per vos vita parvulorum media esse inter recte factum, & peccatum, poterit etiam sententia Judicis esse media inter præmium & supplicium: adeoque nec ex pœnis temporalibus, neque ex judicio parvulorum infertur eorum malam esse substantiam. Quid vero id juvat adversarios? Sicut enim ex Augustini responsione non sequitur, vitam parvulorum mediam esse inter recte factum & peccatum, ita nec sequitur sententiam Judicis posse mediam esse inter præmium & supplicium.

Imo

Imo cum Maſſilienſes hunc locum objicerent Auguſtino, reſpondet l. de Don. perſ. 12. ſe de pœnis parvulorum minime dubitaſſe, & contra Manichæos diſputaſſe. Ideo ergo S. D. non retractavit, quod olim docuerat de pœnis parvulorum, ut ſcribit Bellarminus, quia de iiſdem non dubitaverat.

R. ad II. diſt. ant. Ait futuros *in damnatione mitiſſima*, comparate ad ſceleſtiſſimos adultos, conc. abſolute, neg. Evincitur ergo ex hoc loco inæqualitas pœnæ ſenſus, ut dictum ſupra in prob. 3. in reſponſione ad 2. Ceterum S. P. Enchir. cap. 92. ait: *quicumque vero ab illa perditionis maſſa non liberantur, reſurgent quidem, ſed ut cum diabolo puniantur.* Ad III. diſt. ant. Sola pœna eſt, qua ſatis comprobatur dogma Catholicum, conc. per excluſionem pœnæ ſenſus, neg. Fatebantur enim Pelagiani parvulos excludi a regno cælorum, ſed interim beate vivere; ſic ergo eos revincit S. P. *Non eſſe in patria maxima pœna eſt;* non ergo beate vivunt, qui a patria perpetuo exulant. Ad IV. diſt. ant. Vocat *quoſdam ſiniſtros* relate ad omnes gentes judicandas, conc. abſolute nego.

Ob. V. Nazianz. Or. 40. ait: *Parvulos nec cœleſti gloria, nec ſupplicio afficiendos, utpote qui, licet ſignati non fuerint, improbitate tamen carent, atque hanc jacturam paſſi potius fuerint, quam fecerint;* ergo &c. II. Nyſſenus or. 1. ſcribit, hos pueros *in doloribus & triſtitia non eſſe.* III. Ambroſius l. 2. de Abraham c. ult. de parvulis ſcribit: *Habeant illam apertam pœnarum immunitatem, neſcio an habeant regni honorem.* IV. Bern. ſerm. de Reſurr. 3. ait: *Ceſſet voluntas propria, & infernus non erit.* V. Accedit D. Th. 3. p. q. 1. art. 4. & D. Bonav. in 2. diſt. 33. ar. 3. &c.

R. I. Nazianzenum, Nyſſenum, alioſque ante Pelagianam hæreſim non fuiſſe in hac controverſia verſatos, ut Aug. & Africani Patres, qui idcirco Græcis ſunt præferendi, præſertim cum hi

tantum duo adverſariis favere videantur, pro nobis autem ſtent pene innumeri, quos ſupra laudavimus. R. II. ad primum diſt. ant. Nec *afficiendos ſupplicio* reſpondente neglectui baptiſmatis, conc. culpæ originali, neg. Sicut enim de eo neglectu loquitur S. D., dum ait, parvulos improbitate carere (nempe actuali) & jacturam potius pati, quam facere; ita de eodem neglectu accipiendus eſt, dum ait: *nec cœleſti gloria, nec ſupplicio eos affici*. Diſſimulandum tamen non eſt, in Nazianzeno loca eſſe duriuſcula, & ſecurius ante exortum Pelagianiſmum a S. D. prolata. Ad II. R. Nyſſeni loco premi pleroſque adverſarios, qui docent, parvulos ex pœna damni mærore aliquo affici. Dubitat etiam Nyſſenus, an *quælibet anima ante Judicis tribunal ſiſtetur*? Quod poſtea fuit definitum. Nyſſenus ergo, ait Noriſius, in quæſtione *difficili & perplexa* dubitanter locutus eſt. Ad III. R. 1. Maurini Patres, aliqua ibi fuiſſe intruſa ab hæretico. Dixerat enim, non baptizatos a regno excludi, quomodo ergo ait, *neſcio an habeant regni honorem*? Deinde hæc abſoluta pœnarum immunitas Pelagianiſmum ſapit.

R. II. Noſter Vanroy, loqui Ambroſium per *conceſſionis* figuram, ait enim *habeant* non *habent*. Solent etiam quædam proferri ex Ambr. in ep. Pauli, ſed ſpuria ſunt, non ſecus ac Auctoris quæſtiones ad Antiochum, & aliæ ſub nomine Athanaſii. D. Thomas autem ſcholaſticorum ſui ævi (1) ſententiam tutatus eſt, ſed in 4. ſent. diſt. 46. ait; *Peccato originali non tantum deberi carentiam viſionis*

(1) Cur eo ſæculo ab Auguſtini ſententia ſcholaſtici receſſerint, rationem profert in ſuis commentariis mſſ. & ineditis in lib. ſent. inſignis Ordinis noſtri Theologus Michael a Maſſa, dicens, id factum eſſe ex decretali Innoc. Papæ, ſive ex gloſſemate ei ſuperaddito, quod habere vim deciſionis falſo opinati ſunt.

nis pro pœna, ſed etiam ſubjecti annihilationem, adeoque pœnam ſenſus, quæ ut obſervat Godoy, ad ſubjecti annihilationem quodammodo tendit. Sylvius vero cenſet, quod ſi ſummam abſolviſſet, in aliam partem declinaſſet. Nam l. 3. contra Gentiles abſurdum putat, quoſdam nec beatitudinem nec pœnam habere, eo quod Matth. 25. dicetur: *Venite* &c., vel *diſcedite* &c. De D. Bonaventura illud Apoſtoli memorabo: *Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet.*

Ob. VI. ex ratione. Pœna ſenſibilis non eſt originali peccato proportionata; ergo indebita. Prob. ant. Non enim contrahitur per actum propriæ voluntatis; ergo nec ei debetur ſupplicium proprii ſenſus. II. Peccatum illud eſt vitium naturæ, non perſonæ; ergo ex eo perſona plecti non debet. III. Pœna ſenſibilis debetur converſioni ad bonum commutabile, ſed hæc non eſt in pueris; ergo &c. IV. Nemo damnari poteſt ob inclinationem ad malum, quæ ratione concupiſcentiæ puero inhærere poſſet, niſi ejus motibus obſecundet. V. Nec reprehendi in eo, quod vitare non poteſt; ergo &c. VI. Ex Auguſtino id ſolum impio imputandum eſt, unde illi liberum fuit abſtinere. VII. Nulla ei de originali peccato injungitur pœnitentia; ergo &c.

R. Ad I. neg. ant. Nam ex D. Th. 2. diſt. 42. cuique mortali peccato debetur pœna *infinite acerba*, ſi *dari poſſet.* Ad prob. neg. conſ. Etenim peccatum, quod in Adam fuit actuale, in poſteris eſt originale; ergo pœna, quæ debetur peccato Adæ actuali, infligi poteſt peccato filiorum originali. Deinde adverſarii cenſent, originale peccatum eſſe omnibus proprium, quia omnium voluntates cenſebantur in Adam; ſi ergo id ſufficit, ut pueri propria voluntate peccaverint? Cur non ſufficit, ut in proprio ſenſu tormenta percipiant? Ad II. R. I. Retorqueo argumentum. Licet originale peccatum ſit naturæ vitium, nil vetat, quin perſonam damnet ad tartara; ergo nec vetat, quin gehennæ cru-

cruciamenta non ſentiat. R. II. diſt. ant. Eſt vitium naturæ, nempe ex voluntate Adæ, qui naturam vitiavit, conc., itaut vere ac proprie non ſit culpa omnium poſterorum, nego.

Ad III. retorqueo argumentum. Licet parvuli non ſint actu voluntatis ſuæ averſi ab incommutabili bono, afficiuntur pœna damni, ergo, etſi non converſi ad commutabile bonum, plecti poſſunt pœna ſenſus. Deinde diſt. ant. In parvulis non eſt converſio *actualis* ad bonum mutabile per determinationem arbitrii, conc. *habitualis* per concupiſcentiam inſeminatam origine, neg. Ad IV. etiam retorqueo argumentum. Per concupiſcentiam, cui ineſt averſio a Deo, parvulus punitur pœna damni; ergo ob eandem, cui ineſt propenſio ad illicita, punitur pœna ſenſus. R. II. diſt. ant. Inclinatio mala non punitur, niſi adſit conſenſus apud homines, conc., apud Deum, ſubdiſt. Si ei adhæreat reatus, ut in nondum renatis, neg., ſi ſit reatu ſoluta, ut in renatis, conc. Ad V. retorq. arg. Pueri vitare nequeunt originale, & tamen damnantur; ergo etiam reprehendi poſſunt. R. II. diſt. ant. Reprehendi nequeunt tanquam mali arbitrii electione, nativitate, & origine, neg. Sunt enim filii iræ, eiſque dicetur; *Ite maledicti* &c. Secus conc. Ad VI. Quod Auguſtino Julianus oppoſuit, reſpondit S. P. c. 1. Op. Imp., ſe ibidem definiſſe peccatum actuale, non illud, quod peccatum eſt & pœna peccati: alias originale ante uſum rationis non eſſet peccatum. Ad VII. retorqueo argumentum. Mors enim & aliæ calamitates ſunt pœnæ originalis peccati; ergo filii Adæ ejusdem peccati agunt pœnitentiam. Parvuli etiam ſunt ſuo modo pœnitentes, *cum per verba geſtantium diabolo, & ſæculo renunciare monſtrantur*, ait S. P. l. 1. de pecc. mer. 19.

Ob. VII. Parvuli utpote gratia deſtituti cruciatus ſuos ægre ferent; ergo in impatientiam, & blaſphemias prorumpent. II. Auguſtiniana ſententia immanis eſt; ergo &c. III. Ex ea piarum matrum ani-

animus concutitur, & perturbatur; ergo rejicienda eſt.

R. ad I. retorqueo argumentum. Nam etiam pœnam damni ægre ferent, nec blaſphemabunt per adverſarios. R. II. neg. conſ. Non enim cum ſceleſtiſſimis peccatoribus pares erunt ex Auguſtino, ſed, ſicut pœna iis erit *mitiſſima*, ita major forte patientia. Ad II. neg. ant. Hæc enim vetus eſt Pelagianorum querimonia, cui etiam ipſi reſpondere debent, qui parvulos exules faciunt a regno cælorum. Ad III. neg. conſ. Nam ex ea perturbatione plura exurgent bona: Nec ruſticus immaniter cædet prægnantes, nec lapſa puella curabit abortus, nec conjuges ſua intemperantia ferent ſuis filiis interitum.

Ob. VIII. Cælum novum, & terra nova, de qua Apoc. 21. non renatis ſervatur; ergo &c. Prob. ant. Licet enim ſint averſi a Deo auctore ſupernaturali, ſervarunt tamen naturæ ordinem; ergo Deo carent, non aliis bonis. R. neg. ant. Cum enim per Aug. l. 20. C. D. 16. cælum & terra innoventur, *ut accommodetur hominibus etiam carne in melius innovatis*, non erit nova illa facies pro iis, qui veterem hominem non exuerunt. Dictum eſt enim *cælum novum* &c., *ut novus homo*, *nova creatura* &c. Ad prob. neg. ant. Nam in peccato originali, ait S. P., tota natura turbata eſt. 2. Peccatum actuale naturalia prorſus non tollit, & tamen punitur pœna ſenſus; ergo a pari. 3. Ex D. Th. averſio a fine omnes inordinationes affert; ergo &c.

Ob. IX. pro Gerſonii ſententia. I. *Voluntas habetur pro facto, & ad impoſſibile nemo tenetur;* ergo pueri, quos optarunt parentes ad baptiſmum adducere, nec poſſunt, ſalvantur. II. In pueris locum habet baptiſmus ſanguinis, ut patet in Sanctis Innocentibus; ergo & baptiſmus flaminis ex voto parentum. III. Fide Eliſabeth Joannes in ejus utero ſanctificatus eſt; ergo &c. IV. Pueri hebræi ante octavam diem ſalvabantur ſine circumciſione; ergo & fideles ſine baptiſmo. V. Ex Aug. imple-

tur

tur ſacramenti effectus, cum illud non contemptus, ſed neceſſitas excludit; ergo &c. Ita etiam docent Ambroſius, Innocentius III. Bernardus &c.

R. Gerſonis ſententiam Scripturis, Conciliis, ac Patribus adverſari, nec vota parentum quidquam proſunt. Docet enim S. P. *parentibus feſtinantibus, ſi moriantur infantes ſine Baptiſmo, damnari.* Itaque R. ad I. neg. conſ. Ex iis enim proloquiis evincitur tantum, inculpabiles eſſe parentes, non vero filios ſalvari, qui non neglectu Baptiſmi, ſed originalis noxæ reatu damnantur. R. ad II. Retorqueo argumentum. Martyrium parentum non prodeſt natis, qui martyres non occumbunt; ergo nec votum prodeſt illud non elicientibus. R. 2. neg. conſ. Nam in martyrio ſanguinem ſuum ob fidem fideles effundunt; merito ergo ut ſuos eos recipit Eccleſia fidelium. Voluntas autem parientium non eſt voluntas natorum. Ad III. R. S. P. diſt. ant. Joannes eſt in utero ſanctificatus, hoc eſt dono prophetiæ illuſtratus, ut præconem Chriſti ſe gereret, conc., hoc eſt originali culpa ſolutus; neg. Ita S. P. ep. 57. ad Dard. R. II. cum eodem Aug. ib. privilegia Joannis *habenda eſſe in miraculis divinæ potentiæ, non trahenda ad humanæ exemplar naturæ.* Ex laud. ep. evincitur, nedum vota matrum non prodeſſe pueris in earum utero mortuis, ſed etiam eos baptizari non poſſe, priuſquam inde egrediantur, idque ob Dominicam ſententiam: *niſi quis renatus fuerit denuo, eam ſcilicet computans nativitatem, quæ fit matre pariente, non concipiente atque prægnante. Natus enim dicitur homo partu, ut poſſit renaſci aqua & ſpiritu.* Ad IV. diſt. ant. Sine circumciſione, & ſine alio quovis ſigno, neg., per aliquod ſignum ignotum ex neceſſitate circumciſioni ſubſtitutum, conc. Niſi enim pueris aliquo gratiæ inſtrumento ſubventum eſſet, certiſſime credimus, eos fuiſſe damnatos. Nil vetat ergo, quin pueros incircumciſos, originali peccato obnoxios (cujus circumciſio erat commune remedium

pro

pro Judæis) dicamus, omnino periisse. Ad V. dist. ant. Impletur in adultis, cum sine contemptu prætermittitur, & suppletur fide, voto, ac animi præparatione, conc., in infantibus, in quibus suppleri nequit, neg. Innocentius autem loquitur de presbytero non baptizato, qui Ecclesiæ diu humiliter ministraverat, quique se ei devovisset per baptismum, ubi nosset, se non esse renatum. Eadem est in ep. 77. Bernardi doctrina. Atque hæc de originaria labe dicta sufficiant.

LIBER XIV.

De erroribus circa gratiam Christi, & primo de hæresi Pelagiana.

HUMANAM naturam Adæ peccato non esse vitiatam, nostramque voluntatem absque Dei adjutorio, & declinare a malo, & bona facere per se posse, impudenter jactitarunt gratiæ Dei hostes infensissimi Pelagiani, in lege, exemplis, atque doctrina maximum Reparatoris nostri beneficium collocantes. Cum itaque originariæ labis propagationem superiori libro, Augustino duce vindicaverimus, reliquum est, ut cum eo etiam gratiæ necessitatem pro virili tueamur. Quod quidem per nos fiet duplici Dissertatione. Quarum prima Pelagianismi historiam, altera catholicum dogma, ac varia scholarum placita circa gratiam complecti poterit.

DISSERTATIO I.

De Pelagianæ hæreseos historia.

De Pelagianismi historia agemus sex capitibus. Ac I. de Origene, Rufino, aliisque Pelagianismi auctoribus sermo erit. II. De Pelagio, atque ejus gestis. III. De Cælestio, ac Juliano. IV. De Romanis Pontificibus, Conciliis, ac Patribus, qui Pelagianam hæresim impugnarunt. V. De statibus diver-

diversis ejusdem hæreseos. VI. De gratiam Pelagiana.

CAPUT I.

De Origene, Rufino, aliisque Pelagianismi auctoribus.

NOT. I. Censet Garnerius, hujus sectæ primordia ad Paulum Samosatenum referenda esse. At Norisius ad Origenem refert, quem hæreticam de gratia tenuisse sententiam demonstrant Natalis Alex., Huetius, Tournelius, aliique. Plura etiam de hoc argumento Jansenius, qui tamen indifferentiam arbitrii in Origene reprehendens a veritate quam longe abest.

Not. II. Cælestium errore imbutum fuisse a Rufino certum est, sed an fuerit Aquilejensis, an Palæstinus, vel Syrus non conveniunt Eruditi. Fuisse Aquilejensem opinantur Baronius, Pagius, Norisius, aliique. Negat Garnerius, & Ballerinii Veron. Dubitant Maurini. De Theodoro Mopsuesteno Pelagianis adhæsisse omnes conveniunt.

PROP. I. Origenes de divina gratia hæreticam doctrinam secutus est.

Prob. I. ex Hieronymo, qui in epist. ad Ctesiph. *Doctrina tua*, inquit, *Origenis ramusculus est*. Orosius in Apolog. *Origenes in his vivit*. Vincentius Lirin. Common. 23. scribit, quod Origenes *omnium pene hæreticorum magister evasit*; ergo &c.

Prob. II. ex Orig. scriptis. I. enim docuit l. 1. Per. c. 7. gratiam secundum merita nostra dari, ait enim, *est alia Spiritus sancti gratia, quæ dignis præstatur secundum merita eorum, qui capaces efficiuntur.* Ex nobis etiam repetit initium fidei, Angelos vero diversa officia, Præcursorem sanctitatem in utero, Christum unionem hypostaticam ex suis meritis comparasse docet; ergo &c. II. docuit ἀναμαρτησίαν, sive Pelagii *impeccantiam*. Constat enim ex Hieronymo in Jerem. l. 4. hanc *hæresim in Origene, & discipulis ejus fuisse olim jugulatam.*

Ori-

Origenes ipſe Tom. 12. in Matth. ait, eum, qui in caritate perfectionem adeptus eſt, ſcandalo obnoxium non eſſe: & Tom. 15. ait, pueros, queis Chriſtus manus impoſuit, *jam amplius peccati illecebris percelli non poſſe;* ergo &c. III. Licet Origenes non ſemper ſibi conſtet, peccatum originale ſaltem conſequenter negavit. Hujus enim vitæ miſerias non in Adæ peccatum, ſed in habituale in ſuperiori vita commiſſum refert, & Eſau reprobatum eſſe ait, ob ſcelera ante conceptionem patrata: ergo &c.

Ob. I. Pelagius in Synodo Dioſpolitana Origenem, ejuſque aſſeclas, ut hæreticos habuit, nullumque pro ſe ex Origene teſtimonium produxit; ergo &c. R. diſt. ant. Verſute & callide, conc. ſincere & ex animo, neg. Sciebat enim Pelagius, male apud latinos Patres audire Origeniana dogmata, ideoque ea non produxit, vel etiam improbavit, non tamen ſincere, & ex animo. Servarunt enim Origeniſtæ, & Pelagiani magnam neceſſitudinem, ut conſtat de Rufino, Mopſueſteno &c., qui Origenem ſub Vigilio defenderunt.

Ob. II. Pamphilus in apol. Origenem excuſavit ab omni errore; ergo &c. R. I. neg. conſ. Pamphilus enim in eodem errore verſatus eſt. Defendit enim animorum præexiſtentiam, unde *peremptum* a Pamphilo, cenſet Huetius, *gratiæ cœleſtis auxilium.* R. II. cum Hieronymo neg. ant. Nam Apologia illa fuit ab Euſebio elucubrata, licet primum librum ſub nomine Pamphili ediderit.

Ob. III. Origenes hom. 8. in Levit. agnoſcit originale peccatum; ergo &c. R. I. Homilias haſce non eſſe Origenis, ſed Cyrilli, vel auctoris incerti. Non Adæ delictum, *ſed præterita in cœlis & antiqua ſolvi in baptiſmo*, aſſerit ib. Orig., ut notat Hieron. in Dial. R. II. diſt. ant. Agnovit &c. in ſenſu hæretico, ideſt præcedenti merito comparatum, unde animas ad corpus inquinatum delabi cenſuit Origenes, conc., in ſenſu catholico neg.

Ob. IV. Orig. l. 2. Periarch., & alibi gratiæ munera prædicat; ergo &c. R. dist. ant. Ut præcedentibus meritis erogata, conc., Dei beneplacito, subdist., quoad fidei & virtutum initium, neg., quoad incrementum, & perfectionem, conc. Ita S. D. Tr. 33. in Matth. & alibi; ergo &c.

Propositio II. Rufinus Pelagianus est Aquilejensis, non Palæstinus vel Syrus.

Prob. I. Marius Mercator in Common. ait, quod errorem circa originale peccatum *Rufinus quondam natione Syrus primus invexit, & Pelagium monachum decepit*; ergo Rufinus, quem Mercator Syrum vocat, fuit Pelagii deceptor, sed iis fuit Rufinus Aquilejensis, qui libros Periarch. latinos reddidit, teste Hieron. epistola ad Ctesiph., ubi ait, Pelagianam *impeccantiam* a Rufino esse derivatam; ergo &c. Prob. II. Rufinum Aquilejensem de arbitrii libertate male sensisse definit Concilium Romanum, atqui Rufinus non negavit libertatem arbitrii; ergo ejus vires nimium extulit. Prob. III. Rufinus Pelagianus non est Palæstinus, vel Syrus; ergo Aquilejensis. Prob. ant. Nam Rufinus Syrus fuit Hieronymi discipulus, & in Italiam fidei caussa contra Origenistas profectus est, hunc vero tantæ hæresis doctorem non audemus suspicari, ajunt Ballerinii: atqui is a Syro non est diversus, neque tres Rufinos, nisi divinando, quidam inducunt; ergo &c. Adde, Cælestium pro se Rufinum produxisse, ut omnibus notum, sed is est Aquilejensis, non Syrus, qui solum innotuit ex citata Hieronymi epistola; ergo &c. IV. Hieron. in Jerem. l. 4. loquens de Pelagiana hæresi, eam in Grunnio asserit nuper jugulatam, atqui Grunnius est Rufinus Aquilejensis, qui Pelagianam hæresim in occidentem invexit, eaque imbuit Cælestium, dictus proinde Pelagianorum præcursor, non quod Origenem Latio donaverit, quod etiam Hieronymus fecit, sed quia Pelagiana dogmata cum eo propagavit; ergo &c. V. Rufinus, qui ex Huetio plura

in Origene immutavit, Pelagiana tamen dogmata fideliter retulit. Imo plura, quæ in nullo Græco exemplari extant, *de ſua Pelagianiſmi officina largitus eſt Rufinus*, ut ait Huetius; ergo &c.

Ob. I. Garnerius. De Rufino Cæleſtii magiſtro Mercator loquitur, ut de homine minus noto dicens: *Rufinus quidam*, ſed Aquilejenſis erat notiſſimus eruditionis, ac ſanctitatis fama, & ex Melaniæ conſortio; ergo &c. II. Aquilejenſis Romam venit an. 13. Siricii, ſed Syrus ſub Anaſtaſio hæreſim invexit; ergo &c. III. Rufinus Cæleſtii magiſter Romæ manſit apud Pammachium Hieronymi familiarem; ergo &c. IV. Rufinus Cæleſtii magiſter Romæ fuit, cum doceret, non dari peccati traducem ex Aug. de Pecc. orig. 3., ſed Aquilejenſis tunc Romæ non fuit; ergo &c. V. Vocatur natione Syrus; ergo &c. VI. Cæleſtius innuit Rufinum Concilio Carth. an. 412. fuiſſe ſuperſtitem; vocat enim Sanctum, non, *Beatæ record.* ſed ille an. 411. mortuus eſt; ergo &c. VII. Paulinus Diaconus nihil habuit adverſus Rufinum, ſed plura habuiſſet contra Aquilejenſem proſcriptum propter hæreſes; ergo &c.

R. ad I. neg. maj. Mercator enim ſcripſit, *Rufinus quondam*, non *quidam*, ut habetur in Auguſtini editione Maurina. Ad II. R. Rufinum Romam veniſſe regnante Siricio ann. 396. ſed ibi forte biennio commoratum initio Anaſtaſii Pontificatus an. 398. Ad III. neg. conſ. Rufinus enim erat Paulini Pammachii familiaris intimus: aliunde Pammachii domus commune erat monachorum hoſpitium. Demum ante an. 399. quo Rufinus Origenianam verſionem vulgavit, amicitiæ vinculum cum Hieronymo non fuerat diſſolutum. Ad IV. neg. min. Nam & Romæ Cæleſtium fuiſſe Rufini diſcipulum non repugnat. Deinde non ait Cæleſtius, ſe Romæ edoctum a Rufino, ſed a Rufino, qui *Romæ fuit.* Ad V. neg. conſ. Rufinus enim in Syria an. 27. moratus eſt, ideoque a Mercatore Syrus dictus eſt, licet

in pago Aquilejensis diœcesis ortus sit, sicut Faustus *Britannus* dictus est *Gallus* a Possessore. Ad VI. dist. min. mortuus est an. 411. & obitus nuncius nondum ad Africanos delatus est, conc. secus, neg. Habita enim est Synodus an. 412. Ad VII. dist. maj. Nihil habet contra Rufinum, ob ejus versutiam, conc., ob ejus orthodoxiam, neg. Scribit enim Mercator, Rufinum, utpote argutum, & callidum hæresis invidiam declinasse, unde nec Paulinus ut hæreticum eum habuit, nec cum Origene damnatus est.

Ob. II. Cum Balleriniis. Rufinum Aquilejensem fuisse magistrum Cælestii constat, vel ex nominis similitudine, vel ex Origenis versione, sed utrumque hoc futile est; ergo &c. 2. Nec obstat a Hieronymo dici *præcursorem Pelagii*, nam relate ad personam, non ad errorem Origenis, sic eum appellat; ergo &c. 3. Constat ex ejus apologia, ab Origeniano errore quam longe abfuisse, unde de hæresi nunquam convictus est; ergo &c.

R. neg. maj. Non enim ex nominis similitudine id asserimus, neque ex Origenis versione, quam etiam Hieronymus adornavit, sed ex ejus dogmate. Docuit enim impeccantiam Pelagianam, arbitrium nimis extulit, & in Origene Pelagianismum emollire curavit, & ubi non erat intrusit. Ad 2. neg. ant. Responsio patet ex dictis. Ad 3. neg. cons. Vide R. ad 7.

Prop. III. Theodorus Mopsuestenus est alter Prodromus Pelagianorum.

Prob. I. ex Mercatore, qui lib. Subnotationum ait, hæresim Cælestianam motam *in Cilicia a Theodoro Episcopi oppidi Mopsuesteni.* II. Ex eodem, & Photio Cod. 177. Theodorus, nedum negavit Christum venisse ad tollendum originale peccatum, sed etiam contra Augustinum scripsit libros quinque negans, Adamum culpa factum esse mortalem, sed talem factum, quia de terra eductus est. III. in Act. 10. Concilii Chalced. Ibæ ejus discipulo hæc magi-

magiſtri ſententia objecta eſt: *Non invideo Chriſto, quod factus eſt Deus, quoniam ego, ſi volo, poſſum fieri ſecundum illum;* ergo &c.

CAPUT II.

De Pelagio, atque ejus geſtis.

PLURA quæremus hoc loco. 1. Patriam, 2. Inſtitutum. 3. Scripta ac geſta. 4. Errores Pelagii. 5. Denique an gratiam aliquam interdum ille agnoverit?

PROP. I. Patria Pelagii Britannia fuit. An vero Anglus, Scotus, vel Hibernus incertum eſt.

Prob. prima pars. Ex Aug. ep. ad Paul. 106. ubi ait, *Pelagium, Britonem fuiſſe cognominatum.* S. Profp. in Carm. ait: *Dogma, quod vomuit coluber ſermone Britannus.* Beda l. 1. Hiſt. ſcribit: *Pelagius Brito contra auxilium gratiæ venenum diſperſit.* Idem docet Hieronym. & Oroſius. Prob. ſecunda pars. Licet enim Hieronym. l. 3. in Jerem. ſcribat de Pelagio: *Habet progeniem Scoticæ gentis de Britannorum vicinia*, Garnerius tamen rem incertam arbitratur, & Noriſius id etiam improbat, quia ex Beda. c. 12. Hiſt. Scoti *ſunt gentes a parte Britonum remotæ*, cum Pelagium Britonem omnes vocent.

PROP. II. Pelagius fuit profeſſione monachus, non tamen cœnobita.

Prob. prima pars. Ex Mercatoris common., ubi ait, Rufinum decepiſſe *Pelagium monachum.* II. S. P. Hær. c. 88. ait, nullis Eccleſiaſticis muneribus Pelagium fuiſſe condecoratum, quia a Zoſimo Pp. in ep. ad Afr. dicitur *laicus.* Prob. ſecunda pars. Ex Oroſio c. 27. Apol., ubi ait, Pelagium epulis ac balneis deditum, pinguedinem etiam in fronte prætuliſſe, atqui hæc cœnobitis, aut eremitis illius ævi non congruunt; ergo &c. III. S. P. de geſt. Pel. 35. ait, hanc hæreſim invectam eſſe *a quibuſdam veluti monachis*; ergo non a cœnobitis aut ere-

eremitis, ſed ex illo monachorum genere, qui veſte ad pietatem compoſita, domi vivebant, & ſtudiis vacabant, ut erant Pammachius, Paulinus &c.

Prop. III. Pelagius plura ſcripſit, geſſitque, ut ſuam hæreſim ſpargeret.

Prob. ex hiſtorica narratione. Cum enim Romam veniſſet circa an. 384. tres libros edidit de Trinitate; ubi proceſſionem Spiritus ſancti a ſolo Patre cum Mopſueſteno admittit. Poſtea libros. 13. comment. in Pauli ep. ſcripſit, ubi peccatum originale expungit. Et Epiſtolas dedit ad Paulinum, & ad Coſt. Epiſcopos; in illis gratiam in ſola facultate naturæ conſtituit, in hac vero gratiam aliquam præter arbitrium agnoſcit, atque hujus præſidio errorem ſuum excuſare conatus eſt. Anno autem 408., antequam ab urbe ejiceretur ſcripſit librum conſolatorium, & alium hortatorium ad viduam matrem vel Demetriadis, vel Albinam Piniani ſocrum. Inde cum Cæleſtio Hipponem appulit, poſtea Carthaginem, ubi, cum liberius negaret originale peccatum, a Synodo damnatus eſt, ut ſcribit de pecc. orig. S. P. Aug. Cæleſtius ergo in Aſiam, Pelagius in Palæſtinam ſe recepit, ubi adſcitis diſcipulis Joannis Hieroſ. præſidio fretus, errores ſuos ſpargere cœpit. Anno 413. ſcripſit Hieronymus contra Pelagii aſſeclas. Iſte vero aliam Auguſtino, aliam Demetriadi epiſtolam dedit, illam calliditatis, hanc erroris pleniſſimam. Ann. 414. librum edidit de natura, qui ab Innocentio, & Auguſtino compreſſus, atque proſcriptus eſt. Ann. 415. Heros, & Lazarus Pelagium accuſarunt hæreſeos; unde Dioſpolitana Synodus 14. Epiſcoporum coacta eſt, a qua Pelagius ob ſuam verſutiam abſolutus eſt, unde hanc Synod. *miſerabilem* vocat Hieronymus. Ann. 416. Epiſcopi Afr. acceptis Herotis & Lazari epiſtolis, & audito infelici exitu Dioſpol. Syn. celebrarunt Carthaginenſem & Milevitanam: datiſque ad Innocentium epiſtolis, Cæleſtius, & Julianus damnati ſunt. Ann. 417. defun-

defuncto Innocentio Zosimus deceptus subdola fidei professione a Pelagio, reprehendit Africanos Episcopos, quod illum, Cæleſtiumque damnaverint; at fraude detecta, utroſque ann. 418. proſcripſit, & dedit operam, ut etiam in Carth. plenaria Syn. proſcriberentur. Scripſit etiam Pelagius librum εὐλογιῶν ſive *honeſtorum ſermonum*, necnon libros quatuor de libero arbitrio erroris pleniſſimos.

Propositio IV. Errores Pelagii 20. præcipue numerantur.

Prob. I. ex ep. Aug. ad Paulinum 106. I. Eſt quod *Adamus ſive peccaret, ſive non, moriturus eſſet.* II. Quod *peccatum ejus ipſum ſolum læſerit.* III. Quod *infantes in illo ſtatu ſunt quo Adam ante prævaricationem.* IV. Quod *nec per iſtam genus humanum moriatur, nec per reſurrectionem Chriſti reſurgat.* V. *Infantes habere vitam æternam.* VI. *Nec divites, niſi omnibus abrenuntient, poſſe habere regnum Dei.* VII. *Et gratiam non ad ſingulos actus dari, ſed in arbitrio eſſe, lege, & doctrina.* VIII. *Et gratiam ſecundum merita noſtra dari.* IX. *Nec filios Dei dici poſſe, niſi omnino peccato expertes.* X. *Et non eſſe liberum arbitrium, ſi Dei indiget auxilio.* XI. *Et victoriam noſtram non ex Deo eſſe, ſed ex libero arbitrio.* XII. *Et pœnitentibus veniam dari ex merito.* Octo reliqui ſunt. I. *Impeccantia.* II. *Nec opus eſſe, Deum rogare, ne nos inferat in tentationem, & peccata dimittat.* III. *Nec infideles Eccleſiæ orationibus indigere, ut convertantur.* Ita S. P. de Hær. c. 88. IV. *Eccleſiam in hac quoque vita eſſe ſine macula.* V. Ut legem extolleret, ab ea, non ſecus ac ab evangelio, *viros ſanctiſſimos prodiiſſe.* VI. Ideoque *novum Teſtamentum par veteri prædicabat.* VII. *Peccatum eſſe jurare etiam in veritate.* VIII. Cum Neſtorio ait, *ſolum hominem de Virgine natum, & eruditorem potius humani generis, quam redemptorem*, unde Pelagiani cum Neſtorianis in Epheſina Synodo ann. 331. damnati ſunt.

Quæres: cur Pelagius negaverit originale peccatum? R. I. Ne fatendo arbitrium peccato fauciatum gratiam Salvatoris admitteret. II. Ut argumento SS. Patrum occurreret, qui ex duobus parvulis, quorum unus aſſumitur, non alter, *gratiam non ſecundum merita noſtra dari*, oſtendebant.

Propositio IV. Pelagius plura gratiarum genera admiſit. Prob. enumeratione. I. Enim admittitur a Pelagio *natura* & *arbitrium*. II. *Peccatorum remiſſio*. III. *Lex, prædicatio Evangelii, & exemplum Chriſti*. IV. *Mentis illuminatio*. V. *Dignitas regenerationis, & adoptionis*. VI. *Vita æterna*, ſed alia a regno Cælorum; ergo &c.

CAPUT III.

De Cœleſtio ac Juliano Pelagianis.

CÆleſtii ac Juliani inquiremus hoc loco patriam, inſtitutum, ſcripta, atque eorum geſtas. Sit itaque

Propositio I. Cæleſtius patria Scotus fuit, vel Britannus, non Romanus, aut Campanus. Ita Baronius, Noriſius, Uſſerius, Janſenius, aliique contra Jo. Garnerium. Et probatur ex Hieronymo præf. l. 3. in Jerem., ubi Pelagium hæreſim diſſeminantem ore Cæleſtii vocat *mutum* latrantem per *canem Albinum*, ſed Albinus dicitur ab Albione, ideſt Britannia, quæ ſic olim apud Stephanum ab albis rupibus, quas mare abluit, dicta eſt; Scoti vero incolunt Britanniæ partem, quæ vergit ad Septentrionem; ergo &c.

Dices. Mutum Canem &c. eſſe Rufinum, ut cenſet Garnerius, vel Joannem Hieroſol. ut placet Tillemontio; ergo &c. R. neg. ant. Rufinus enim libros invectivarum contra Hieronymum compleverat anno 401. atqui præfatio in l. 3. Comm. Jerem. fatente Garnerio, ante ann. 414. ſcripta non eſt, ergo *mutus* latrans per *Albinum canem* &c. non eſt Rufinus, neque Joannes Jeroſol., qui palam

lam & coactis etiam Synodis Pelagio patrocinabatur. Fallitur ergo Garnerius, qui versum Prosperi: *Aut huic Campano gramine corda tument*, ad Cælestium refert, cum de Juliano scriptus sit, qui, ut infra videbimus, in Campania natus est.

Prop. II. Cælestius fuit monachus, non cœnobita, sed erro, & sui juris.

Prob. prima pars ex Gennadio (*a*), qui refert, eum *ex monasterio* tres epistolas pietatis & eruditionis plenas misisse ad parentes suos. Prob. secunda pars ex Aug. (*b*), qui hæresis Pelagianæ auctores appellat, *veluti monachos*. Ex Tim. Constantinopolitano, qui ait (*c*): *Pelagius, & Cælestius nec Episcopi ex ordine sacro fuerunt, & velut monachi vagabantur*; ergo non erant cœnobitæ, queis vagari non sinitur.

Natus est Cælestius circa ann. 370. Pelagio adhæsit circa ann. 400. scripsit contra peccatum originale ann. 408., cum Pelagio in Siciliam venit ann. 409. Carthagine damnatus ann. 412. Ephesum aufugit, ibique fit presbyter. Inde ejectus ann. 416. C. P. petiit. Hinc pulsus, Romam concessit, ibique a Zosimo damnatur ann. 418. Ex urbe ejicitur decreto Constantii ann. 421. Fertur tamen, apud potentes fœminas latitasse. Ex quibus constat, ipsum in vulganda hæresi fuisse audacissimum, unde *Cælestiana* etiam ab eo dicta est.

Prop. III. Julianus Eclani natus est, cujus urbis fuit Episcopus, non Atellæ.

Ita Norisius, Pagius &c. contra Baronium, aliosque. Prob. I. ex vetustiss. Cod. inter quos Chron. Prosperi habet *Eclanensem* non *Atellanensem*, ut constat ex notis Ducæi, & Rosweidi ad carm. 14. Paulini. Sic etiam habent editiones Scaligeri, & Pontaci, aliæque omnes melioris notæ. II. Beda & Gelasius Celanensem appellant, alii *Edanensem*,

 Era-

(a) *Ap. Noris. c. 3. H. Pel.* (b) *De gest. Pel. c. 35.*
(c) *Tom. 10. Op. Aug. ed. Maur. pag. 66.*

Eraclenſem, quæ facile errore amanuenſium ab *Eclanenſis* nomine derivare poterant. Adde, ab Atella, non Atellanenſem venire, ſed Atellanum. Nec obſtat, Cæleſtium dici ab Auguſtino genitum in Apulia, nam Eclanum in Apulia *Peucetia* conſtituunt ex Voſſio Geographi, quamvis ex diviſione Adriani Eclanum ad Campaniam ſpectet, unde a Proſpero Campanus dicitur; Codices ergo Colb. & Auguſt. a Balleriniis laudatos corruptos eſſe, demonſtrant Pagius, & conſtat ex notis to. XI. Antiqu. Rom. Adde, Colb. n. 1286. habere Eclanenſem, non Atellenſem; ergo &c.

Prop. IV. Ia Juliani uxor fuit filia Æmilii viri conſularis, & Epiſcopi Beneventani.

Prob. Noriſius ex epithal. Paulini. Cum enim Paulinus hanc nobiliſſimam fæminam appellet, non prætermiſiſſet ejus parentem, ſi alius eſſet ab Æmilio. Huic conjecturæ, ſi addas verba Fulg., quæ Vignierius profert ex mſſ. Cod. *Nec illi* (Juliano) *ſuſſiciebat paternæ nobilitati Æmiliorum faſces admoviſſe, quos hæreſi maculavit*, rem certam conſtituunt. Adde, Paulinum ibi ſacerdotis *nurum*, & *pignus* Iam appellare; ergo Ia Æmilii ſacerdotis filia, Juliano nupta ſacerdotis etiam nurus evaſit. Unde Paulinus canit: *Sancta ſacerdotis venerando pignora pacto junguntur*. Dices cum Balleriniis: Paulinus Julianum, & Iam vocat Memoris domum, non filiam Æmilii; ergo &c. 2. Iam dicit nurum ſacerdotis, non filiam. 3. Julianum, Iamque *ſacerdotis* pignora dicit, non *ſacerdotum*; ergo &c. 4. Addit, eam per nuptias factam eſſe filiam domus, ac gentis apoſtolicæ; ergo &c. 5. Cenſet Muratorius ex quibuſdam Paulini verſibus, Æmilium eſſe Memoris fratrem; ergo &c.

R. ad I. & II. neg. conſ. Licet Paulinus Iam Æmilii filiam expreſſe non dicat, vocat tamen ſacerdotis pignus. Vide, quæ ſupra diximus in probatione. Ad III. neg. conſ. Sicut enim *ſacerdotis* nomen ſingulare eſt, ita *pignora* plurale; cum ergo

Ia,

la, non fecus ac Julianus, pignus fit facerdotis & nobilitate clara, non alterius eft pignus, quam Æmilii. Ad IV. neg. conf. Dicit enim *facta filia gentis apoftolicæ*, quia Epifcopi nurus facta eft, & uxor Lectoris. Ad V. neg. conf. Nam verfus illi: *Surge Memor, venerare Patrem, complectere fratrem, Pofterius natus fenior, quia fede facerdos*, innuunt, utrumque fuiffe Epifcopum, & fratres charactere, Æmilium quidem ætate juniorem, digniorem tamen Memore munerum auctoritate. Conftat enim ex Paulino Æmilii nomen tunc fuiffe celeberrimum; atque Æmilium a Beneventano diverfum nulla refert hiftoria illius ævi; ergo &c.

Quæres: quænam fuerint gefta, vel fcripta Juliani? R. Julianum fuiffe olim Auguftino cariffimum, cum ob Patris memoriam, tum ob egregiam ejus indolem. Ad Epifcopatum Eclanenfem ab Innocentio promotus eft, ac fame ingruente omnia bona in pauperes erogavit, ac virtutis fpecie plures in fuam hærefim adduxit. Negavit cum Pelagio orig. peccatum, mortem tamen ex Adamo in pofteros derivare affirmavit, fed in poftremis fcriptis ait, etiam Adam non peccante, homines leniter morituros. Aliquam Chrifti gratiam, ad operis incrementum admifit, nullam tamen ad initium, five ad ejus cupiditatem. Epifcopatu expulfus ad Neftorianos fe contulit, fed pœnitentiam fimulans fæpe conatus eft Epifcopatum recuperare, fed obftitit S. Leo tunc diaconus, poftea R. E. Pontifex. Scripfit libros 4. contra Auguftini lib. 1. de Nuptiis. His refpondit S. P. lib. 2. de Nuptiis, quibus fex alios adjacet contra Jul. His oppofuit Julianus libros 8. refpondit S. P. aliis 8. quorum duo poftremi defiderantur, ideoque opus imperfectum vulgo appellantur. Serius ad Aug. pervenere, eofque refellit S. D. an. mortis fuæ 430. Scripfit etiam Julianus ad Zofimum & ad Theffal. Epifcopum libros de Bono Conftantiæ & Amoris caute legendos. Inde vitam egit profugam, & dejectam. De Anniano,

no, Tassidio, aliisque Pelagianis vide Garnerium diss. 1. & Noris. H. P. 19.

CAPUT IV.

De solemni proscriptione hæresis Pelagianæ.

Pelagianam hæresim proscriptam esse constat. I. Conciliorum ac Rom. Pont. decretis. II. Imperatorum constitutionibus. III. Patrum, & præsertim Augustini auctoritate. Sit itaque

Propositio I. Pelagiana hæresis pluribus SS. Conciliorum, ac Rom. PP. decretis proscripta est.

Prob. I. enim damnata est a Conc. Carthag. an. 412. II. ab Hierosolymitano an. 415. ibique Orosius cum Pelagio disputavit. III. eodem anno habita est Synodus Diospolitana 14. Episcoporum, de qua sup., sed ibi Pelagius absentibus accusatoribus absolutionem suffuratus est. IV. An. 416. celebrata est altera Syn. Carth. & Milevitana a Sylvano Numidiæ Præside. V. An. 417. in Romana Synodo ab Innoc. I. Pelagius damnatus est, & in C. P. ab Attico celebrata Cælestius, eodemque anno Zosimus R. P. detexit Pelag. fraudes, & Innocentii damnationem firmans firmavit. Circa hæc tempora Synodus Antiochena a Theodoto coacta est, & Africana 224. Episcoporum. VI. An. 419. habita est Anaxati Synodus contra Julianum. VII. An. 424. coacta est Syn. C. P. VIII. Ann. 425. Romæ Pelagiana hæresis a Cælestino proscripta est, quo tempore habita est universalis Africana. IX. An. 427. Arelatensis celebrata est a S. Honorato. X. An. 429. Anglicana contra Agricolam Pelagianum. XI. An. 430. Romana altera a S. Cælestino coacta est, contra Pelag. XII. Ann. 431. Pelagianos damnavit Oecum. Ephesina; ergo &c.

Propositio II. Extant adversus Pelagianos etiam constitutiones Imperatorum.

Prob. I. enim Honorius, ac Theodosius Pela-

gium

gium ac Cælestium damnarunt dato Ravennæ ad Palladium V. C. decreto ann. 418. ut ab Urbe pellerentur. Ann. 419. idem decretum innovatum est ad Aurelium Carthaginensem datum Ravennæ 5. Idus Julias. An.421. Pelagianos adhuc Romæ latitantes exturbavit misso ad Volusianum U. Præf. edicto. An. 425. eandem legem edidit Valentinianus. An. 429. idem præstitit Theodosius Junior. His edictis alii ab Episcopatu ejecti sunt, ut Julianus, alii ab errore revocati, ut Turbantius; ergo &c.

Propositio III. Patres etiam Pelagianam hæresim impugnarunt.

Prob. I. Hieronymus contra Pelag. scripsit epistolam ad Marcellinum, alteram ad Ctesiph.. An. 415. tres dialogos inter Atticum, & Critobulum, cujus nomen a græco κρίνειν, & βȣλή, quod in Cælestio Pelagius fuerit in Syn. Carthag. damnatus. Atticus nomen est viri, qui vehementer exagitavit Pelagianos. Urget etiam Hieron. Pelagianos in Præf. in 4. lib. in Jer. & in epistolis ad Alipium, & Aug. an. 419. conscriptis.

II. S. P. A. Pelagianos errores, antequam vulgarentur, præfocaverat in lib. de Arb. de 2. animabus, in q. ad Simpl., & in serm. ad populum 170., 174. 175. 176. Irrumpente Pelagianismo edidit an. 412. libros 3. de pecc. merit. & remiss. in quibus Pelagius laudatur, nondum ejus hæresi cognita. Eodem anno librum edidit de spir. & lit., ubi præter legem, gratiæ Dei necessitatem propugnat, & epistolas 120., & 140. ad Honoratum, in quibus Pelagiani exagitantur. An. 413. eosdem perstrinxit sermone 14. de verbis Apostoli in celebri Conv. Carth. An. 414. epistolam dedit 89. ad Hilarium contra Pelagianos Siciliæ. An. 415. librum edidit de perfect. just. contra definitiones Cælestii, Epistolas binas ad Hieron. & librum de natura, & gratia, ubi ostendit S. P., naturæ vitia non ad institutionem pertinere, sed ad vindictam. An. 416. epistolas dedit ad Jo. Jeros.

alios-

aliosque, ibique narratur Pelagii damnatio in Carthaginensi, ac Milevitana Synodo. An. 417. scripsit lib. de Gestis Pelagii, ubi de Synodo Palæstina, nec non epistolas ad Julianam, & Dardanum, & ad Paulinum. An. 418. libros edidit de gratia Christi, & de peccato orig., ubi de adjutorio *possibilitatis*, & *operationis*, de peccato Adæ, de Nuptiis, & de Bapt. effectibus disputatur; dedit etiam epistolam ad Xistum & ad Optatum, sicut & librum de Nupt., & concup. An. 419. lib. de anima, ubi Manichæi, & Pelagiani refelluntur. An. 420. edidit librum 2. de Nuptiis, ubi objecta Juliani diluit. Adversus lib. de Nuptiis epistolam ad Vitalem, & Bonifacium. Libros 4. contra 2. epistolas Pelag. An. 421. Enchiridion scripsit ad Laur., & responsiones ad quæst. Dulcitii. An. 424. libros de gratia, & lib. arb. & de Corr. & Gr. An. 426., & 427. edidit retract., in quibus passim Pel. Hær. profligatur. Contra Jul. diversis temporibus stylum acuit S. P. An. 420. lib. 2. de Nupt. An. 421. sex libros notissimos contra Julianum ipsum, & morti proximus addidit opus imperf., de quo sup. An. 429. libros edidit de Præd. SS. & de Don. persev., in quibus Pelagianorum reliquiæ prostratæ sunt. Obiit autem strenuus fidei Vindex 5. Kal. Sept. ann. 430.

III. Scripsit etiam advers. Pelag. incertus Auctor Hypognosticon, seu subnotationum libros 6. in quibus in unum contraxit Aug. opera contra Pelagianos. Hos vero tribuunt quidam Xysto Romano, alii Mercatori, sed ab hujus eruditione ac stilo longe absunt.

CAPUT V.

De variis statibus Pelagianæ hæreseos.

Tres distinguimus Pelag. hæresæos status diversos. Primus est, in quo Pelagius nullum interioris gratiæ adjutorium agnovit, sed solum arbitrium, legem, & doctrinam. Secundus est, in quo

quo interiorem gratiam admisit ad facilius operandum. Tertius est, in quo etiam revelationes internas admisit ex parte intellectus, non ex parte voluntatis. His prænotatis sit

PROPOSITIO I. Pelagius in 1. statu necessitatem legis admisit.

Prob. I. ex Conc. Carth. in ep. ad Innoc., ubi habetur, Pelagium asserere, *in eo Dei gratiam deputandam, quod talem hominis instituit naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei posset implere.* II. Palæstina Syn. hanc Pelag. prop. damnavit: *Gratia Dei in libero arbitrio est, in lege, atque doctrina.* III. S. P. de gratia Christi 3. ait, Pelagium *gratiam Dei, aut in natura, & arb., aut in lege, atque doctrina* constituisse. IV. Idem expresse docet Pelag. ep. ad Demetriadem.

Dices. Lex, & doctrina secundum Pelag. dogmatis statum constituit, non primum; ergo &c. R. neg. ant. Nam prima Pelag. hæresis est, quæ in ep. ad Demetr., & in libris Pelagii de lib. arb. latet, quæ in prima Syn. contraPelag. damnata est, quæque naturæ possibilitatem a Pelagio decantatam spectat: sed in his legem ac doctrinam, vel naturalem vel revelatam complectitur; ergo &c.

Ob. S. P. l. 1. de Hær. c. 88. ait, Pelagium adeo gratiæ inimicum fuisse, ut crederet sine hac posse hominem divina præcepta servare; ergo &c. 2. ait, Pelagium *increpatum a fratribus, quod nihil gratiæ tribueret, cessisse dicendo, gratiam dari, ut facilius possent implere per gratiam: illam vero gratiam, sine qua nihil possumus, non esse nisi in libero arbitrio, quod Deus adjuvaret per suam legem, atque doctrinam.* In eo itaque statu necessariam legem agnovit, in quo increpatus agnovit gratiam *ad facilius operandum*, sed hic status non est primus, sed secundus; ergo &c. 3. Aug. de Gest. Pel. 23. ait, quod post Syn. Palæst. Pelagius gratiam appellavit arbitrium *non aperte ei conjungens legis adjutorium;*

ergo

ergo ante Syn. Pal. in primo ſtatu ſolum arbitrium agnovit ſine lege R. neg. conſ. Ibi enim docet S. P., Pelagium etiam legem, & doctrinam ſignificare. Nam præcepta ſervari non poſſunt, niſi per legem proponantur. Ad II. diſt. maj. *Increpatus* &c. agnovit veram gratiam *ad facilius*, ſed abſolute neceſſarium ſolum admiſit arbitrium cum legis ac doctrinæ adjutorio, conc. ſecus, neg. Ad III. diſt. ant. Non aperte in eo libello, conc. nullibi, neg. Subdolus enim tergiverſator non ſemper expreſſit, quod ſemper admiſit; ut rogatus, an aliam gratiam præter arbitrium agnoſceret, reſponderet, ſe etiam legem, atque doctrinam admittere.

Prop. II. Pelagius in ſecundo ſtatu veram gratiam admiſit *ad facilius*, non *ad ſimpliciter*, & ex meritis comparatam. Prob. I. ex Aug. cit. loc. de Hær. & ex l. de gratia Chriſti, ubi ait, quod Pelag. dicit, propterea dari gratiam, *qua caritas diffunditur in cordibus noſtris, ut quod a Deo præcipitur, facilius impleatur.* Sed gratia diffuſa per Spiritum ſanctum eſt vera gratia; ergo &c. 2. S. P. ait, ſanum fore Pelag. ſenſum, ſi tolleret *facilius*; ergo &c. Quod vero Pelagius exiſtimaverit, gratiam iſtam naturæ meritis rependi, conſtat ex l. de gratia Chriſti 31. ubi ait: *Manifeſtum eſt, eum dicere, gratiam ſecundum merita dari.*

Prop. III. Pelagius tandem admiſit gratiam internæ illuminationis etiam ſimpliciter neceſſariam, non vero excitantem voluntatem. Prob. prima pars a Valentia, Suareſio, Simoneto, Petavio, Tournelyo, a Thomiſtis, & Aug. contra Leſſium, de Lugo, alioſque perpaucos. I. Auctoritate Aug. qui c. 7. de gratia Chriſti ait: *Explicaturus* (Pel.) *quam dicat gratiam, adjunxit: quam nos non in lege tantummodo, ſed & in Dei eſſe adjutorio confitemur. Adjuvat enim nos per doctrinam, & revelationem ſuam, dum cordis oculos aperit, dum futura demonſtrat, dum diaboli pandit inſidias, dum ineffabili dono gratiæ cæleſtis illuminat*; ergo &c. R. Adverſ. ex cit. Aug.

Aug. loco folam externam legis, & doctrinæ gratiam evinci; fed contra eft. I. enim fatetur Pel. *gratiam non in lege tantum, fed in Dei effe adjutorio*, ideft per *doctrinam & revelationem* ; ergo non adjutorium legis intelligit, fed revelationem aliam internam. II. S. P. c. 11. oftendit, revelationem non effe veram Chrifti gratiam, quia nullus pervenit ad Pauli revelationes, cui tamen caritate opus erat, ne inflaretur &c. atqui revelationes Pauli non erant folum externa Dei lex, fed gratia interior ex parte intellectus; ergo &c. III. Fatetur Pel. ex Aug. c. 41. oratione opus effe, ut doctrina etiam divina revelatione aperiatur; fed qui orat habet exteriorem doctrinam; ergo internam revelationem poftulat, quam non habet. Dices. S. P. ibi ait : Pelag. *in his omnibus non receffit a commendatione legis, & doctrinæ*; ergo &c. R. dift. ant. Non receffit, quia lex &c. non adjuvat voluntatem, ut agat, conc. quia non illuminat intellectum, ut videat, neg. Quamvis ergo Pel., præter externam Dei legem atque doctrinam, etiam revelationem admiferit, & *ineffabilis gratiæ cæleftis illuminationem, tamen non receffit a commendatione legis atque doctrinæ.* Nam, ut ait S. P. *ad doctrinam pertinet etiam, quod fapientia revelatur ad doctrinam, cum fuadetur omne, quod bonum eft.* Prob. fecunda pars. Cum Thomiftis, Lovanienfibus &c. Nam S. P. A. id unum poftulabat a Pelagio, ut non folum fateretur adjuvari a Deo poffibilitatem per illuminationem mentis, *fed etiam ipfam voluntatem, & actionem*, hoc admiffo, fubdit S. P. *nihil inter nos controverfiæ relinquetur* ; atqui fi Pelag. hoc adjutorium etiam ex parte voluntatis, non *ad facilius* tantum, fed etiam ad *fimpliciter* admififfet, jam effet controverfiæ finis; ergo &c.

Prob. III. pars. Pelagius enim per multiformem illuftrationem nufquam receffit a commendatione legis, & doctrinæ, cum ea fe teneat ex parte intellectus, non voluntatis; ergo &c. Enimvero *gratia agitur non folum ut facienda noverimus*

 (quod

(quod gratia Pelagiana præſtabat), *verum etiam, ut cognita faciamus*, ait S. P. de Gratia Chriſti 12. Et c. 33. *Nos illam gratiam in eorum confeſſione requirimus, de qua dicit Apoſtolus: dedit nobis ſpiritum virtutis, & caritatis. Non eſt autem conſequens, ut, qui habet donum ſcientiæ, quo noverit, quid agere debeat, habeat etiam caritatis, ut agat.* Hinc Milev. Syn. Pelagianos damnavit dicentes, gratiam Dei id unum præſtare: *ut ſciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem, ut, quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus.* Ex quibus conſtat, veram Chriſti gratiam non fateri, qui ſolam mentis illuminationem admittunt trahentem voluntatem ſola revelatione præceptorum, niſi hanc illuminationem fieri dicant inſpiratione virtutis voluntatem roborantis. I. Enim hæc illuminatio ſe tenens ex parte objecti, licet interior, & ſingularis, cum detur ad hoc, ut divina præcepta, & promiſſa diſcamus, non recedit a munere legis, & doctrinæ; non eſt ergo vera Chriſti gratia, quam contra Pelagianos propugnavit Auguſtinus. II. Hac gratia adjuvatur *tantum poſſibilitas*, non datur adjutorium voluntatis, & operis; ergo &c. III. Pelagius motionem illam moralem non denegavit, ait enim apud Aug. de gratia Chriſti 10. *quod præmiorum pollicitatione, ac revelatione ſapientiæ ſtupentem ſuſcitat voluntatem, ſuadet omne quod bonum eſt*; ergo Pelagius motionem moralem ſive extrinſecam, ſive internam non negavit. IV. Semipelagiani, auctore Petavio H. P. c. 9. *Gratiam Chriſti non in ſola externa legis propoſitione, ſed in interna voluntatis excitatione, verum metaphorica, & morali* (poſitam putabant) *nihilominus eos Proſper queritur, nullas alias gratiæ Chriſti mandaſſe partes, quam doctoris, monitoris, ac forinſecus inſonantis*; ergo per motionem moralem vera Chriſti gratia non prædicatur. V. Proponere voluntati præcepta, eamque movere tantum moraliter, eſt monere hominem, non adjuvare, & impertiri do-

num

num ſcientiæ, non caritatis, eſt commendare legem, non gratiam; ergo &c.

Ob. S. P. l. 1. contra duas ep. Pel. ait; *Vos*, Pelagiani, *ſic putatis, adjuvari hominem gratia Dei, ut in excitanda ad opus bonum voluntate, nihil eam credatis operari;* ergo Pel. nullam gratiam interiorem admiſere. R. diſt. conſ. Nullam gratiam caritatis adjuvantem hominis voluntatem, ut agat, conc. nullam gratiam illuminationis, & donum ſcientiæ, qua norit quid agere debeat, neg. Vid. Prop. III.

Inſt. I. S. P. de Gr. 3. 4. &c. ait: Pelagium nuſquam receſſiſſe *a commendatione legis, & doctrinæ;* ergo &c. R. neg. conſ. Qui enim interiorem illuminationem, non caritatis inſpirationem cum Pel. admittit a commendatione legis non recedit, ut ſupra dictum eſt.

Inſt. II. Concilia, ac Patres aſſerunt, Pelagium nunquam Chriſti gratiam fuiſſe confeſſum; ergo &c. R. diſt. ant. Aſſerunt Patres, Pelagium nunquam fuiſſe confeſſum veram Chriſti gratiam, quæ non ſolum intellectum illuminat, ſed etiam voluntatem inflammat, conc., ſecus nego.

Inſt. III. Plures ſcholaſtici ſtatuunt Chriſti gratiam in interna revelatione, quæ objective, & moraliter attrahit voluntatem; ergo &c. R. diſt. maj. Quæ moraliter attrahit, ut doctor & monitor externus oſtendens quid ſit agendum, neg. præbens intrinſecum voluntati adjutorium, licet non ſit natura ſua efficax, concedo.

Propositio IV. Non eſt Pelagianus error arbitrii indifferentia, niſi dicatur, indifferentiam idem eſſe ac æquilibrium ejuſdem liberi arbitrii, & naturam per ſe poſſe ex æquo bonum & malum.

Prob. I. pars ex damnata propoſitione Janſeniana, quæ ait, ad merendum, vel demerendum non requiri libertatem indifferentiæ. II. S. P. l. 2. de Nupt. 3.: *Non itaque, ſi quis liberum arbitrium dixerit, Pelagianus vocatur: Iſtud quippe catholica*

 fides

fides dicit; ergo &c. Prob. ſecunda pars ex Auguſtino, qui poſt citata verba ait: *Sed ſi quis ad colendum recte Deum, ſine ipſius adjutorio, dicit eſſe in hominibus liberum arbitrium, ipſe Pelagianus vocatur;* ergo in eo tantum reprehenduntur Pelagiani, quod vires arbitrii vellent ita eſſe robuſtas, ut per ſe ex æquo poſſent bonum & malum (1).

CAPUT VI.

An Pelagius habitualem gratiam negaverit.

PELAGIUM habitualem gratiam negaſſe cenſet Vega, Suarez, Tournelyus, aliique. Docent oppoſitum, non ſolum Janſenius, ſed etiam Gonetus, Martinonus, &c. Nos vero dicimus, habitua-

(1) Longum eſſet ſingula Auguſtini loca producere, queis S. D. Pelagii, ac Juliani æquilibrium, eorumque fallacem ſtateram evertit. *Libra tua*, ait S. D. l. 2. Op. Imp. n. 118., *quam conaris ex utraque parte per æqualia momenta ſuſpendere, ut voluntas quantum eſt ad malum, tantum etiam ſit ad bonum libera, vergendo in unam partem te indicat delirantem.* Ut enim optime monet S. D. l. de Corr. & Gr. c. 12., *ſi in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipſis* (Protoparentibus) *relinqueretur voluntas ſua, inter tot & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut poſſent.* In primo ergo homine utpote integro, qui quidem accepit *poſſe, ſi vellet,* licet non habuerit *velle, quod poſſet*, locum habet hoc æquilibrium, in lapſo autem (ſi fides Auguſtino) non item. Verum de hoc argumento fuſius agemus lib. XIV., ubi de gratiæ efficacia ſermo erit.

tualem gratiam a Pelagianis fuiſſe admiſſam, non tamen in ſenſu catholico. Sit itaque

Prop. I. Pelagius habitualem gratiam agnovit, ſed non in ſenſu catholico.

Prob. prima pars. I. Enim hunc errorem nec Africana Concilia, nec S. P. imputarunt Pelagianis; ergo &c. II. Pelagiani apud S. P. l. 1. contra Julianum c. 6. docebant, parvulos eſſe baptizandos, *ut eis addatur ſanctitas, juſtitia, adoptio, hæreditas, & fraternitas Chriſti;* atqui eadem docuit Chryſoſt. hom. de baptizatis; ergo &c. III. Lib. de Gratia Chriſti c. 37. S. P. A. ait: *Naturam in melius inſtauratam*, a Pelagio admiſſam, *remiſſionem intelligi peccatorum*, IV. Conc. Milev. Pelagium damnat, quia aſſeruit, *gratiam, qua juſtificamur, valere ad remiſſionem peccatorum, quæ commiſſa ſunt, non ad adjutorium, quo non committantur;* ergo &c.

R. Suarez: Pelagium ſtatuiſſe remiſſionem peccatorum, ut Novatores, in ſola imputatione juſtitiæ; ergo &c. Sed contra eſt. Pel. enim ep. ad Demetr. gratiam admiſit, qua in meliorem hominem renaſcimur, quæ animam ornat, redditque ſine macula, & ruga; ſed hæc gratia non eſt extrinſeca; ergo &c. II. Concilia, ac Patres id unum in ea gratia improbant, quod Pelagius cum ea non conjunxerit adjutorium ad vitanda peccata, & ſecundum merita dari crediderit; ergo his erroribus exploſis Pelagius veram gratiam admiſit.

Prob. ſecunda pars ex Aug. de Gr. c. 30. ubi ait; *Gratiam, qua juſtificamur, in Pelagii & Cœleſtii ſcriptis, nuſquam eos inveni, quemadmodum confitenda eſt, confiteri;* ergo &c. Reapſe Pelagius ait, *non a Deo, ſed a ſe ipſis homines habere gratiam, qua liberamur ab impietate, & hanc ſecundum merita noſtra dari*, & in eo poſitam eſſe, *ut ignoſcat præterita, non ut adjuvet ad futura vitanda*, ut ait S. P. de Nat. & gr. 34. ergo &c.

Ob. I. Suarez: Dona habitualia propter actus ſupernaturales dantur; ergo his ablatis tollitur

etiamhabitus ſupernaturalis. II. Concilia & Patres Pelagium non damnarunt: quia Pelagius expreſſe de iis non tractavit, & quia hæc doctrina non erat declarata; ergo &c. III. Gratiam adoptionis, ait Pelagius, eſſe in adultis præmium meritorum, ſed gratia habitualis non eſt præmium meritorum, ſaltem, quæ naturæ viribus comparantur; ergo &c. R. ad I. neg. ant. Nam habitus ſupernaturalis in ſenſu Pelagii datur ad decorem, & ornatum animæ, ut ea ſit templum Spiritus ſancti &c. Ad II. neg. ant. Concilia enim, & Patres non ſolum de gratia actuali Pelagiana, ſed etiam de lege & doctrina, de remiſſione peccatorum tractarunt, in qua cum id ſolum reprehenderint quod Pelagius ab ea ſejunxerit actuale auxilium, ſequitur, illam gratiam non negaſſe. Ad III. diſt. conſ. Pelagius non admiſit gratiam habitualem in ſenſu catholico, conc., nullo modo, neg. Solutio patet ex dictis.

Op. II. Suarez. S. P. l. 7. de Grat. c. 6. ait, *ſive, Pelagius, gratiam dixerit eſſe liberum arbitrium, ſive remiſſionem peccatorum, nihil eorum dicit, quod per ſubminiſtrationem Spiritus ſancti pertinet ad tentationes vincendas;* ergo &c. II. S. P. de Gratia c. 2. ait, per Pelagium nos ſalvari *non ſubminiſtratione virtutis, ſed viribus voluntatis;* ergo &c. III. Conc. Milevitanum damnans can. 3. gratiam ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, videtur damnare Pel., eo quod remiſſione peccatorum gratiam habitualem non agnoverit. IV. S. P. ait, in Pelagio non inveniſſe gratiam, qua juſtificamur; ergo &c. R. ad I. & II. neg. conſ. Vult enim ibi S. P., Pelagium non agnoviſſe gratiam actualem voluntatis, & operis, quæ datur per ſubminiſtrationem Spiritus ſancti ad tentationes vincendas, non vero quod juxta Pelagium fiat peccatorum remiſſio ſine interioris gratiæ infuſione. Ad III. neg. ant. Nam Conc. Milev. definit, non ſolum pertinere ad gratiam, quod remittantur peccata, ſed etiam quod non committantur: primum fatebatur Pela-

Pelagius, non fecundum. Ad IV. vid. R. ad Ob. I. num. 3.

Propositio II. Præter habitualem gratiam neceffe eft ad actus fupernaturales actuale adjutorium.

Prob. I. Scripturis. Pf. 26. ait David: *Adjutor meus efto, ne derelinquas me, neque defpicias me* &c. ad quæ verba Innocentius ep. ad Patres Carth. ait: *David adjutorem fibi Deum, & affiduum invocat, ne aliquando illum defpiciat, orationibus pronus exoptat:* & poft pauca: *quotidiana præftat remedia, quibus, nifi nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores.* Eadem habet in ep. ad Patres Milevit. II. Jo. 10. Chriftus ait Apoftolis, *fine me nihil poteftis facere.* Ut enim ait Ambrofius apud Aug. de Gr. 45. *Si Petrus lapfus eft, quis alius jure de fe præfumat?*

Prob. II. ex fecunda Araufícana Syn. can. 10. *Adjutorium Dei etiam fanctis femper eft implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poffint opere perdurare.* Hinc Cæleftinus Romanus Pontifex ep. ad Epifcopos Gall. ait: *filios Dei, ut bonum agant paternis infpirationibus tangi.*

Prob. III. ex Patribus. Aug. de Gr. c. 25. ait: *Profecto, ut agant quod bonum eft, ab illo aguntur, qui bonus eft:* & l. de Corr. 2. gratiam fingulis neceffariam, *infpirationem bonæ voluntatis, atque operis* appellat. Prob. IV. ratione theol. I. Juftus auxilium gratiæ quotidie poftulat, fed *cur petitur, quod ad noftram pertinet poteftatem, fi Deus non adjuvat voluntatem?* II. Habitus fe tenet ex parte actus primi; ergo adjuvat non operationem, fed poffibilitatem. III. Adam præter originalem juftitiam indigebat adjutorio actuali *fine quo;* ergo a fortiori ejus pofteri infirmi.

Dices quævis potentia naturalibus habitibus in actum prodire poteft; ergo etiam fupernaturalibus. R. dift. ant. Cum divino concurfu, conc., abfque concurfu, neg. Et retorqueo argumentum: natu-

ralis habitus indiget divino concurſu; ergo a fortiori eo indiget habitus ſupernaturalis.

Dices II. Concilium Milev. definit gratiam, qua juſtificamur, nedum remiſſionem peccatorum, ſed etiam adjutorium conferre, ne committantur: ergo &c. R. neg. conſ. Concilium enim ibi damnat Pelagium, qui ait, gratiam juſtificationis conferre tantum animæ ornatum, non adjutorium & virtutem, qua quidem ex D. Th. indiget dupliciter, I. *Ut corrupta natura ſanetur, & elevetur ad opera meritoria*, II. Ut *a Deo moveatur ad agendum:* ſic oculus, ait S. P. A., etiam ſanus candore lucis eget, ut actu videat.

Dices III. Spiritus ſanctus per habitualem gratiam habitat in nobis, ſed Spiritus ſanctus eſt omnipotens; ergo omnia poſſumus per hanc gratiam. R. diſt. maj. Habitat ſanando, & juſtificando, conc., præbendo virtutem, ſubdiſt. Per gratiam habitualem, neg. per actualem, conc. Eſt enim actualis gratiæ munus præbere virtutem, non vero munus gratiæ habitualis.

DISSERTATIO II.

De Catholico dogmate, atque ſcholarum placitis circa gratiam Chriſti.

PELAGIANIS erroribus e diametro opponitur dogma Catholicum, & ſcholæ doctrina circa gratiam Chriſti, cujus naturam, partitionem, efficaciam &c. hoc loco inveſtigare curabimus.

CAPUT I.

De gratiæ natura.

NOT. I. Quamvis naturæ dona, atque ipſa creatio, *quia non meritis, ſed gratuita Dei bonitate donata eſt*, ut ait S. P. ep. 177. gratia Dei lato modo dici poſſit, gratiam tamen proprie loquendo dicimus hoc loco, beneficium nobis divina

libe-

liberalitate collatum, ad comparandam beatitudinem, intellectum illuſtrans, ac voluntatem inflammans.

Not. II. Non conveniunt Theologi in quo actualis gratiæ natura ſtatuenda ſit. Plures Thomiſtæ in actuoſa qualitate conſtituunt, quæ phyſice noſtrum velle operatur, ſed licet gratia phyſice non moraliter voluntatem præmoveat, quid ſit illa qualitas non percipitur, nec proinde a Gonzalez, aliiſque Thomiſtis probatur. Alii gratiæ naturam conſtituunt in motibus indeliberatis intellectus & voluntatis, quos aliqui fieri putant, aut a Deo ſine nobis, ut Alvarus, Capreolus &c., vel etiam ab animæ potentiis, ut inter alios plures noſtrates. Maignanus in motione Dei actus indeliberatos præveniente. Eſtius aliique in voluntate ac miſericordia Dei nobis intime præſenti, & in nobis gratuito ſalutares effectus operante: quæ ſententia exprimit principium gratiæ, non naturam. Sit ergo

Propositio. Gratia eſt actus intellectus & voluntatis ſed magis in delectatione, quam in illuminatione ſita eſt, eaque fit motione Dei, quæ eſt ipſa Dei miſericordia, & voluntas præbens caritatem, & qualitas dici poteſt.

Prob. I. Pars I. Scripturis, quæ gratiam vocant lucernam, benedictionem dulcedinis, dilectionem, & caritatem (1), idque verbis pulſandi, vocandi, trahendi, ſed hæc interiorem mentis actum deſignant; ergo &c. II. Cæleſtinus R. P. ep. ad Gall. Epiſcopos c. 8.: *Præparatur*, inquit, *voluntas a Domino, & ut boni aliquid agant, ipſe tangit corda fidelium.* III. Trid. Syn. Gratiam vocat, prævenientem Spiritus ſancti inſpirationem. IV. S. P. l. 2. de Pecc. mer. c. 17. ait, gratiæ munus eſſe, ut in-

 no-

(1) Caritatis nomine, calato modo intelligi quodcumque dilectionis & amoris genus a Deo infuſum, non vero ſolum caritatem juſtificantem, unicuique compertum eſt.

notescat quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat. V. Accedit ratio theol. Bonum enim non facimus, vel quia latet, vel quia non delectat; ergo gratia intellectum illuminat, & voluntatem inflammat. Prob. II. pars I. ex Prop. 3. c. 5. II. S. P. de Gr. 9. ait: *Plenitudo legis caritas non per legem diffusa in cordibus nostris, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, ut lex per gratiam impleatur;* ergo gratia, qua legem implemus per Aug. est caritas. Et c. 21. *Cum scriptura dicat, Deus caritas est, quare*, Pelagius, *contendit, quod tantummodo possibilitatem habeamus ex Deo, bonam vero voluntatem, & actionem ex nobis: Quasi vero aliud sit bona voluntas, quam caritas;* ergo gratia bonæ voluntatis, & actionis, quam Pelagius negabat, est caritas.

Prob. III. ratione. I. Licet mentis illuminatio beneficium Dei sit mandata ejus ostendens, & mentis tenebras pellens, præstat tamen, ut cognoscamus, quid agere debeamus, non facit, ut faciamus; ergo spectat ad gratiam possibilitatis, non ad adjutorium operationis. II. Ea gratia est proprie actualis, quam Pelagius nusquam confessus est, atqui Pelagius negavit gratiam per *inspirationem flagrantissimæ caritatis;* ergo &c. III. Gratia est radix & principium bonorum operum, atqui *non est actus bonus, qui de caritatis radice non sit,* ait S. P. de Sp. & lit. 14. ergo &c. IV. Caritas est pondus animi, & illud operamur, quod delectat, juxta illud Poetæ *trahit sua quemque voluptas;* ergo &c.

Prob. tertia pars, nempe hanc gratiam in motione consistere præveniente caritatem, eamque esse increatam, sive Dei benevolentiam inspirantem actum dilectionis, non gratiam creatam, & dilectionem ipsam, qua voluntas ad opus bonum movetur. Nam S. P. per gratiam caritatem diffundi in cordibus nostris ubique testatur. Cælestinus cit. ep. ait, *omnes motus bonæ voluntatis referri ad*

Dei

Dei gratiam, qua præparatur voluntas. Gratia vero ex parte noſtra eſt gratuitus ipſius divinæ motionis affectus, ſive amor & delectatio. Hinc S. Thomas 1. 2. q. 100. ait, *in eo, qui dicitur gratiam Dei habere, ſignificatur, eſſe quidam effectus gratuitæ Dei voluntatis*; ergo gratia, quæ per D. Th. ex parte Dei eſt Dei miſericordia, per quam interius motum mentis operatur, ex parte noſtra eſt gratuitus ejuſdem voluntatis effectus, eſt motus animi, amor, caritas, delectatio &c.

Prob. quarta pars. Quamvis enim gratia per D. Thomam ſit motus animi (motus autem non eſt qualitas, ſed actus penes Peripateticos), ſi tamen qualitatis nomine id intelligas, quod non pertinet ad naturam, illamque aut adjuvat, aut perficit, aut exornat, certum eſt, gratiam eſſe de genere *qualitatum:* quia homo gratia præventus virtutem habet ſupra naturæ vires, & poteſt ſupernaturalem beatitudinem adipiſci; ergo &c.

Corollarium. Ex his conſtat optimam eſſe gratiæ definitionem ab Auguſtino traditam l. 4. ad Bonif. c. 5. *Gratia eſt inſpiratio dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus.* Deus enim dilectionem inſpirans eſt gratia ex parte Dei ſpectata, ſive voluntas, ac miſericordia Dei, ſive Deus ipſe bonam voluntatem inſpirans. *Inſpiratio dilectionis* eſt Dei motio intellectum illuminans, & inflammans; ſed caritas, quæ nobis inſpiratur, eſt motus animi, & ſancta delectatio trahens ad opera ſalutaria, & faciens, ut faciamus; ergo ex parte noſtra gratia vere & proprie in caritate conſiſtit.

Ob. I. Gratia eſt neceſſaria ad omne opus bonum; ergo etiam ad caritatem, quæ eſt opus bonum. II. Gratia prævenit caritatem; ergo non conſiſtit in caritate. III. Caritas eſt actus ſupernaturalis; ergo præſupponit principium intrinſecum. IV. Gratia eſt illuminatio, inſpiratio &c.; ſed hæc vim effectricem deſignat, cujus ope anima illuminatur; ergo &c. V. Per gratiam Deus operatur in nobis

ſine

ſine nobis; ſed caritas ſine voluntate non producitur; ergo &c. VI. Intellectus ad ſupernaturaliter operandum eget qualitate intrinſeca, ut eſt fides, lumen propheticum, vel gloriæ &c.; ergo & ex parte voluntatis neceſſaria eſt, ut bonum velit & diligat.

R. ad I. diſt. min. Eſt bonum primum & radix aliorum, quod a Deo inſpiratur ſubminiſtratione Spiritus ſancti, conc., ſecus, neg. Ad caritatem ergo neceſſaria eſt gratia increata, ideſt Dei voluntas mentem illuminans, & inflammans: ad alia vero bona neceſſaria eſt ipſa caritas. Ad II. neg. conſ. *Caritas enim, qua Deus diligit nos, prævenit caritatem, qua nos eum viciſſim diligimus*, ait Eſtius in 2. Sent. diſt. 26. Ad III. diſt. conſ. Præſupponit &c., ideſt intimam Dei motionem, conc., qualitatem a Dei motione diverſam, neg. Vide prob. quartam. Ad IV. diſt. min. Vim effectricem deſignat, ſi ſpectetur ex parte Dei, conc., ex parte noſtra, neg. Vid. coroll. Ad V. diſt. min. Sine voluntate tamquam principio vitali non producitur, conc., ſine voluntate, ideſt ob meritum aliquod naturale, neg. Ad VI. R. eandem eſſe de intellectu, ac de voluntate rationem, atque actualem fidei illuminationem, & propheticum lumen nil aliud eſſe, quam mentis illuſtrationem a Deo productam, eaque relate ad Deum eſt ejus præſentia tenebras pellens, relate ad mentem noſtram eſt hujus irradiatio & motus.

CAPUT II.

De vario gratiarum genere.

NOT. I. Gratia dividitur in *gratis datam*, & in *gratum facientem*. Prior ad proximorum utilitatem Dei liberalitate tribuitur: ſecunda ad eorum ſalutem ordinatur. Quamvis enim gratia quævis ſit *gratis data*, ſic tamen dicitur communiter, quæ hominem non reddit Deo gratum, vel formaliter, ut gratia habitualis, vel diſpoſitive, ut actualis.

Not.

Not. II. Gratia alia eſt præveniens, alia ſubſequens. Prima eſt, qua Deus operatur in nobis primum ſanctæ cogitationis & dilectionis motum. Secunda, quæ priorem motum ſubſequitur, ut homo opus ſalutare perficiat. De prima habetur Pſ. 58. *Miſericordia ejus prævenit me;* de ſecunda Pſ. 22.: *Miſericordia tua ſubſequetur me.* Primo enim Deus mentem illuſtrat, & pium deſiderium inſpirat. Deinde ſanat languorem animi, ad opus adjuvat, regitque ut illud perficiat, tandem perſeverantiam largitur, & coronat in miſericordia. Alia ergo ſanctæ dilectionis inſpiratio ad prævenientem gratiam ſpectat, alia ad ſubſequentem. Gratia *præveniens* dicitur etiam ab Auguſtino gratia *operans*, ſicut gratia ſubſequens *cooperans* appellatur. Illa enim operatur primam bonam voluntatem, hac vero bona deſideria executioni mandantur. *Ut velimus*, ait S. P. de Gr. & Arb. 17., *operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens, ut velimus ſine nobis operatur, cum autem ſic volumus, ut faciamus nobiſcum cooperatur.* Eadem gratia præveniens, prout animum excitat a ſomno vitiorum, *excitans* appellatur, prout adjuvat excitatum, ut opus bonum perficiat, dicitur *adjuvans.* Quæ gratiarum nomina ſæpe extant apud Auguſtinum, in Concil. Arauſic.. & Trid.

Not. III. Celebris eſt actualis gratiæ diviſio in *ſufficientem* & *efficacem. Sufficiens* dicitur a Molinianis, quæ voluntati dat poſſe, neque effectum producit, niſi a voluntate determinetur. Ad hoc autem non indiget gratia victrici, quæ dat etiam velle. Porro gratia ſufficiens, ſi detur in aliquibus circumſtantiis, in quibus ſequimur vocantem, dicitur gratia *congrua.* Gratia ergo *ſufficiens* Moliniſtice eſt ipſum adjutorium *ſine quo* Adæ innocenti collatum: unde Molina gratiam conditoris in gratiam ſalvatoris commutavit. Verum cum in hoc infirmitatis ſtatu neceſſarium ſit auxilium ab intrinſeco efficax, datur etiam in hoc ſtatu gratia ſuffi-

sufficiens: sed hæc in sensu Thomistico, & Augustiniano dat posse, non velle, vel ita invalidum, ut carnis cupiditatem, nisi superveniente gratia victrice, non vincat. Tales sunt inspirationes, & pia desideria, quæ cor impii excitant, non continuo convertunt, *nondum enim idonea sunt ad superandam priorem*, voluntatem, *vetustate roboratam*, ut in se expertus est S. P. ex l. 8. Conf. c. 5.

Hinc sequitur I. Gratiam sufficientem semper effectum producere, nempe pium desiderium, & bonam voluntatem, sed invalidam, cui arbitrium resistit. Sequitur II., gratiam, quæ in uno est sufficiens, in altero minus pervicaci esse efficacem. III. Eandem esse efficacem relate ad unum, ex. gr. ad orationem, non relate ad alterum, puta ad totius legis observantiam. IV. Omnem gratiam etiam minimam esse in se ad bona opera sufficientem, cum tribuat voluntati posse obicem superare; ut autem velit, requiritur in hoc statu gratia efficax: quæ semper cum effectu conjuncta est, quæque dat posse & tantum velle, ut *carnis voluntatem* vincat. Hanc S. P. de Corr. & Gr. c. 12. appellat adjutorium *quo*, eamque explicat exemplo beatitudinis, qua homo fit continuo beatus, sufficientem vero exemplo alimentorum, sine quibus non possumus vivere, nec tamen cum iis vivimus, si mori velimus.

Not. IV. Plurium Thomistarum sententiam in eo ab Augustiniana differre, quod, licet utraque gratiam efficacem ab intrinseco admittat, Thomistæ tamen nolunt in eadem gratia *gradualitatem* admittere, & gratiam, quæ in uno est *sufficiens* & *inefficax*, non posse in altero esse efficacem docent, quia gratia sufficiens, & efficax inter se specie differunt. Nos vero eandem numero gratiam, quæ ex. gr. in Tyriis non ita obduratis foret efficax, in Bethsaitis pervicacioribus inefficacem esse contendimus, nec id derogare gratiæ efficaciæ, nam, quod cupiditas superetur, id præstat Deus beneplacito volun-

voluntatis ſuæ: quodve hæc delectatio modo ſit victrix, modo invalida oſtendit liberalitatem beneficiorum Dei, qui ubi vult ſpirat: quæ ſententia a Janſeniano errore quam longe abeſt. Sit itaque

PROPOSITIO I. Gratia eſt inſpiratio ſanctæ dilectionis, neque a caritate actuali diſtinguitur.

Hæc Theſis, cum ſit Auguſtini, ut ſupra probatum eſt, a Janſeniano errore diſtat omnino.

PROPOSITIO II. Gratia efficax eſt victrix delectatio, ſive caritas, quæ vincit contrariam cupiditatem.

Et hæc defenditur a catholicis innumeris: & prob. I. ex Auguſtino, qui l. de Corr. & Gr. c. 2. loquens de gratia hujus ſtatus, ait: *Secunda plus poteſt qua etiam fit ut velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat.* Et c. 12. ait: *Eis non ſolum dat adjutorium, quale primo homini dedit, ſine quo &c. ſed in eis etiam operatur & velle; tantum quippe Spiritu ſancto accenditur voluntas eorum, ut ideo poſſint, quia ſic volunt, ideo ſic velint, quia Deus operatur, ut velint*, ergo &c.

R. Adverſarii, Aug. vel loqui de habituali delectatione, vel de ea, quæ non prævenit voluntatem, ſed ex ejus electione conſequitur. Sed prima reſponſio falſa eſt. Nam S. P. ibi loquitur de adjutorio operis ad juſtitiam comparandam, perficiendamque, de quo cum Pelagio diſceptabat, ſed hoc adjutorium non eſt gratia habitualis; ergo &c. Secunda ex iiſdem locis revincitur. Nam S. P. victricem delectationem & caritatem requirit, ut *velimus & diligamus*; ergo ea delectatio prævenit, non ſequitur, niſi cum voluntas huic delectationi præmoventi obtemperat. Unde S. P. de Gr. & arb. c. 17. ait: *Ut ergo velimus ſine nobis operatur, cum autem ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum cooperatur.* Si itaque gratia ſpectetur ex parte Dei prout caritatem inſpirat, non eſt cum noſtra deliberatione conjuncta, quo ſenſu ait S. P. *ut velimus, ſine nobis operatur*, ſi ſpectetur ex parte noſtra, eſt ipſa dile-

dilectio præveniens a Dei inspiratione simul & voluntate nostra promota intime ab ipso Deo. Prior omnem deliberationem nostram antevertit, altera cum ipsa deliberatione conjuncta est, relate ad opera meritoria, quæ consequuntur.

Prob. II. Scripturis. Ps. 118. habetur *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Item Ezech. 36. *Spiritum novum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & operemini;* ergo &c. Tandem Jo. 6. Christus ait: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum;* atqui animus trahitur voluptate, & delectatione, ut docet S. P. tr. 26. in Jo. ex Cant. 1. *Trahe me post te, curremus* &c. dicens: *Videte quomodo trahit Pater: docendo delectat, non necessitatem imponendo;* ergo &c.

Prob. III. ratione. Si enim voluntas voluptate trahitur, & nemo sequitur quod non delectat, ut ait S. P. l. 1. ad Simpl.; ergo gratia efficax, qua ita trahimur, ut non respuamus, tantam inspirat delectationem, ut pugnantem superet cupiditatem. Deinde quodvis malum exoritur per Augustinum Serm. 6. de Verb. Ap. ex illicita delectatione; ergo bonum oritur ex licita.

Propositio III. Delectatio modo est efficax, modo inefficax, & habet gratia gradus suos.

Prob. I. ex Aug. l. 2. de pecc. mer. c. 5. ubi ait: *Cur autem illum adjuvet, illum non adjuvet, illum tantum, illum non tantum, penes ipsum est æquitatis ratio, & excellentia potestatis.* Et c. 17. *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non potest, jam habet voluntatem bonam; sed adhuc parvam, & invalidam, poterit autem cum magnam habuerit, & robustam. Quod enim martyres magna mandata fecerunt, magna voluntate, hoc est magna caritate fecerunt, de qua Dominus ait, majorem caritatem* &c. Et Serm. 17. de V. A. ait, *in amanda justitia gradus esse proficientium.* Quod explicat exemplo impudici adolescentis, qui 1. oculos injicit in alienam mu-

mulierem, 2. amat libere, sed quia timet, cupit latere. 3. audacior factus timorem exuit. Ita justitia 1. ostendit se oculis cordis, & inspirat fervorem amatoribus suis. 2. Contemnitur quidquid aliud delectabat, sed nondum pellitur timor. 3. Perficitur caritas, & cor amat, ardet, fervet, calcat, frangit &c. Ita S. P. ergo &c.

Prob. II. ratione. I. Enim gratia efficax est medicinalis, & sanans, sed infirmitas, & concupiscentia major est, vel minor; ergo magis, vel minus potens medicamentum. Prob. min. Aliquando enim pertenuis excitatur in nobis cupiditas, aliquando vehemens, & robusta, ut in ea fortiores Deo permittente succumbant, ita gratiæ motus & inspirationes modo vix sentiuntur, modo animum vehementer pulsant, tantoque ardore voluntatem inflammant, ut cruciatus, & mortem contemnat. Deinde quis credat, pares esse gratiæ gradus in martyre, qui teterrima supplicia suffert, & in eo, qui vix leviorem injuriam sustinet? ergo &c.

Prob. III. ex Aug. conversione. I. enim, ut ipse fatetur l. 6. Conf. 5. patiebatur *in cupiditatibus amarissimas difficultates.* II. *Stimulis internis* agitabat eum Dominus. III. Rapiebatur *ad Deum decore ejus, moxque diripiebatur ab eo pondere suo.* IV. *Duæ voluntates carnalis & spiritalis confligebant inter se.* V. *Convertit eum Dominus, ut nec aliquam spem quæreret sæculi hujus;* ergo gratia habet gradualitatem, nec est semper effectrix ob reluctantem concupiscentiam, & liberum arbitrium, & sæpe resistit. Interdum tamen, ut parcat, non a circumstantiis loci, vel temporis, sed a mero suo beneplacito pendere, quod unum magis, alterum minus adjuvet, voluntatem nostram obcæcatam & reluctantem prævenit potentissima caritate, duritiem frangit, & *producit mel de petra* &c. ut constat de Paulo, aliisque; non ergo derogat sententia nostra gratiæ efficaci, aut absolutæ Dei voluntati.

PROPOSITIO IV. Hæc noſtra doctrina nihil commune habet cum hæreſi Janſeniana.

Prob. Etenim Janſeniana hæreſis efficaciam gratiæ ſtatuit in victrici delectatione (1), ſublata de libe-

(1) Syſtema duarum delectationum pro graduum ſuperioritate victricium an. 1580. a Vaſqueſio excogitatum eſſe, & ab eo catholice propugnatum, annis circiter 60. ante vulgatum Janſenii opus, imo ante exortas ſeu Lovanii, ſeu Romæ controverſias de gratia, noviſſime propugnarunt S. J. Theologi in ſuis Theſibus Romæ habitis anno elapſo 1766., ubi aſſeritur, docuiſſe Vaſqueſium *ad omne opus bonum neceſſariam eſſe delectationem relative ſuperiorem, quæ trahit infallibiliter bonum opus, eamque ex Auguſtino appellaſſe victricem delectationem. Quod ſi ſancta delectatio minor ſit, neceſſario prævalere contrariam terrenam delectationem. In ſuo hoc ſyſtemate ſalvam eſſe libertatem, eo quod ea major delectatio in ſuo graduum exceſſu, & ſuperioritate dependens ſit ex arbitrii libertate.* Idem ſyſtema *tamquam falſum* rejiciunt laud. Theologi, *quemadmodum illud acriter, nulla tamen injuſta theologica cenſura, rejecit P. Suarez, cui conſentiunt omnes S. J. Scriptores, ex quibus nemo unus amplexus eſt Vaſqueſii ſyſtema.* Conſtat ergo, non diffitentibus adverſariis, ſyſtema iſtud & catholicum eſſe, & a viro catholico propugnatum. Quod vero tamquam falſum illud in Vaſqueſio rejiciant, parum id noſtra refert. Falſum fortaſſe dici poſſet in eo, alioquin doctiſſimo S. J. Theologo, ob incohærentiam aut pugnam principiorum. Nos autem non Vaſqueſium, aut Janſenium in hac controverſia ſequimur, ſed Auguſtinum, quem hujus doctrinæ propugnatorem fuiſſe Prop. I. monſtratum eſt. Nec privatorum hominum judiciis, ſed eccleſiæ definitionibus movemur, quibus innixi purum

liberatione, & indifferentia liberi arbitrii, sed licet nos indeliberatam esse dicamus hanc delectationem,

rum Augustini systema, non Vasquesii, aut Jansenii placita sequi gloriamur. Tria ergo duarum delectationum systemata distingui debent, 1. recens est, & mere scholasticum a Vasquesio inductum principiis inter se contrariis subnixum, adeoque ruinosum & falsum, tametsi nulla theologica censura fuerit inustum. 2. recentius & Jansenianum a V a s q u e s i o quidem acceptum, sed errore auctum, atque ob inductum libertatis excidium in tertia Propositione Janseniana damnatum atque proscriptum. 3. Vetustissimum, & Augustinianum ab Apostolo acceptum, & ab Augustino v a l i d i s s i m e propugnatum, nullam habet cum Vasquesiano, aut Janseniano dogmate connexionem, nec libertatem lædit, sed adstruit, adeoque catholicum est, & frustra censuris proscinditur. Quæ cum sedulo animadvertissent Clerici Regulares S. Pauli in collegio S. Caroli ad Catinarios hanc Thesim n. 21. eodem anno 1766. publice propugnarunt „ *Ex-„positum systema, quod „duarum delectationum „appellari solet, nullus „ejusdem propugnator „catholicus fatetur cum „damnato Jansenii sy-„stemate convenire, qui-„nimo longissime recedere „quilibet ostendit. In eo „enim Jansenianum sy-„stema damnatum fuit, „quod a delectatione supe-„riori voluntatem necessa-„rio ad operandum de-„terminari constituat, a „quo hæretico principio „cum reliquis systematis „duarum delectationum „propugnatoribus catho-„licis quantum alieni si-„mus ex supradictis ap-„paret, itaut nec inqui-„rendo, & ratiocinando „ex opinione nostra erui „possit, non dari gratiam „pure sufficientem, non „satis salvari veram li-„bertatem a necessitate, „aut uno verbo sequi 3. „damnatas Jansenii pro-„positiones, nisi fortasse*

„ quis

prout inſpiratur a Deo, tamen per primum actum indeliberatum nos nihil mereri dicimus, niſi accedat deliberatus arbitrii conſenſus, (cum meritum haberi nequeat ſine indifferentia libertatis). Atque hæc delectatio victrix conjuncta eſt cum deliberatione relate ad opera, quæ fiunt ab arbitrio hac delectatione excitato, non enim in iis operibus nobis proponitur bonum ſub omni ratione boni, ut beatis in Patria; ergo remanet indifferentia judicii, & vera libertas; ut dictum eſt l. 5. c. 13. Reg. 6. Itaque ex hac victrici delectatione ſequitur infallibiliter effectus, eo quod animus amplectatur bonum, quod magis delectat, ſed ſequitur libere, quia nullum bonum eſt in hac vita, in quo aliqua ratio mali apprehendi non poſſit. Quod ſi aliqui ex noſtris tenent, nos poſſe mereri etiam per primum actum dilectionis, quem in nobis excitat gratia efficax, tenent etiam, hunc actum eſſe deliberatum, & cum indifferentia judicii; ergo a Janſeniano dogmate recedunt. Eodem modo ab eo recedimus circa gratiam inefficacem. I. enim dicimus gratiam omnem, ſive magnam, ſive parvam eſſe gratiam Chriſti: II. dari gratiam inefficacem, cui voluntas reſiſtit. III. per gratiam ſufficientem dari nobis veram, & propriam poteſtatem implendi mandata, ſed non ita expeditam, ut ad ponendum actum non ſit neceſſaria gratia efficax. Si ergo Janſenius his limitibus parvam, & inefficacem delectationem continuiſſet, non declinaſſet ad errores ab Eccleſia proſcriptos, quos Innoc. XII. Auguſtini ac D. Th. diſcipulis vetuit eſſe appingendos, niſi conſtet, eos aliquam ex 5. Propoſ. damnatis docuiſſe.

Ob.

„quis vellet, & ſufficientem gratiam, & libertatem arbitrii Moliniſtico ſenſu eſſe admittendam. At nemo, ut „putamus, contendet, „Molinæ placita pro dogmatibus eccleſiæ catholicæ eſſe recipienda.

Ob. I. Principium bonorum operum eſt timor Domini; ſed timor Domini non eſt caritas, & delectatio; ergo non omnis gratia eſt delectatio. R. diſt. min. non eſt caritas, & delectatio, & tamen a gratia excitatur, quæ eſt caritas, conc., & non excitatur, neg. Timor utique non eſt delectatio, illius enim objectum eſt pœna, hujus beatitudo. Verum timor, & amor idem principium habent, ſive ſpectetur voluntas, quæ timet & amat, ſive Spiritus S., qui timorem & amorem inſpirat, ſive gratia, a qua timoris & amoris eſt actus. Quare timor ſanctus non ſine aliquo amore excitatur, ipſe tamen non eſt amor, quia ſiſtit in rigore juſtitiæ, & nondum aſcendit ad ſummi boni jucunditatem, ſed timor ſternit viam caritati, *& incipit quod durum erat amari, & dulceſcit Deus*, ait S. P. Pſ. 127. Ita gratia timorem, timor caritatem præcedit, & illa eſt bonorum principium, timor diſpoſitio remota ad juſtificationem, caritas vero proximior.

Ob. II. Delectationem ſuperiorem interdum ſentimus, nec gratiam efficacem habemus, ut conſtat ex Aug. 8. Confeſſ. 8. ubi ait: *Non faciebam, quod incomparabili affectu amplius mihi placebat;* ergo eſt delectatio ſine gratia. R. neg. ant. Aug. enim ibi loquitur de eo, quod illi magis placebat relate ad corporeos actus, ſcilicet capillos vellere, frontem percutere &c. non vero relate ad concupiſcentiam. Rationem ergo reddens, cur ante converſionem plures actus, & ſi minus in ſe delectabiles effecerit, ut capillos vellere &c., nec obſequeretur motibus bonæ voluntatis longe delectabilioribus, ait, actus illos ideo effeciſſe, quia voluntas ex toto volebat; at contra motibus S. delectationis, licet fervidioribus, ob pravam conſuetudinem reſiſtebat pugnaciter: quare in his partim volebat, partim nolebat, ideoque gratia illa erat efficax reſpectu indeliberatæ delectationis, qua Auguſtini cor tangebatur, & inefficax reſpectu converſionis,

 ad

ad quam invitabatur. Ubi nota, nos interiori gratiæ persæpe resistere, quia licet fiat in nobis bona voluntas, hanc tamen non exequimur ob carnis cupiditatem.

Ob. III. S. Th. 3. p. q. 62. ait: *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ* (1); ergo non habet gradus relate ad ipsam. R. Neg. cons. Loquitur enim D. Th. de gratia justificationis, quam conferebant vetera sacramenta; gratia ergo sanctificans licet minima omnem concupiscentiam reprimit, dummodo actualis præsto sit, quam D. Th. præter habitualem admittit. Sicut ergo ibi non excludit S. D. gratiæ prædeterminationem, ita nec gradualitatem.

Ob. IV. Ex nostra sententia sequitur I. non dari in hoc statu auxilium *sufficiens* ab efficaci distinctum, sed hoc est hæreticum; ergo &c. Prob. maj. Si enim gratia in inspiratione dilectionis sita est, opus est, ut ubi est gratia, ibi sit & dilectio, & illius semper producatur effectus; ergo &c. Sequitur II., non dari gratiam efficacem ab intrinseco; ergo &c. Prob. ant. hæc enim semper cum effectu conjuncta est, sed posita majori concupiscentia redditur inefficax; ergo &c. Sequitur III. gratiam non esse efficacem ex absoluta Dei voluntate, sed ex nostra dispositione; sed hæc est congruistarum sententia; ergo &c.

R. ad I. Neg. maj. Ad prob. dist. ant. Semper sortitur aliquem effectum, idest pium desiderium & san-

(1) Observa, D. Thomam I. 2. q. 109. art. 9. habituali gratiæ tribuere efficaciam sanandi naturam corruptam, *habituale donum, per quod natura corrupta sanetur*. Nil mirum ergo S. D. id habituali gratiæ tribuere, quod justificanti, & sananti non denegat. Sed etsi S. D. de actuali gratia loqueretur, dicimus, eam considerare ex parte Dei, non ex parte subjecti, in quo gratia plures producit effectus.

sanctam delectationem indeliberatam, conc. semper plenam, & deliberatam voluntatem, aut opus efficit, ad quod ordinatur, neg. Ut enim observat Alvarez l. 3. de Auxil. diss. 8. *Omne auxilium sufficiens comparatione unius actus semper est efficax respectu alterius, ad quem decreto absoluto destinatur, v. g. auxilium sufficiens ad actum fidei efficaciter producit pias cogitationes &c.* Differt autem sententia nostra toto cælo ab errore Janseniano. Is enim parvam, & invalidam voluntatem torpentem asserit remansuram, nisi subministretur tam vivida delectatio, quæ arbitrium trahat indeclinabili necessitate, itaut iis, qui ea carent, conferatur gratia inefficax, non ut convertantur, sed ut Deo vocanti fatali necessitate repugnantes evadant iniquiores. Unde hoc errore imbuti in eam blasphemiam erupere: *a gratia sufficienti libera nos Domine.* Nos vero dicimus, gratiam sufficientem, licet ad actum non trahat, ad illum tamen excitare, ad quem etiam, nisi reluctaretur perversa voluntas, efficax esset: non enim a Deo confertur, ut homo torpescat, sed ut nitatur ad opus, studeatque orando majorem gratiam impetrare. Deinde in nostra sententia per gratiam sufficientem confertur vera potestas, licet non expedita, ut prodeat in actum, quod non gratiæ defectus est, sed voluntatis humanæ, obicem ipsi gratiæ opponentis: cum ex adverso in Janseniano systemate non detur operationis potestas, nisi adsit gratia necessitatem inferens, & voluntatem tanta vi trahat, ut nequeat contraniti. Vide auctorem. Ad II. neg. ant. Ad prob. dist. maj. Si sit absoluta, ut gratia collata Paulo, conc., si sit efficax relative, idest in uno, non in altero, neg. Gratia enim efficax medicinalis est: medicina autem passim exhibetur juxta ægroti valetudinem. Sat erat Petro unus intuitus ut fleret, Paulus pervicacior majori luce ac vi indigebat. Hinc monemur, ne pravæ consuetudinis vinculo nos implicemus; ne gratiæ adjutorium sit hac de caussa

 suffi-

ſufficient tantum, & inefficax. Ad III. neg. maj. Ut enim ait S. P. quod Deus adjuvet illum tantum, iſtum non tantum, non pendet a circumſtantiis loci aut temporis, neque a præſcientia boni uſus arbitrii, ſed a divinæ poteſtatis excellentia, Deus enim, cum vult, tantam gratiam confert, ut effectum obtineat.

Ob. V. Ex hac ſententia ſequitur, Adæ innocenti collatam eſſe gratiam victricem, nec tamen perſeveraſſe; ergo &c. Prob. ant. In Adamo enim & angelis nulla fuit inordinata delectatio, ergo hæc erat ſuperior, & victrix. II. Beati Deum amant neceſſario, qui nulla eſt in iis delectatio terrena, ſed hæc neque in Adamo fuit; ergo &c. R. neg. ant. Adamo enim datum eſt adjutorium *ſine quo*, ſed hoc dabat poſſe, non velle. Cum enim in eo nulla eſſet terrena cupiditas flectens liberum arbitrium ad malum, non opus erat ei gratia victrix; ergo &c. Ad II. neg. maj. Beati enim neceſſario Deum amant, quia eum vident ut eſt in ſe, quæ viſio cum indifferentia judicii, & cum vera libertate ſtare non poteſt.

CAPUT III.

De gratia victrici.

NOT. I. Gratiam efficacem admitti ab omnibus theologis, ſed unde ejus efficacia repetenda ſit non conveniunt. Contendunt Moliniani gratiam ſuam efficaciam habere a voluntatis conſenſu. Molina, ut arbitrii libertatem cum Dei gratia conciliaret, librum edidit an. 1588. quem *Concordiam* inſcripſit, ubi fatetur, doctrinam ſuam novam eſſe, & Auguſtino ignotam, dicens: *ſi ea explanata ſemper fuiſſet, nec Pelagiana hæreſis fuiſſet exorta, nec Lutherani arb. libertatem negare auſi fuiſſent:* quam Molinæ jactantiam perſtringit Jacobus le Boſſù in ſuis Animad. c. 2.

Not. II. Præcipuum Molinæ dogma eſt; gratiæ effi-

efficaciam ex ſolo arbitrii conſenſu metiri, *atque adeo in libera poteſtate noſtra eſſe, vel illa*, auxilia, *efficacia reddere conſentiendo, vel inefficacia continendo conſenſum.* Cenſuit ergo Molina, Deum eodem affectu omnibus gratiam conferre, eamque arbitrii libertati ſubjicere, itaut nullum ſit diſcrimen inter gratiam ſufficientem, & efficacem ex parte Dei & in actu primo, ſed ſolum in actu ſecundo, dum arbitrium indifferenti auxilio præventum vult, aut non vult aſſentiri: nec eſſe in Deo abſolutam voluntatem conferendi perſeverantiam, niſi ex prævisione conſenſus.

Not. III. Cum Molinæ placitum prædeſtinationem evertere ſcribat l. 1. de Gratia Chriſti Bellarminus, eamque reprobet Suarez, Tannerus, & Claud. Aquaviva; idcirco Congruiſtarum ſententiam majori conſenſione tuentur Patres Societatis, eamque exponit Suarez l. 3. de Aux. 14., ubi docet: *Quod Deus prævidens, quod unaquæque voluntas in omni occaſione operatura ſit, ſi in ea conſtituatur, quando, & cui vocationi ſit aſſenſum præbitura, ſi ei detur: unde quando vult hominem convertere, vult etiam illum vocare illo tempore & modo, quo novit illum conſenſurum; & talis vocatio vocatur efficax, quia, licet in ſe non habeat infallibilem effectum, tamen, ut ſubeſt tali ſcientiæ divinæ, infallibiliter eſt illum habitura.* Hæc gratia *congrua* dicitur, quod congruo modo ac tempore hominibus conferatur, eamque immerito Tournelyus comparat gratiæ efficaci: hæc enim gratiæ ſufficienti addit majorem abundantiam caritatis, qua ſit ut velimus & faciamus; illa vero nullam internam motionem requirit, ſed tantum congruas circumſtantias, in quibus prævidet Deus, hominem conſenſurum.

Not. IV. Edmundus Simonet efficaciam gratiæ ſtatuit non in hac vel illa particulari vocatione, ſed in omnium gratiarum complexu, quarum collectionem homo repudiare non poteſt, licet repudiare poſſit ſingulas diſtributive ſumptas, cum

nulla sit per se cum effectu conjuncta. Is ergo prædestinationem ad gloriam electis divino beneplacito præparatam concedit: ait tamen hunc, vel illum liberi arbitrii actum, ab illa tantum gratia pendere, quæ ex cumulo gratiarum omnium selecta, independenter ab omni absoluto decreto a Deo prævidetur.

Not. V. Thomistæ & Augustinenses ex adverso docent, in hoc statu gratiam efficacem non reddi aut ex arbitrii consensu, aut ex circumstantiis congruis, sed talem esse se ipsa, & infallibiliter esse cum effectu conjunctam.

Propositio. Datur in hoc statu naturæ lapsæ gratia ab intrinseco efficax.

Prob. I. ex Scripturis. I. Ezech. 26. *Dabo vobis cor novum & spiritum novum, & auferam cor lapideum, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & operemini.* Sed his verbis promittitur gratia ab intrinseco efficax; ergo &c. Prob. min. Ibi enim Deus absolute, & independenter ab humano consensu, aut ab intrinseca circumstantia spopondit, se ablaturum cor lapideum, ut caritatis flamma succensum innovetur, & divina præcepta exequatur: sed hoc præstat gratia efficax; ergo &c. II. Promittit Deus ib. gratiam, quæ facit ut in præceptis ambulemus, & operemur: sed hæc est per se efficax; ergo &c. Prob. min. Gratia inefficax, sive adjutorium *sine quo* dat posse, non velle, nec facit ut faciamus, sed ut possimus; ergo &c. III. Promisit ibi Deus, se facturum ut Israelitæ mandatis obtemperent, non prædixit solummodo, sed quod Deus promittit, non ex arbitrii potestate dependet, sed ex firmo decreto Dei; ergo &c. Prob. min. ex Aug. de Præd. SS. c. 10. *Non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines.* Et l. de Gr. & arb. 16. *Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit, ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati*; sed gratia, quæ pendet

det a voluntatis consensu, non est efficacissima, cum sæpe effectu frustretur; ergo &c. IV. Job. 12. *Qui immutat cor principum populi terræ.* Et Joan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum.* Philip. 2. *Deus est, qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.* Rom. 8. *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* Ex quibus constat, Deum inclinare, & trahere corda hominum, operari in eis bonam voluntatem, eos agi spiritu Dei &c.: sed hæc omnia præstat gratia per se efficax; ergo &c.

R. Adversarii, Deum inclinare, trahere, operari &c. quia adjuvat, ut velimus, & faciamus per inspirationem, sine qua velle & facere non possumus, non qua fit ut velimus & faciamus. Sed contra: I. enim gratia illa versatili non inclinatur vel trahitur cor, nec homo vult, quia Deus operatur velle: sed arbitrium gratiam determinat, & Deus operatur, quia homo vult. Deinde in hac sententia singuli venirent ad Patrem, singuli Filii Dei fierent per gratiam indifferentem, quæ omnibus datur, & qui non credunt haberent gratiam, de qua Christus ait: *Nemo potest venire ad me, nisi &c.* Sed hoc Evangelistæ adversatur, ait enim ibidem: *Sciebat Jesus qui essent non credentes, & dicebat: propterea dixi vobis, quia nemo &c.* ergo Judæi illi non habebant gratiam, de qua Christus ait, *nemo* &c. Hinc S. P. l. de Gr. Christi c. 14. exponens hunc locum ait: *Non est autem consequens, ut qui potest venire etiam veniat, nisi id voluerit ac fecerit. Sed omnis, qui didicit a Patre, non solum potest venire, sed etiam venit: ubi jam & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est.* Gratia ergo per Aug. dat posse, velle & facere. Locum Ap. ad Phil. ita exponit lib. de D. Perf. 13. *Deus est, qui operatur in nobis & velle & operari* &c. *Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur, sed Deus operatur & operari.* Non solum suadendo, quod bonum

bonum eſt, ut contendebat, Pelagius, ſed phyſice actum voluntatis inſpirando, & efficaciter ad operationem trahendo. Locum alterum Rom. 8. explicat S. P. ibid. c. 25. *Profecto ut agant quod bonum eſt, ab illo aguntur, qui bonus eſt:* & de Corr. & gr. 2. *Intelligant, ſi filii Dei ſunt, ſpiritu Dei ſe agi, ut quod agendum eſt agant: aguntur enim ut agant, non ut ipſi nihil agant;* ſed qui indifferenter præmoventur, improprie & metaphorice agi dicuntur; monentur enim, invitantur, vocantur ut agant, *non aguntur ut agant;* ergo &c.

Item Apoſt. Rom. 9. ait: *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei;* ergo &c. Prob. conſ. Effectus potius tribuitur cauſſæ determinanti, quam indifferenter præmoventi; ſed in ſententia adverſariorum bona opera potius volenti, & currenti tribuenda eſſent, quam Deo miſerenti; ergo &c. II. In eorum ſyſtemate eandem gratiam Deus confert operanti, ac non operanti; ergo quod ille non iſte ſervet mandata, volenti & currenti tribuendum eſt, non Deo. R. I. Suarez l. 3. de Aux. 15. hæc verba non eſſe Pauli affirmantis, ſed objicientis, quod probat ex Hieron., & Ambroſii Comment., & Chryſ. auctoritate. Sed fallitur. Commentaria enim Hieronymo tributa, a Pelagiano viro edita eſſe tradit Xiſtus Sen., & Bellarminus. Quæ vero Ambroſio tribuuntur ſunt criticorum conſenſu ſuppoſititia. Chryſoſt. tantum affirmat, quod Apoſtoli locus, *non volentis* &c. *libertatem non tollit.* R. II. Suarez: Apoſtolum loqui de electione Jacob ad temporalem hæreditatem, vel de electione ad gloriam per congruam vocationem; ſed Paulum ibi loqui de abſoluta prædeſtinatione ad gratiam & gloriam, oſtendimus l. 4. & 5. R. III. Suarez, locum Ap. cum Nazianz. exponendum, *licet ipſum velle noſtrum ſit, non tamen niſi Deo adjuvante, & principaliter operante.* Sed contra. I. Quia etiam nos dicimus, voluntatem noſtram eſſe a Deo *principaliter operante*, ſed negamus

mus operari Deum principaliter, ſi ipſe indifferenter præmoveat, & liberum arb. hanc motionem determinet. II. Subdit Nazianz. *Idcirco non volentis* &c., *quoniam velle ipſum a Deo eſt, optimo jure totum Deo aſſignavit;* ergo per Nazianzenum gratia Dei non dat tantum *poſſe*, ſed etiam *velle.* III. Licet Nazianzenus non tam aperte gratiæ efficaciam cit. loco expoſuiſſet, at S. P. c. 32. Enchir. ait, quod, ſi locus Apoſtoli ſic exponi poſſet, *quia voluntas hominis non ſufficit, niſi adjuvetur miſericordia Dei*, dici etiam poſſet, non eſſe Dei miſerentis, ſed hominis currentis, *quia miſericordia ſola non ſufficit, niſi conſenſus noſtræ voluntatis addatur.* Unde infert S. P. ex Ap. loco cit., non ſolum nos adjuvari miſericordia Dei: ſed hac etiam fieri ut velimus, & ut Deus in nobis operetur velle, & operari &c.; ergo &c.

Tandem Apoſtolus 1. Cor. 4. ait: *Quis te diſcernit, quid habes quod non accepiſti, ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Qui locus Auguſtinum a Semipelagianiſmo revocavit, unde ſic arguitur: nemo ab alio diſcernitur per id, quod eſt utrique commune, ſed gratia præveniens, & concurſus ſimultaneus eſt omnibus communis; ergo &c. Ita S. P. l. 2. ad Bon. 7.

R. Congruiſtæ: ex hoc loco refelli gratiam ſufficientem, non *congruam.* Poſſunt enim duo eandem Dei motionem recipere, & unus credere, non alius, ſi primus motionem habuit eo loco & tempore, quo Deus prævidit ejus ingenio congruere; alter vero non ita, adeoque majorem habuit gratiam qui credit, quam qui non credit. Sed contra. Cur unus credat, non alius, a circumſtantiis non pendet, ſed a Dei judicio. Paulus enim credidit in oppoſitis circumſtantiis. II. Vel in iis circumſtantiis conſtituitur homo ſeipſo, vel gratia Dei: ſi primum, ergo ipſe ſe diſcernit; ſi ſecundum, ergo gratia non eſt efficax, quia datur in iis circumſtantiis, ſed in iis conſtituitur, quia Deus decrevit ut conſentiret. R. alii, Auguſtinum iis verbis urgere

Pelagianos, qui humana merita prædicabant; ergo &c. Recte id quidem, sed hoc argumentum urget etiam Molinianos. Sicut enim naturæ dona, quia omnibus communia, neminem discernunt, ita etiam gratia versatilis, quæ communis est omnibus, nullum discernit. Si enim duo viribus pares armis indigeant ad pugnandum, cur unus alium vincat, ab ejus industria est repetendum; ergo a pari. Deinde S. P. loco cit. de Prædest. sanctorum ait, hac Apostoli sententia, nedum *dona Dei naturalia* excludi, sed ipsam *totam perfectamque naturam, qualis in prima conditione donata est;* sed in prima conditione stantes discreti sunt a cadentibus sua libertate, adjuta nempe gratia versatili, sive auxilio *sine quo;* ergo &c.

Prob. II. ex orationibus Ecclesiæ. Cum enim *legem credendi lex statuat supplicandi*, ut ait ep. ad Gall. Episcopos Cælestinus, & *nemo sit*, ex Aug., *qui non videat, Deum facere, quod rogari se præcipit ut faciat;* si orationibus victricem gratiam postulamus, ejusdem gratiæ necessitatem fateamur oportet. Itaque Ecclesia Deum orat Fer. 4. Dom. 2. Quadr. his verbis: *Dirige ad te tuorum corda fidelium, ut spiritus tui fervore concepto, & in fide inveniantur stabiles, & in opere efficaces.* Sabbato post Dom. IV. *Ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates.* Dom. V. post Pasch. *Largire supplicibus tuis, ut cogitemus te inspirante, quæ recta sunt, & te gubernante eadem faciamus.* Dom. XIX. post Pent. *Tua medicinalis operatio tuis semper faciat inhærere mandatis* &c. Sed gratia, quæ inspirando fervorem reddit nos efficaces, quæ rebelles voluntates compellit, quæ facit ut cogitemus, faciamus, & inhæreamus Dei mandatis &c. est gratia per se efficax; ergo &c. Deinde si nos adjutorium Dei efficax reddimus, cur a Deo petimus, ut nos faciat velle & operari? Quis, nisi cæcus, orat ut Deus oculos sibi aperiat? Hinc S. P. de Don. pers. 7. *Orat*, Ecclesia, *ut increduli credant: Deus*

ergo

ergo convertit eos ad fidem: orat ut fideles perſeverent; Deus ergo donat perſeverantiam.

R. Nonnulli apud Tournelyum, ex iis orationibus evinci gratiæ efficaciam, ſed non ab intrinſeco: voluntas enim hac efficaci gratia roborata non mere paſſive ſe habet, nec tantum agitur, ſed etiam agit, ut docet S. P. Sed contra. Cum enim gratia voluntatis conſenſum efficiat, nequit ab eodem conſenſu ſuam efficaciam mutuari: cumque voluntas, ut ait S. P. agatur ut agat, non determinat gratiæ præmotionem, ſed ipſa a præmotione gratiæ determinatur. R. alii, Eccleſiam non orare, ut poſſimus gratiam reddere efficacem, cum id penes nos ſit, ſed ut hoc de facto faciamus. Verum cum id petimus quod in noſtra eſt poteſtate, ergo ex orationibus Eccleſiæ gratiam ab intrinſeco eſſe efficacem manifeſte colligitur.

Prob. III. ex Auguſtino, qui l. 1. de Pecc. mer. 9. eam vocat, *Spiritus ſancti occultiſſimam gratiam.* De gr. Chriſti c. 24. *mirabilem ac ineffabilem poteſtatem.* Et c. 35. *inſpirationem flagrantiſſimæ, ac luminoſiſſimæ caritatis.* In 4. contra Jul. 8. *omnipotentiſſimam voluntatem.* In 1. cont. 2. epiſt. Pel., *occultiſſimam & efficaciſſimam voluntatem, ac poteſtatem, quæ convertit & transfert corda hominum ab indignatione ad lenitatem:* & alibi paſſim *inſpirationem bonæ cupiditatis, caritatem, efficaciſſimam vocationem, omnipotentiſſimam poteſtatem, gratiam, quæ a nullo duro corde reſpuitur &c.* Sed hæc vocabula gratiam per ſe efficacem deſignant; ergo &c. Prob. min. Gratia enim, quæ efficax redderetur aut voluntatis conſenſu, aut ex loci vel temporis circumſtantiis dici nequit operari miris, occultis, atque ineffabilibus modis: cauſſa enim cur operaretur in hoc ſyſtemate obvia foret, & apertiſſima, neque omnipotentiſſima, & efficaciſſima dici poſſet, cum nihil poſſit homine reluctante, neque Deus inclinaret corda hominum quo ipſi lubet, ſed homo Deum, nec divina voluntas trahe-

ret aut ageret filios, ſed ipſa ageretur aut traheretur a filiis; ergo &c.

R. Moliniſtæ apud Tournelyum: hæc omnia vera eſſe in ſententia etiam eorum, qui volunt gratiam efficacem reddi per voluntatis conſenſum, quem nemo præbet abſque gratiæ virtute. Auguſtinus itaque iis vocabulis ſolos urget Pelagianos, qui negabant gratiam prævenire voluntatem. Sed contra eſt. Nam S. P. Gratiam vocat omnipotentiſſimam &c., non quod a divina diffluat omnipotentia, ſed quia a nullo duro corde reſpuitur. Reapſe gratia Adamo collata donum erat omnipotentis in actu primo, ſed quia in actu ſecundo reddebatur efficax a conſenſu, nullibi ab Auguſtino dicitur efficaciſſima & potentiſſima: atqui gratiam Chriſti medicinalem, quæ dat velle, & facit, ut faciamus, vocat S. P. validiorem & potentiorem; ergo &c. Deinde S. P. lib. de Gratia Chriſti c. 14. ait: *Qui ergo non venerit, non de illo recte dicitur, audivit & didicit* &c. *Si enim omnis qui didicit venit, quiſquis non venit profecto non didicit.* Ex quibus ſic arguitur. Per Auguſtinum de homine, qui non venit, nec habet gratiam efficacem, non recte dicitur, habet quidem gratiam, ſed non eſt efficax, quia facere non vult, & de eo, qui venit & gratiam habet cum actum conjunctam, recte dicitur, venit, quia a Patre audivit, & didicit; ergo gratia, per quam aliquis venit ad Chriſtum, non eſt efficax ob voluntatis conſenſum. Et l. de Gr. & lib. arb. c. 16. ait. *Ut de cœlo*, Paulus, *vocaretur, & tam magna & efficaciſſima vocatione converteretur, gratia Dei erat ſola.*

R. Tournelius, loco cit. gratiam efficaciſſimam dici ſubitam & indeliberatam motionem, quæ fit in nobis ſine nobis; non vero eam, cui voluntas libere conſentit. Sed fallitur. Si enim gratia eſt magna & efficaciſſima, prout eſt motio indeliberata, quæ eſt in nobis ſine nobis; ergo non habet efficaciam a noſtro conſenſu, ſed eſt efficax in actu

primo.

primo. Deinde S. P. eam gratiam efficacissimam vocat, non solum *ut vocaretur*, sed etiam *ut converteretur*; atqui conversio non est absque arbitrii deliberatione; ergo &c. Item lib. cit. c. 16. ait: *Certum est, nos velle cum volumus; sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est: præparatur voluntas a Domino. Certum est, nos facere cum facimus, sed ille facit, ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: faciam ut in præceptis meis ambuletis* &c.: sed gratia, quæ tribuit vires efficacissimas voluntati, ut velit, ut faciat, ut mandata servet, est per se efficax, non a voluntatis cooperatione; ergo &c.

R. Adversarii: impugnari ibid. ab August. Pelagianos, qui negabant gratiæ prævenientis necessitatem. Recte id quidem: sed ibi S. P. hujus prævenientis gratiæ naturam demonstrat dicens, gratiam ita prævenire voluntatem, ut vi efficacissima operetur & velle, & facere, & implere mandata. Deinde cum Pelagiani prævenientis gratiæ necessitatem negarent, quod putarent ex ea sequi libertatis exitium, nullibi respondet S. D. præmoveri voluntatem a gratia indifferenti, vel congrua; ergo &c.

Idem demonstratur ex Aug. principiis. Primum est: Totum bonum opus ab homine ægroto esse Deo tribuendum: *Tutiores vivimus, si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Sed si totum tribuendum est gratiæ, non partim homini, partim Deo, ipsa cooperatio hominis a Deo est, non autem efficacia gratiæ ab hominis cooperatione; ergo &c. Deinde, cum nobilius sit velle & agere, quam posse, Moliniani deteriores partes Deo, nobis vero nobiliores præbent, quod incongruum est; ergo &c. Secundum Augustini principium est confugere ad judicia Dei. Ita lib. de Don. pers. *Ex duobus impiis*, ait, *cur iste vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem, aut non vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt judicia Dei.*

Eadem habet l. de Sp. & lit. c. 34. ſed Moliniſtæ & Congruiſtæ docent, illum credere, non iſtum, quia ille vult, non iſte, nec tempore congruo ac loco vocatur uterque; ergo penes illos prædeſtinatio non eſt inſcrutabile myſterium.

R. Bellarminus: potuiſſe reſpondere Auguſtinum, *quia unus vult, alter non vult*, ſed quia noverat poſſe Deum ex nolente volentem facere, ſi gratiam congruam conferret, ideo ait: *O altitudo divitiarum.* Sed contra eſt. Nam S. P. ibidem diſcrimen repetit ab excellentia divinæ poteſtatis, quæ pro ſuo beneplacito in uno duritiem frangit, non in alio; cum Deus etiam in oppoſitis circumſtantiis poſſit bonam ac robuſtam voluntatem inſpirare.

R. Alii, hanc quæſtionem ad inſcrutabilia judicia ſpectare comparative, non abſolute: cur enim ille credat non iſte, obvia eſt reſponſio, quia iſte noluit, ille voluit. Sed contra. Si enim quæratur: cur unus ita vocetur ut velit, non alter, ad inſcrutabilia Dei judicia recurrendum eſt cum Auguſtino. Certe unus credit, non alter, quia iſte non vult; ſed iſte non vult, quia juſto Dei judicio ei negatur auxilium *quo.* Hoc vero quibus deeſt pœna peccati eſt, ſi adeſt gratia eſt. Tertium Aug. principium eſt, quod Deo volenti ſalvum facere nullum hominis reſiſtit arbitrium. Ita de Prædeſt. SS. c. 8. *Hæc itaque gratia a nullo duro corde reſpuitur, ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Quod probat S. P. exemplo Pauli, & Abiſai, quorum corda Deus repente mutavit, unde concludit: *Voluntati Dei humanas voluntates non poſſe reſiſtere;* ergo &c. Quartum eſt diſcrimen, quod ſtatuit S. P. inter adjutorium *ſine quo*, & adjutorium *quo.* Illud enim comparat alimentis, ſine quibus non vivimus, nec tamen iis vivimus, ſi mori velimus, hoc beatitudini, qua fit homo continuo beatus. Per illud accepiſſe Adam poſſe, non velle, quod in ejus re-

lin-

linquebatur arbitrio, per hoc dari & poſſe & velle, *nam ſi in tanta infirmitate vitæ hujus ipſis relinqueretur virtus ſua*, ait S. P. A. de Corr. & gr. 12.; *inter tot tentationes, voluntas ipſa ſuccumberet. Subventum eſt igitur infirmitati* &c., ſed hoc diſcrimen nullum eſſet, ſi gratia redderetur efficax vel a voluntate, vel a circumſtantiis. Siquidem Angeli, qui ſteterunt, habuiſſent adjutorium *quo*, non enim major congruitas occurrere poteſt, quam in ſtatu innocentiæ; ergo &c.

R. Simonetus aliique, adjutorium *ſine quo* fuiſſe ſolam illuſtrationem mentis, adjutorium autem *quo* eſſe ulterius inſpirationem bonæ voluntatis. Sit ut lubet adverſariis. Atqui adjutorium efficax in ſtatu naturæ lapſæ per Auguſtinum non ſolum dat velle, ſed etiam tantum velle, ut voluntas non relinquatur ſibi ipſi, ut agatur indeclinabiliter, ut vincat voluntatem carnis, & invictiſſime quod bonum eſt velit; ergo &c. Deinde in contraria ſententia gratia efficax dat velle præmotione morali, quam nec Pelagium negaſſe ſupra oſtendimus. Verum admiſſa etiam adverſariorum ſententia, ex eorum principiis ſic arguitur. Habuit Adam gratiam internæ illuminationis, ſed hæc objectum propoſuit honeſtum & dignum amore; ergo habuit gratiam moraliter præmoventem; atqui per Auguſtinum gratia collata Adæ dabat poſſe, non velle; ergo ad gratiam efficacem, ſive adjutorium *quo*, præter excitationem moralem neceſſaria eſt phyſica præmotio.

R. II. Boucat: Aug. ibi agere tantum de finali perſeverantia, de qua ſolum dici poteſt, movere voluntatem *indeclinabiliter*, alias ſequeretur ex Auguſtiniana ſententia, gratiam non ſolum neceſſitate ad bonum, ſed & figere immobiliter in eo. Utuntur hoc ſubterfugio etiam Congruiſtæ apud Tournely pag. 652. ſed operam ludunt. Non enim negamus, ibi loqui Aug. de gratia, quæ confertur prædeſtinatis, ſed ex ea ſic arguimus. Adam, quia

 ſanus,

ſanus, non indiguit dono perſeverantiæ, neque adjutorio *quo* ad ſtandum; ergo infirmus nequit perſeverare, niſi ei perſeverantia donetur, adeoque nec converti, neque implere mandata, niſi per adjutorium, *quo* ejus virtus perficiatur, & Deus operetur ut velit. Deinde S. P. quod ſpectat ad auxilii efficaciam, victrici gratiæ idem tribuit, quod dono perſeverantiæ: ait enim ad ſanctos pertinere gratiam liberationis, quia caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſed hæc pugna, nedum in fine eſt, ſed etiam in toto vitæ decurſu; ergo &c. Ait II. ſanctis donari per gratiam, non ſolum poſſibilitatem, ſed etiam voluntatem, ne in viribus ſuis glorientur: ſed neque in ceteris operibus in vitæ decurſu iis gloriandum eſt, niſi in Domino; ergo &c. Ait III. ſubventum eſſe infirmitati voluntatis humanæ, ut indeclinabiliter ageretur, ſed quivis ab utero eſt imbecillis; ergo &c.

Quæres num S. P. pro gratia per ſe efficaci pugnam injerit cum Pelagianis. R. Thomaſſinus, Alvarez, aliique Thomiſtæ affirmative (1).

Prob. IV. Ex doctrina aliorum Patrum. Licet Latinos Patribus Græcis præferendos recte moneat Petavius Præfat. l. 6., inter eos vero majorem eſſe Auguſtini auctoritatem (illi enim, ut S. P. obſervat *priuſquam iſta hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſi-*

(1) Hiſce Theologis ſubſcribi poſſe videtur. Agitur enim de mero nudoque facta, quod quidem trahi non debet ad dogma, quaſi illud ſit ultimo judicio ab Eccleſia definitum. Etenim adverſariorum ſententiam non proſcripſit Eccleſia, eique vetat, ne cenſuram inuramus. Idem nobiſcum ſentire videntur ii, qui, ne rigidi fortaſſe, dicaceſque cenſores habeantur, ajunt, Auguſtinum pugnaſſe pro neceſſitate veræ, & interioris gratiæ adjuvantis voluntatem & operationem, & pro gratia natura ſua efficaci invictiſſima argumenta ſuppeditaſſe.

neceſſitatem in hac difficili quæſtione verſari, quod facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur). Non deſunt tamen Chryſoſtomi, Nazianzeni, Cypriani, & Ambroſii loca, ex quibus conſtat, Deum ex indevotis devotos facere, & dare nobis tam credere, quam confiteri. Tertullianus etiam l. de An. 21.: *vim divinæ gratiæ potentiorem natura* dixit, *quod habeat in nobis ſubjacentem ſibi liberam arbitrii poteſtatem.* Baſilius de Spiritu ſancto c. 8: gratiam vocat *auxilium, quod per imperium ſuæ potentiæ operatur in nobis.* Et Serm. de lib. arb. *Gratiam inſuperabilis potentiæ.* Vide Habert Th. Gr. PP. Poſt Auguſtinum S. Proſper ad Rufinum ſcribens ait: Gratia Dei ex *invito volentem facit.* Fulgentius de Verit. præd. 15. *Iſta gratia*, ait, *ut eligatur ipſa prius eligit, neque eligitur, niſi hoc ipſa in corde hominis operetur.* Petrus Diaconus de Incarnat. & gr. *Fruſtra garriunt, qui dicunt: Meum eſt velle credere; Dei autem gratiæ eſt adjuvare, cum etiam ipſum credere nobis a Deo dari teſtetur Apoſtolus.* Quæ loca neceſſitatem ſimul gratiæ prævenientis & efficacis deſignant.

Prob. V. Ex aliarum ſententiarum confutatione. Nam ſententia Moliniana I. opponitur ſacris literis. In eo enim poteſt homo gloriari in ſe ipſo, poteſt ſe ab alio diſcernere, & rationem reddere, cur unus credat, non alter. II. In hac ſententia non facit Deus, ut faciamus, nec operatur in nobis velle & perficere. III. Orationes Eccleſiæ inutiles reddit. IV. Auguſtini doctrinam, ejuſque ſtatus utriuſque diſcrimen funditus evertit. V. Neque ſufficientem gratiam ab efficaci ſecernit, non enim medicina in ſufficientem & efficacem dividitur, quia unus eam ſumit, non alter. VI. In Molinæ ſententia perſeverantia finalis non eſt ſpeciale donum, ſi nullum ſingulare auxilium importat.

Congruiſtarum autem opinio iiſdem ſubjacet incommodis. Nam 1. Circumſtantiæ nullam addunt divinæ gratiæ virtutem. 2. Ex ea ſequitur, homi-

nem in mortis articulo non teneri gratiam exorare: non enim poteſt orare, ut in circumſtantiis magis congruis locetur, cum ſit in mortis articulo; ergo &c. Deinde ſequitur, habuiſſe Adam gratiam congruam, cum in integritate naturæ conditus eſſet, adeoque perſeveraſſe, ſed hoc falſum eſt; ergo &c. Sequitur 3. Non poſſe hominem converti in ipſo æſtu & fervore peccandi, ſed oppoſitum conſtat ex Pauli exemplo; ergo &c. Unde S. P. Hom. 23. *Ut adulterium non committeres, ſuaſor defuit, locus, & tempus defuit: ut hæc deeſſent, ego feci. Adfuit ſuaſor, non defuit locus, tempus, ut non conſentires, ego feci. Agnoſce ergo gratiam ejus, cui debes, quod non admiſiſti.* Non enim medicamenti vis, qua peregrinus Jerichuntinus ſanatus eſt, inde repetitur, quod media via proſtratus jaceret ab aliis derelictus, ſed a miſericordia liberatoris. Ac rerum circumſtantiæ poſſunt quidem infirmitatem aggravare, ſed hæ non tribuunt oleo virtutem, quam habet qualitate ſua, & medici applicatione. Idipſum præſtat gratia Chriſti medicinalis, ut in parabola *Samaritani* ait S. Lucas cap. 10.

Tandem Simoneti ſententia a præcedentibus non diſtat, ea enim auxiliorum ubertas vel vim a ſe habet, & ex voluntate Dei abſoluta, & eſt gratia efficax, vel vim non habet a ſe, & ſtant in ſuo robore præcedentia argumenta. Deinde percipi nequit, cur gratia quævis ſingulariter ſumpta non ſit per ſe cum effectu conjuncta, & talis ſit gratia ex omnium theſauro deſumpta. Tandem ſi gratia ſingularis infallibiliter operans libertatem evertit, cur non evertit gratia illa ex omnium theſauro deſumpta? In ea enim copia eſt aliqua gratia infallibiliter operans. Vide Eſtium, Bancel, Lemos &c.

CA-

CAPUT IV.

De fortuna Moliniani ſyſtematis in literario orbe.

NULLA cenſura Molinæ doctrinam tamquam acatholicam, erroneamque inurendam & caritas poſtulat, & Romanorum Pontificum definitiones, ſed quia falſo nonnulli ſcripſere, ſententiam illam in habitis ventilationibus triumphum ſupra noſtram reportaſſe, proximumque fuiſſe, ut hanc Clemens VIII. proſcriberet, rem aliter eveniſſe oſtendet ſequens

Propositio. Ex variis circa gratiæ efficaciam concertationibus non Molinianæ, ſed noſtræ ſententiæ robur acceſſit.

Prob. ex rerum hiſtoria. I. enim, cum Prudentius de Monte Mayor decreta per ſe efficacia Salamanticæ cogitavit explodere, Univerſitas Salmanticenſis, Banneſii opera, temeritatis nota præſocare novam opinionem curavit an. 1581. II. cum Leſſius & Hamelius in Collegio Lovan. S. J. an. 1586. Molinæ placita tradidiſſent, Lovanienſis Accademia an. 1587., & 1588. Duacenſis graviſſimas cenſuras emiſere, quarum primam Gravius, ſecundum Eſtius adornavit. Addita an. 1588. illius cenſuræ juſtificatione contra Apol. a PP. S. J. conſcriptam, unde tot diſſidia orta ſunt.

Dixerunt quidam, cenſuras illas a Baji aſſeclis conſarcinatas ab aliis theologis fuiſſe reprobatas: ſed hoc falſum eſt. Nam præter auctores earundem, quos ſup. laudavimus, cenſuram Lovanienſem, & gratiæ per ſe efficacis doctrinam in ea contentam, ſemper ab univerſitate defenſam, ipſa juramento firmavit, an. 1648. Et an. 1679. id declaravit R. Pontifici &c. per Lupum noſtrum, alioſque duos, qui ab Innocentio XI. obtinuere 65. propoſitionum proſcriptionem, & oblatis cenſuris & Juſtificatione ſupra cit. ſignificatum eſt iis, doctrinam ibi contentam ab omni errore immunem eſſe. Falluntur ergo qui ſententiam noſtram in Janſenio

putant fuiſſe proſcriptam: nam eo tempore, quo de Janſeniſmo extirpando R. Pont. erat ſollicitus, cenſuras illas, in quibus ipſa continetur expreſſe, ab errore declaravit immunes. Imo Alex. VII. ann. 1660. ſuo brevi Lovanienſis hortatus eſt, ut *Auguſtini & D. Thomæ inconcuſſa dogmata impenſe revereri ſtuderent*, quibus verbis doctrinam de gratia per ſe efficaci ſignificari, quam rejectis Molinæ placitis Lovanienſes defendebant, per ſe notum eſt. Eodem anno 1588. vulgata Juſtificatione Archiep. Mechlinienſis, & Cameracenſis convocare parabant hac de re Provinciale Concilium, ut patet ex literis ad Univerſitatem directis, ſed Rom. Pontif. Sixtus V. per Octavium Fregipanium Apoſtolicum Nuntium utrique parti ſilentium indixit, ne ſe mutuo cenſoria notatione impeterent, donec ſedis Apoſtolicæ accederet definitio. Etiam Duaci utrique ſiluere ea lege, ne PP. S. J. docerent de gratia, quod ab Univerſitate improbaretur.

III. Cum in Hiſpania prodiiſſet Molinæ *Concordia*, eam pro gratia efficaci impugnavit Ordo Præd., cauſſaque ad Inquiſitionem Hiſpaniarum delata, hæc Salmanticæ Univerſitatem conſuluit, apud quam male audiit Molinæ liber, teſte Lemoſio l. 4. Panopl. tr. 4. Verum R. Pont. Clemens VIII. ann. 1592. primo indixit utrique parti ſilentium, deinde mandavit, cauſſam Romæ agitari, promittentibus Jeſuitis, ſe Rom. Sedis judicio ſubſcripturos.

IV. Hujus Congregationis hiſtoria ſcripta eſt a Hyacintho Serry ſub nomine Aug. le Blanc. Lovanii ann. 1700. & a P. Meyer ſub cognomine Eleutherii Antuerp. ann. 1705., quem plane confutare priorem hiſtoriam ſcribit Tournelyus, ſed is forte non vidit alteram editionem Antuerp. an. 1709. in qua Eleutherius revincitur. Quidquid ſit de horum hiſtoriis, conſtat ex actis hujus Congreg. a Nunio Coronel Ord. Noſtri primo Congreg. ſecretario, quæ in Ang. Bibliotheca ſervantur, I. majorem conſultorum partem ſententiam de gratia efficaci

ficaci Moliniano ſenſu ſuis ſubſcriptionibus reprobaſſe. II. Clementem VIII. ad proſcribenda Molinæ dogmata proclivem ſcriptum pro gratia per ſe efficaci ex Aug. locis exhibuiſſe, ejuſque mandato editam a Coronello cenſuram Molinæ, cui fere omnes ſubſcripſere. Extat hæc cenſura in Archivis Ang. Bibl. nec illam denegant adverſarii. III. Paulum V. conſultoribus præcepiſſe, ut delinearent ſinguli edendæ conſtitutionis ſpecimen, omnes vero in damnationem Molinæ iterum conſpiraſſe. Veriſſimum tamen eſt, nullum decretum contra Molinæ ſententiam fuiſſe publicatum, imo decreto R. Pontificis cautum eſt, ne quis oppoſitam ſententiam aliqua cenſura proſcinderet. Cui nos obtemperantes, etſi pro una parte pugnamus, ſuam alteri probabilitatem relinquimus; dicimus tamen, in his controverſiis nunquam ſententiam noſtram, ut Molinianæ accidit, ſubiiſſe proſcriptionis pericula.

Dices: etiam Auguſtini doctrinam Adrumetinis, Maſſilienſibus, aliiſque ſanctis viris diſplicuiſſe, periclitaſſe in cauſſis Gotheſcalchi, Leonardi Utinen. Baji, Janſenii, Queſnelli; ergo &c.

R. ad I. ex Adrumetinis rudiores tantum diſſenſionem ſuſcitaſſe, & hanc etiam opera S. P. opportune ſedatam. In cauſſis aliis, non ſine Auguſtinianæ doctrinæ commendatione hæreſes eliminatas, ut alibi dictum eſt. Hinc eſt quod nullus Rom. Pontifex, vel catholica Academia eam damnavit, ſed aut tenuit, aut ſummopere commendavit. Hinc factum eſt, ut, ubi Molinæ doctrina extra domeſticos parietes vix pedem tulit, omnes fere Ordines regulares, atque theologi præclariſſimi noſtram exceperint. Ex ordine S. Benedicti pro doctrina Aug. pugnarunt Jacobus le Boſſu, Meulartius, Didacus Silva, & doctiſſima S. Mauri Congregatio. Ex Ordine Præd. præter Albertum M. & D. Thomam, Alvarez, Lemos, Bannes, Gonnet &c. Ex Carmeli Ordine poſt Jo. Bacconem Th. Valdenſis, Lezana, Salmanticenſes, aliique. Ex recentiori-

 bus

bus Scotiſtis quidam Moliniſtis acceſſere, non tamen totus Ordo, nam Scotum ſibi adverſari fatetur Molina in Concordia. In Congregationibus de auxiliis Scotiſtæ ſteterunt pro gratia per ſe efficaci. Eandem propugnavit Conrius, Muſſus, a Caſtro, & Macedo. Ex ipſa inclyta S. J. ab hac ſententia non fuiſſe alienum Salmeronem unum ex S. Ignatii ſociis, Reginaldus oſtendit. Cui adde Toletum Card., Pererium, Henricum Henriquez, Azorium, Caniſium, Coſterum, & S. J. Conſtitutiones, ut mittam Ferdinandum de Baſtida acerrimum Molinæ defenſorem, quem abſolutis congregationibus de Auxiliis, una cum veſte ſocietatis, priorem ferunt exuiſſe ſententiam.

APPENDIX

Ubi expoſitio Trid. canonis 4. Seſſ. 6. a cl. Bellellio tradita vindicatur.

Laudatum Canonem non eſſe accipiendum de gratia ſufficienti, ſed de efficaci (Moliniſtice accepta, quæ nempe efficaciam non a ſe ipſa habet, ſed a voluntatis conſenſu) ex eo præſertim demonſtrare nititur auctor diſſertationis Hiſtorico-crit. quia Trid. ibi *agit de gratia, qua liberum hominis arbitrium revera, & in actu ſecundo, ad ſui juſtificationem ſe diſponit ac præparat: at gratia hujusmodi non eſt mere ſufficiens, qua ad ſui juſtificationem nullus ſe diſponit, nec præparat, ſed efficax eſt. Agit de gratia Dei præveniente, movente, excitante, adjuvante &c. cui arbitrium reipſa aſſentitur. At evidens eſt, Dei gratiam, cui liberum arb. reipſa aſſentitur, non eſſe gratiam mere ſufficientem, cui nec cooperatur, nec aſſentitur, ſed efficacem. Atqui P. Bellelli, a P. Berti laudatus* (diſſ. 4. Syſt. Vind. pag. 344. & 345.) *Trid. Canonem, non de efficaci, ſed de ſufficienti gratia* DUMTAXAT *interpretatur dicens, a Trid. Synodo definitum, quod libe-*

liberum arbitrium a Deo motum, & excitatum vocationi interiori sufficienti, quæ dat posse, valeat resistere, si velit, quam quidem gratiam, si vult, abjicere potest, imo & interdum abjicit: at evidens est, subdit Criticus, *Tridentinum ibi loqui de gratia efficaci; ergo Trid. Synodus, arbitrium hominis posse resistere gratiæ efficaci profecto sanxit. Augustinus vero, pergit P. Bellelli, non sufficienti gratiæ, sed per se efficaci, victrici, indeclinabili &c. arbitrium minime posse resistere scripsit. Indicet mihi P. Bellelli in omnibus operibus S. Augustini locum unum S. Doctoris, in quo semel hæc verba habeat*, gratia per se efficax, gratia victrix, gratia indeclinabilis &c., *& erit mihi magnus Apollo.* Verum ab auctore differt. id poscimus, an existimet, gratiam, prout dat posse simpliciter, esse etiam ipsam principium dispositionis humani arbitrii, adeoque utilem & proficuam, an vero supervacaneam aut noxiam? Id enim, ni fallor, consequi videtur ex iis verbis: *gratia hujusmodi non est profecto gratia mere sufficiens, qua ad sui justificationem nullus se disponit, nec præparat*, quibus sane vir, alioquin Catholicus, a Jansefeniano dogmate, quod gratiam sufficientem inutilem aut noxiam statuit, non satis recessisse aliquibus videri posset. Debuit ergo vir eruditus asserere, gratiam mere sufficientem non solam esse, qua homo se se disponit & præparat ad justificationem. Debuit animadvertere, catholicam esse eorum theologorum sententiam, qui docent, gratiam sufficientem respectu unius actus esse efficacem respectu alterius, cui destinatur ex absoluto divinæ voluntatis decreto, ut docent Alvarez, Gonzalez, Lemos, aliique Thomistæ communiter. Imo ipse Congruistarum Coriphæus doctissimus Suarez. Quod quidem fuse demonstraverat cl. Bertius diss. 4. Syst. Vind. a Critico laudata pag. 97. & 98. c. 1. Quare in libero hominis arbitrio a Deo præmoto, atque excitato duo actus attendi possunt,

ſunt, alter deſiderii, tametſi languidi & tenuis ſe ſe convertendi, alius vehemens & validus cum actuali converſione conjunctus. Gratia movens & excitans ad hunc ſecundum actum perfectum, cum ſit mere excitans, ſufficiens eſt, & potentiam proxime expeditam & completam tribuit in linea poteſtatis; at reſpectu deſiderii languidi & tenuis eſt efficax, atque hujus vi liberum arbitrium *in actu ſecundo*, ut Critico placet, reipſa cooperatur, reipſa aſſentitur, & realem ponit diſpoſitionem ad juſtificationem. In hoc autem ſyſtemate recte cohæret gratia ſufficiens cum diſpoſitione ad juſtificationem in laud. Trid. can. 4. ſeſſ. 6. de Juſt. Corruit proinde Critici argumentum. III. Concilium præſcindere voluit ab omnibus ſcholaſticorum ſententiis, ut conſtat ex hiſtoria ejuſdem Concilii. Dummodo ergo teneamus dogma ipſum in eo canone contra hæreticos definitum, licitum erit theologis illud catholice exponere juxta ſcholarum ſyſtema, quod iis aptius videtur verbis ejuſdem Concilii. P. Bellellius canonem illum expoſuit juxta Auguſtinianum, & Thomiſticum ſyſtema de gratia ſufficienti nuper expoſita; ergo immerito carpitur ab Hiſtorico-critico. IV. Concilium in eo 4. canone loquitur de gratia *movente*, *excitante*, & *vocante*. nam alia nomina a Critico addita ſpectant ad gratiam, de qua in can. 3., quamvis ſub utraque gratia de fide ſit, arbitrium hominis liberum eſſe tum a coactione, tum a neceſſitate, & *diſſentire poſſe ſi velit:* præterea verba illa, *ſi velit*, conditionate ſumpta indicant gratiam mere ſufficientem, non per ſe efficacem, quæ facit, ut liberum arbitrium *diſſentire nolit*, licet *diſſentire poſſit vera & activa indifferentia libertatis*. Theologi ergo, qui explicant canonem 4. de gratia per ſe effici ajunt etiam, τὸ, *ſi velit*, non poni ibidem ut veram conditionem, ſed idem ſignificare ac *libere*. Vide Reginaldum de Senſu comp. & div. Porro gratia

tia mere excitans communiter intelligitur pro ſufficienti in ſenſu Auguſtiniano - Thomiſtico ſupra expoſito: τὸ, *ſi velit* (diſſentire) videtur indicare liberum arbitrium poſitum ſub gratia, quæ dat ſolum *poſſe*, *non velle*, & hæc etiam eſt ſufficiens; jure ergo P. Bellellius potuit accipere 4. canonem de gratia ſufficiente, atque hunc ſenſum non excludi fatetur Criticus, qui non ſatis ſibi conſtans, poſtquam irrito labore conatus eſt 4. canonem exponere de efficaci gratia (Moliniſtice, quæ nempe aſſenſum habet a voluntatis conſenſu) Bellellium redarguit, eo quod *de ſufficienti gratia dumtaxat* canonem illum acceperit. Qua in re a veritate, quam longe abeſt. In eo enim loco Syſt. vind. ab ipſo Critico laud. poſt duas tantum paginas, nempe pag. 347. expreſſe ait Bellellius, *non deeſſe inter Theologos orthodoxos, qui contendunt, Tridentinam Synodum de gratia ſufficienti, non de gratia per ſe efficaci in can. 4. exponendam eſſe, non tantum in ſchola eorum, qui ipſam gratiam per ſe efficacem oppugnant* (nempe Moliniſtarum) *ſed etiam in eorum cœtu, qui eandem gratiam defendunt*, quorum aliquos ex Alvarez ib. producit. Gonzalez autem, & Lemoſius expreſſe ejunt, 4. canonem de gratia ſufficienti accipi, ut a Bellellio accipitur. V. Non ſolum auctor Bajaniſmi & Janſeniſmi redivivi, ſed etiam Illuſtr. Languetus in ſuo judicio contra duos Theologos Auguſtinianos eandem accuſationem ingeminat: cui reſpondet cl. Berti in ſua Expoſtulatione pag. 60. *Fulgent. Bellelli explicat quidem Trid. canonem de gratia ſufficiente, quam liberum arbitrium abjicere poteſt, & abjicit, ſed minime negat, eundem canonem etiam accipiendum eſſe de gratia efficaci in ſenſu compoſito Thomiſtarum. Poſt enim ea verba, quæ Archiepiſcopus objicit c. 16. p. 94. ſcripta a Fulgentio immediate ſubjiciuntur : cum qua fidei doctrina recte cohæret. quod arbitrium non diſſentiat, nec reſiſtat, nec reſpuere*

poſſit

possit gratiam per se efficacem in sensu composito, tametsi in sensu diviso possit ab actione, quam efficit, temperare. Queritur proinde Bellelli, hunc illustriss. Præsulem scripsisse, Theologum *ipsa Thomistarum verba usurpantem explicavisse Trid Synodi definitionem contra omnium Theologorum etiam Thomistarum sensum.* Hæc sane latere non poterant Historico-criticum, qui suam dissertationem Romæ vulgavit an. 1763. cum Bertius anno 1756. Expostulationem ediderit. Imo id nosse etiam poterat ex pagiana sequenti, nempe 346. Systematis vindicati ab ipso laudati, ibique videre, Bellellium explicuisse in sensu Thomistarum can. 4. Trid. Synodi de gratia efficaci, Bertium vero jure coarguisse veluti mutilatorem Bellelli operum auctorem Jansenismi redivivi, quam sane censuram potiori jure promeritus est Historico-criticus, postquam eam, eademque de caussa, aliis inustam esse deprehendit. Nos tamen ab ea feriunda consulto abstinemus, at jure ab eo poscimus, ut e sua historia hanc injustam auferat accusationem: *P. Bellelli a P. Berti laudatus Tridentini canonem, atque decretum non de efficaci, sed de sufficienti gratia* DUMTAXAT, *interpretatur* : quam quidem a P. Berti protritam contra bonam fidem denuo recoxit Historicus, cum nosse debuerit, eam fuisse meram calumniam inimicorum P. Bellelli & Berti. VI. Eandem malam fidem prodidisse visus est Historico-criticus referens Bellellii verba: *Augustinus vero* &c. sed trunca & mutilata, sequitur enim immediate Bellellius: *Thomistica tamen distinctio sensus compositi, & divisi hujusmodi difficultatibus complanandis aptissima præ manibus est semper habenda.* Ubi nota: quod P. Bellelli, postquam varia Augustini loca produxit ex l. de Præd. sanct. c. 8. de Corr. c. 12. & 14. ubi statuitur, *humanas voluntates indeclinabiliter, & insuperabiliter agi, nec posse Dei voluntati resistere*, ait: *Oecumenicam autem Trident. Syn. hasce S. Augustini*

ſtini de gratia per ſe efficaci ſententias proſcribere voluiſſe quis aſſerat? Et concludit, ad eas explanandas oportere præ manibus habere celebrem diſtinctionem Thomiſticam ſupra laudatam. Quæ ſane facile potuiſſet agnoſcere Hiſtoricus ex Bertio ipſo in locis cit. pag. 344. & 345. ab ipſo productis, ſed aut non legit, aut trunca & mutila in Bajaniſmo & Janſeniſmo redivivo, aut in Langueti judicio legere maluit. VI. Ceterum non arbitror valde eſſe Bellellio inſudandum, ut ex Auguſtino probet gratiam per *ſe efficacem, victricem, indeclinabilem* &c. Sat erat Hiſtorico-critico, ut ſuum legeret Vaſqueſium. *Eam ex Auguſtino appellaſſe victricem delectationem*, teſtatur etiam ſcriptor Theſium, quas Romæ anno elapſo 1766. in Colleg. S. J. defendit. Verum Bellellius, & Bertius id tanta evidentia demonſtrarunt, ut in ſilvam ligna conferre dicendus eſſet, qui plura hac de re ſcriberet. Debuit præterea laudatus ſcriptor animadvertere, inſtitutum P. Berti non alium fuiſſe quam ſodalem ſuum ab iniqua Bajaniſmi, & Janſeniſmi cenſura vindicare. Ipſe enim in ea ſententia eſt, canonem illum de efficaci gratia non Moliniſtico, ſed Auguſtiniano aut Thomiſtico ſenſu eſſe exponendum. Quod etiam docuit in ſuo compendio noviſſime edito ſub hoc titulo: *Auguſtini Latinorum PP. nobiliſſimi quæſt.* &c. Pars altera de gratia efficaci per ſemetipſam in fine reſponſionis ad opp. III.

CAPUT V.

In quo argumenta expediuntur adverſus gratiam per ſe efficacem.

Ob. I. Gratia per ſe efficax libertatem, & indifferentiam evertit; ergo eſt rejicienda. Prob. ant. Gratia per ſe efficax dat ipſum velle, agere, & operari indeclinabiliter, atqui determinatio actus tollit indifferentiam; ergo &c. II. Trident. Syn.

Seſſ.

Seſſ. 6. definit, *liberum arbitrium a Deo motum, & excitatum poſſe diſſentiri, ſi velit* (1). Sed hoc debet intelligi *in ſenſu compoſito* divinæ motionis, loquitur enim concilium de libero arbitrio præmoto; ergo &c. III. *Quod ſequitur ex antecedenti neceſſario neceſſarium eſt*, ſed gratia efficax cum effectu neceſſario connexa eſt, confertur enim abſoluta Dei voluntate, quæ fruſtrari non poteſt; ergo &c. IV. Per nos gratia efficax eſt victrix delectatio, ſed ex Auguſtino quod magis delectat, illud ſequamur neceſſe eſt; ergo &c. V. Si ſtaret cum præmotione abſoluta libertas, liber eſſet etiam qui vinculis eſt alligatus, ſed falſum conſeq.; ergo & ant. VI. Fruſtrarentur decreta Dei ſi quis hanc gratiam abjiceret; ergo fruſtrari poſſent, ſi abjicere poſſet; ergo &c. VII. Si poteſt quis diſſentiri gratiæ efficaci, vel diſſentietur aliquando, vel nunquam; ſi primum, non eſt ergo gratia efficax, & cum effectu conjuncta: ſi ſecundum, cui bono poteſtas nunquam operatura?

R. I. hoc argumentum olim objeciſſe Semipelagianos, cui occurrit S. P. dicens, perdifficile eſſe libertatem cum gratia conciliare, quæ difficultas ſatis oſtendit, gratiæ efficaciam non eſſe repetendam a voluntatis conſenſu, alias non foret hæc quæſtio *ad diſcernendum difficilis*, ut dicitur ab Auguſtino.

R. II. neg. min. Ad prob. diſt. min. Determinatio actus tollit libertatem, ſi proponat actum bonum ſub omni ratione boni, ut beatis in patria, conc., ſecus, neg. Solutio patet ex Regula 5. l. 4., quam vide. Non ergo inducit gratia efficax neceſſi-

(1) Hunc canonem exponit noſter Bellellius aliique theologi de gratia *ſufficienti*, qua de re immerito carpitur ab auctore diſſ. Hiſtorico-crit. de Antiquis noviſque Manichæis pag. 159. & 160. ut ex iis, quæ ſupra dicta ſunt in Appendice capitis præcedentis monſtratum eſt.

cessitatem, quia cum actu conjuncta est, semper enim liberrima voluntate amplectitur, quod nos magis delectat, quamdiu ipsa delectatio perseverat, possumus tamen non amplecti, quia voluntas *potest alio amore superari, & ex mundi delectatione marcescere*, licet non superabitur, donec caritas Dei vincat pugnantem cupiditatem. Sic quandiu teneor amore vitæ meæ, nunquam me præcipitem dabo, licet id possim, cum ex. gr., vitam veluti noxiam considero.

Ad II. neg. min. Recte enim exponitur Trid. Concilii definitio per sensum compositum, & divisum, ita ut sensus compositus, & divisus per Thomistas appellet positionem actus, non possibilitatem, *Non enim*, ut ait S. Thom. *ista sunt impossibilia, Deus vult istum salvari, & iste potest damnari, sed ista: Deus vult istum salvari, & iste damnatur*. R. II. dist. maj. Potest dissentiri, nec tamen aliquando dissentietur, conc., & dissentietur, neg. Aliud est enim posse dissentiri, aliud reapse dissentiri, stat enim sine actu potentia, & plura possumus facere, quæ non facimus. Sic dum excitamur gratia efficaci infallibiliter assentimur, quia Deus facit ut faciamus, possumus tamen non assentiri, quia hæc excitatio non fit lumine gloriæ, sed eo lumine, quod stat cum indifferentia judicii. Ubi nota: Concilium Tridentinum contra Lutherum & Calvinum definivisse, per Adæ culpam liberum arbitrium non fuisse extinctum, cumque hæretici ex Dei præmotione, & gratia per se efficaci male inferrent, liberum arbitrium non cooperari Deo moventi, definit S. Syn., lib. arbitrium præmoveri utique, sed non rapi necessitate, & etiam motum posse dissentiri, si velit. Doctrinam ergo de gratia per se efficaci confirmat S. Synodus; Consequentiam Calvini jure negat & damnat. Verum ex Trid. Syn. evincitur falsam esse Molinistarum sententiam. Nam Trid. Synodi Canon. 3. sess. 6. *Si quis dixerit, sine præveniente Spi-*

ritu S. adjutorio hominem credere, ſperare &c. ex Can. 6. Synod. Arauſ. ſecundæ deſumptus eſt, ubi dicitur, *ſi quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, pulſantibus nobis dicit miſericordiam conferri divinitus, non autem, ut credamus, velimus &c. reſiſtit Apoſtolo dicenti: quid habet quod non accepiſti? Gratia Dei ſum id quod ſum:* ergo ſuperiori Canone Trid. Synodus *per adjutorium* Spiritus S. intelligit adjutorium, *quo* fit ut credamus, ut velimus &c. non illud, *ſine quo* velle & operari non poſſumus. II. definit S. Syn. Can. 22. *Juſtificatum ſine ſpeciali auxilio Deo perſeverare non poſſe,* ſed in ſententia adverſariorum perſeverantia non eſt ſpeciale Dei donum, cum ſit commune, & det ſolum perſeverandi poteſtatem, non actum, ergo &c. III. Tridentini theologi ferme omnes noſtram ſententiam propugnarunt, ut conſtat ex Reginaldo, & ex eorum operibus; ergo &c. IV. Si eam non propugnarunt, propugnarunt ergo ſcientiam mediam, quam longe poſt Molina ſe inveniſſe gloriatur: ſed hoc eſt abſurdum; ergo &c.

Ad III. R. I. neg. maj. Illud enim axioma, non ſecus ac aliud ſimile, *quod ex inimpedibili per neceſſariam conſequentiam ſequitur, illud inimpedibile eſt & neceſſarium* a Sixto IV. damnatum, & a Petro de Rivo revocatum eſſe teſtatur in ſua Juſtific. Univerſitas Lovanien. R. II. neg. min. Gratia enim, quæ a Dei voluntate abſoluta illi confertur, quantumvis vivida & efficax, non proponit ei bonum ſub omni ratione boni, ut beatis in patria; adeoque relinquit non actum, ſed potentiam ad oppoſitum, qua infallibiliter quidem, ſed libere eſt operaturus.

Ad IV. diſt. min. *Neceſſe eſt*, ſumpta neceſſitate pro infallibili conſecutione actus, conc., pro negatione *poſſibilitatis* ad oppoſitum, neg. Hoc ſenſu neceſſario ſedet, qui efficaciter vult ſedere, licet poſſit non ſedere. Ad V. nego maj. In actibus enim *imperatis* a voluntate, ut ambulatio, ſeſſio &c., cum poſſint a cauſſa extrinſeca impediri,

cogi

cogi possumus, non in elicitis, ut est velle & nolle, licet possimus necessario velle, si in bono nullam apprehendamus mali rationem, quam necessitatem non infert gratia Christi, nisi in patria. Ad VI. neg. cons. Decretum enim Dei est, ut operemur, sed libere; repugnat ergo, hominem sub eo decreto non operari, non tamen repugnat, immo conforme est eidem posse non operari. Ad VII. Neg. min. Ad hoc enim ut potentia non sit frustranea, sat est posse non agere, licet semper agat, alioquin frustranea esset potentia sub gratia congrua, cui non resistitur.

Ob. II. Is. 5. ait Dominus: *Quid est, quod debui facere vineæ meæ, & non feci?* sed si necessaria esset gratia efficax, responderi potuisset, debuisti dare gratiam efficacem; ergo &c. R. I. potuisset etiam responderi: debuisti dare gratiam congruam. R. II. Loqui Prophetam de gratiis externis Ecclesiæ Judæorum, quibus *sepivit* eam, ideft ab hostibus communivit &c. Si velis ea verba ad prædestinatos referri, significant Dei beneficia deberi, supposita promissione & prædestinatione divina.

Ob. III. Nomen gratiæ se ipsa efficacis Calvinus invexit; ergo rejiciendum. R. I. neg. ant. Nam S. P. A. Dei gratiam *efficacissimam* dixit, atque *omnipotentissimam.* R. II. neg. cons. Vocabulum enim ab Hæreticis intrusum ad fidem labefactandam potest a catholicis usurpari ad eam confirmandam, ut de *Homousio* factum est, quod a Sabellianis male usurpatum, a catholicis receptum est. Longe tamen abest nostra sententia a Calviniana. Illa enim docet, nihil arbitrium operari sub gratia efficaci, nos ipsam præstare dicimus, *ut velimus, ut faciamus, ut operemur.*

Ob. IV. Increpationem Bethsaitarum, & Augustini loca, in quibus S. D. videtur adstruere gratiam congruam. Verum his quoque satisfecimus c. 8. Diss. 2. l. 4. in R. ad 1. & 2.

Ob. V. Ex nostra sententia removeri virtutes,

torporem, & desperationem induci; ergo &c. R. Ex Mss. Patris Desirantii ostendi, gratiam per se efficacem esse omnium virtutum fundamentum, quod nos Diss. 1. l. 6. c. 15. demonstravimus.

Ob. VI. Admittitur a nobis gratia efficax titulo infirmitatis, sed infirmitas exigit, ut tot vires ægro restituantur, quot sunt in morbo; ergo non est ei necessaria gratia efficax, sed tantum gratia ut quatuor, si concupiscentia sit quatuor graduum. R. neg. min. Si enim animus ex æquo afficiatur delectatione sancta, ac noxia, nunquam se in unam potius, quam in alteram partem inclinabit, sed pendebit anceps, donec una sit altera robustior, ut ait S. P. l. 8. Conf. c. 5. II. Ut docet S. P. A. c. 12. de Corr. *Si in tanta infirmitate ipsis relinqueretur voluntas sua, nec Deus operaretur ut vellent, inter tot tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet.* Agere ergo, & non agere, vel determinare se ipsum est arbitrii sani & robusti, non autem infirmi.

CAPUT VI.

De vulgato axiomate, facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.

NOT. I. Non defuere ex scholasticis, qui putarunt, naturalibus operibus vim meriti inesse *de congruo* ad gratiam obtinendam, ac posse hominem naturæ viribus se se ad eam disponere. Est autem inter dispositionem, & meritum aliquod discrimen: hoc enim movet quodammodo Deum, ut gratiam conferat, illa vero subjectum præparat, ut si conferre velit non respuat. Ita Scotus, Gabriel, aliique. Moliniſtæ docent, facientibus quod in se est per vires naturæ Deum largiri suam gratiam, non quod opera illa naturæ, aut gratiam mereantur, aut ad eam positive disponant, sed lege quadam & pacto a Deo inito cum Christo Jesu, ut bene utentibus naturali lumine supernaturale ex Dei

Dei beneplacito non denegetur, quæ ſententia rejicitur a Suareſio, Ripalda, Vaſqueſio &c. qui ait, illam accedere ad errores Maſſilienſium.

Not. II. Hanc propoſitionem: *gratia non datur ſecundum merita* ſpectare ad *habitualem* gratiam, & ad *actualem*, de qua lis erat inter catholicos & Pelagium, atque eo tendunt omnia Auguſtini argumenta contra Pelagium ipſum. Certum eſt tamen augmenta gratiarum, & vitam æternam meritis retribui, quæ a libero arbitrio comparantur per gratiam, unde gloria vocatur ſimul *miſericordia*, quia opera noſtra per ſe inepta ſunt ad vitam æternam, & *corona juſtitiæ*, quia tamquam merces rependitur meritis auxilio Dei comparatis.

Propositio I. Opera naturalia, nec de congruo, nec de condigno gratiam Dei mereri poſſunt.

Prob. I. Scripturis. Jo. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.* Et c. 6.: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater traxerit eum.* Et Philipp. 1.: *Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere.* Rom. 11.: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei.* Et 1. Cor. 4. *Quid habes, quod non accepiſti:* Rom. 11.: *Si autem gratia, jam non ex operibus.* Atqui ſi operibus naturalibus aliquo pacto gratia deberetur, poſſet quis ſine Deo aliquid facere, ad Chriſtum venire, gloriari; prior dare &c.; ergo &c.

Prob. II. Ex Concilio Dioſpolitano, qui oppoſitum errorem damnavit (*a*), ex Arauſicano II. (*b*), ex Conciliis Africanis (*c*), & Trid. ſeſſ. 6. c. 3., ubi definitur, neminem *ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione* poſſe credere, ſperare &c., & *juſtificationis exordium a præveniente* gratia ſumendum, ergo &c.

Prob. III. Ex Auguſtino (cui ſubſcribunt Patres omnes), qui l. de peccato orig. c. 24. ait: *Non enim gratia erit ullo modo, niſi gratuita fuerit omni*

(a) *Ap. Aug. l. 1. cont. Jul. c. 5.*
(b) *Can. 3. 46.* (c) *Ap. Proſp. c. 10. cont. Coll.*

modo, quia caritas non merita sequitur, sed facit &c. Et ep. ad Xiſtum 105. *Reſtat, ut ipſam fidem, non humano tribuamus arbitrio, nec ullis præcedentibus meritis, ſed gratuitum donum Dei eſſe fateamur;* & l. de Præd. ſanct. c. 5. demonſtrat, in ſacris litteris commendari gratiam, *quæ bonos diſcernit a malis, non quæ communis eſt bonis, & malis:* Fides ergo, vocatio, & quidquid ad juſtificationem diſponit, gratia eſt, quam mereri non poſſumus præcedenti opere naturali. Cum ergo fides mereatur juſtificationem *de congruo*, & ſit revera ſalutis initium, opera autem naturalia nullo modo ad juſtificationem perducant, dicendum eſt, ex iſtis operibus nec de *congruo* gratiam nos promereri poſſe.

Prob. IV. ratione. Si gratia daretur ſecundum merita, eſſet prædeſtinatio, & gloria opus currentis, non miſerentis, & quiſque ſe per ſe ſe a non electis deſcerneret. Nec foret Dei vocatio mirabilis & inſcrutabilis, ageret homo, non ageretur, & fruſtra Deum oraret: ſed hoc ſcripturæ adverſatur; ergo &c.

Propositio II. Nemo poteſt ſe *poſitive* ad gratiam diſponere, & *negativæ* diſpoſitionis nullam rationem habet Deus.

Prob. I. pars. Nam ſi id poſſet, aliquid ſine gratia poſſet, & ex eo eſſet juſtificationis exordium, gloriari poſſet, ſe prius dediſſe Deo, animam nempe diſpoſitam; ergo &c. II. Concilium Arauſ. II. definit, miſericordiam non conferri ſine Dei gratia deſiderantibus, conantibus, laborantibus &c. Sed conatus, labor &c. eſt diſpoſitio; ergo &c. III. Diſpoſitio ad gratiam eſt juſtificationis exordium, ſed hoc eſt a præveniente gratia ex Trid.; ergo &c. IV. *Aufertur gratia cum a libero prævenitur* arbitrio, ex Proſp. adv. Coll. 39., ſed hæc diſpoſitio gratiam prævenit; ergo aufert. V. Aut hæc diſpoſitio cum gratia connectitur, aut non; ſi primum gratia eſt ex operibus, ſi ſecundum nulla eſt; ergo &c.

Prob.

Prob. II. pars ex Auguſt. ad Simpl. q. 2., ubi demonſtrat, neque majus ingenium, nec minora peccata, neque honeſtas utileſque doctrinas eſſe cauſſam gratiæ. ait enim: *Videmus quoſdam homines in caſtitate viventes, ſine querela, & tamen hæreticos, vel paganos.* Et in I. de Pecc. mer. 22. *Unde ſit, ut homo ab ineunte pueritia modeſtior, ingenioſior &c. eo loco ſit, ubi ei prædicari Chriſtiana gratia non poſſit? . . . alius autem tardus ingenio, flagitiis coopertus ita gubernetur, ut audiat, ut credat, baptizetur &c.* In his, ait exclamandum eſſe, *O altitudo*; ſed hoc non eſſet, ſi minor obduratio, ſeu negativa diſpoſitio, Deum moveret ad gratias largiendas; ergo &c.

Propositio III. Nulla lege, vel pacto dat Deus gratiam facienti, quod in ſe eſt per vires arbitrii.

Prob. I. Sic enim non eſſet omnino inſcrutabile Dei judicium, cur hic trahatur, non ille, nec gratia præveniret, aut Deus bona opera inchoaret; ergo &c. II. Pactum illud neque ex Scripturis evincitur, neque ex traditionibus, ex quibus conſtat, Deum omnia in nobis operari, & ab eo greſſus dirigi, & converti corda mortalium; ergo &c. III. Hæc ſententia præſefert errores Maſſilienſium, qui ex Caſſiano Coll. 13. non ajebant, nos per opera naturalia gratiam mereri, ſed quod Deus a libero arbitrio *quoſdam conatus bonæ voluntatis vel exigit, vel expectat*, ſed ex pactione Moliniana Deus *exigit vel expectat* opera naturalia; ergo &c. Nec dicas, gratiam Dei non ſemper expectare, ut velimus; idipſum enim ajebat Caſſianus apud Proſp. c. 10. ubi ait: *quaſi multum gratiæ tribuas, ſi in quorumdam mentibus bonæ voluntatis initium ſit ex gratia Dei, in aliis ex ſola natura:* ex quibus infert Martinez, a Caſſiano non diſſentire qui ait, non ſemper gratiam Dei conferri *facienti quod in ſe eſt viribus naturæ*, cum aliquando conferatur non facienti, imo nolenti, & reſiſtenti. IV. In eo ſyſte-

mate gratia non est gratuita. *Quomodo autem non advertis*, ait S. Prosper loc. cit. c. 6. *te in illud damnatum incidere: gratiam secundum merita nostra dari, cum aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur affirmas?* Id patet ex parabola patrisfamilias, qui operarios conducit pacto denarii diurni: quod debitum fuisse constat ex iis verbis: *tolle quod tuum est*. Nec dicas, hoc verum esse tantum relate ad Christum, cum quo pactum initum est, nam merces imputatur etiam *ei*, *qui operatur;* ergo si gratia tribuitur naturalibus operibus ex pacto etiam liberali, imputatur *secundum debitum* & Christo, cum quo Pater pactum iniit, & *facientibus quod in se est*. V. Ex hac sententia sequitur, opus bonum esse ex nobis, quod est Pelagianum. Sequitur ex dictis hoc axioma, quod Habert ait, a Patribus esse derivatum, ita esse accipiendum, quod facienti quod in se est adjutorio gratiæ moventis & operantis, Deus gratiam in tribuat uberiorem, sive fidem perfectam, justificationem, beatitudinem &c. Ita S. Th. 1. 2. q. 109.

Ob. I. ex scripturis illud Prov. 16. *Hominis est animam præparare.* Zach. 1. 3. *Convertimini ad me, & convertar ad vos.* Matth. 25. *Uni dedit quinque talenta, alii duo &c., unicuique secundum propriam virtutem.* Luc. 11. *Dabit spiritum bonum petentibus se.* Jo. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Rom. 7. *Velle adjacet mihi.* Apoc. 3. *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit, intrabo ad illum ;* ergo &c. II. ex Patribus Græcis præsertim. Nam Orig. hom. 29. in Num. ait: *Si offeramus Deo justitiam nostram, accipiemus ab ipso justitiam Dei.* Chrys. hom. 45. in Gen. ait: *Homines se prius ad gratiæ beneficia disponere, & hæc promereri.* Ambr. l. 4. in Luc. ait: *Non dormientibus divina beneficia servari, sed observantibus.* Hieron. Dial. 1. contra Pel. *Nostrum quidem est velle, & currere, sed, ut voluntas nostra*

compleatur & Curſus, ad Dei miſericordiam pertinet. S. P. 19. de C. D. 13. ait, Deum dediſſe quædam bona huic vitæ congrua, *eo pacto æquiſſimo, ut qui iis recte uſus fuerit, accipiat ampliora* &c., & contra Porph. 9. *Deus,* ait, *nulli unquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit dignus non fuit.* S. Th. de Ver. q. 14. ſcribit, quod ſi aliquis nutritus in ſilvis *ductum naturalis rationis ſequeretur, ei Deus vel revelaret credenda, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium.* Prob. III. ratione. Non officit creationi animæ, quod homo corporalem materiam præparet, & diſponat; ergo nec gratiæ quod homo ſe ad eam poſſit naturaliter præparare. Deinde Sacramenta verbis conſtant, ac ſenſibilibus elementis, & tamen iis confertur gratia, & character; ergo a pari. Tandem in Molinæ ſententia gratia non datur ſecundum merita, ſed ex Dei liberalitate; ergo non eſt Pelagiana.

R. neg. conſ. Scripturæ enim commendant liberum arbitrium, non tollunt gratiam prævenientem. Ad I. R. S. P. l. 2. ad Bonif. c. 9. n. 20. *Hominis eſt præparare cor, & tamen ut hoc faciat homo adjuvat Deus: quia præparatur voluntas a Domino.* Ad II. R. commendari ibi liberum arbitrium, habetur enim in Pſ. *Converte nos Deus.* Ad III. R. In parabolis non omnia prorſus rei ſignificatæ reſpondere, nec deeſſe, qui hunc locum de gratiis gratis datis, exponunt. Locum Jo. ita exponit S. P. *Si ergo credis ipſa tibi poteſtas data eſt.* Loci Rom. 7. ſenſus eſt, bonum velle, quod nobis adjacet Dei gratia, ut aderat Paulo juſtificato, non ſufficere ad perfectionem bonorum operum, abſque gratia Dei cooperante ob pravam cupiditatem. Locus Apoc. oppoſitum oſtendit, nempe Deum pulſare ad oſtium, antequam homo aperiat.

Ad Patres reſpondetur, eos docere, nos per arbitrium Dei gratia præmotum ad juſtificationem, & ad ampliora beneficia diſponi. De Origene di-

ctum eſt c. 1. fuiſſe fontem & originem Pelagianiſmi. Hieronymus loco cit. ſignificat, quæſtionem inter Catholicos & Pelagianos non fuiſſe, an detur in nobis liberum arbitrium, cujus eſt velle & currere, ſed de gratia adjuvante, & operante, quæ antecedit omnem motum bonæ voluntatis. De hac ergo Atticus ait, non ſic donata eſt liberi arbitrii gratia, ut Dei per ſingula tollatur adminiculum. Ad Auguſtinum R. Optime dixiſſe, quod bene utentibus bono temporali, æquiſſimo pacto rependitur æterna gloria; ſed ad hoc opus habet *magiſterio divino*, ut c. ſeq. ait S. P. In Opuſc. contra Porph. ait S. P. Deum non defuiſſe iis, qui digni fuerant, ita tamen ut ipſe dignos fecerit ſua vocatione & propoſito. D. Thomam cenſent nonnulli priorem retractaſſe ſententiam, nos arbitramur, ubique locutum abſque præjudicio præmotionis divinæ, ut conſtat ex 1. 2. q. 109. art. 6.

Ad rationes reſpondetur: ad primam retorqueo argumentum. Nam anima rationalis, cum certas materiei diſpoſitiones exigat, eſt naturalis corporum forma; ergo & gratia naturalis perfectio eſſet, ſi homo ad illam ſe ſe nativa poteſtate diſponeret. Ad II. neg. conſ. & retorqueo argumentum: Nemo enim percipit gratiam vi ſacramentorum per contritionem naturalem; ergo naturalis diſpoſitio non ſufficit ad gratiam obtinendam. Deinde neg. conſ. & par. Nam Sacramenta, in quorum participatione dignoſcitur Eccleſia viſibilis debent conſtare ſenſibilibus elementis, ſed res ſupernaturalis a naturali pendere non debet, niſi huic divina virtus accedat. Ad III. neg. ant. Fatetur enim Molina loc. cit. neceſſarium non eſſe, ut quis incurrat in Semipelagianiſmum, meritum concedere conatibus ſolius naturæ, cum ſufficiat iis ſubjungere gratiam pediſſequam, unde Martinez ait, *ſatis conſtat illius ſententiæ auctores non effugere, quantum par eſſet, doctrinam Maſſilienſium.* Nihil eſt ergo in nobis

nobis quod amet Deus, nisi ex illius munificentissima largitate. Ut enim ait Prosp. epigr. 65.

Tales a Domino, quales formamur amamur,
Non quales nostris extitimus meritis.

LIBER XV.

De hæresi Semipelagiana.

QUAMVIS Pelagiana hæresis ab Augustino dominicæ vineæ providissimo operario, verbis, & scriptis fuerit pene extirpata, prava tamen subinde germina emisit, nimirum Semipelagianorum errores circa gratiam Christi, quos eo qui sequitur libro XV. extirpare conabimur duabus dissertationibus, quarum prior historicas, posterior vero dogmaticas continebit positiones.

DISSERTATIO I.

De hæresis Semipelagianæ historia.

DE hoc argumento tribus capitibus, eo qui sequitur ordine pertractabimus.

CAPUT I.

De Semipelagianismi auctoribus, ejusque hostibus.

NOT. I. Ex Augustini scriptis de gratiæ operatione, ac divinæ voluntatis proposito, complures falso arbitrantes fatalem consequi necessitatem, in oppositam abiisse sententiam, tria ex adverso constituentes. I. Initium fidei, seu bonam voluntatem credendi esse ex nobis, absque gratiæ adjutorio, ex illius autem fidei merito, gratiam, & justificationem conferri. II. Prædestinationem nullam esse, nisi ex præscientia meritorum, adeoque electorum numerum augeri posse, vel minui. III. Prædestinationem non esse speciale Dei donum.

Not. II. Licet Semipelagianismi origo ad vetustiora tempora referri possit. Nam ipse Augustinus ante

ante Episcopatum, tum Adrumetini monachi, aliique hoc errore detenti sunt. Sed in sectam non coaluit, nisi circa ann. 428. aut sequentem. Sit itaque

Propositio I. Semipelagianismus circa an. 428. a Lirinensibus monachis ortus est.

Prob. Ex historica narratione. Cum enim in Galliam delatus esset Augustini liber de Corr. & Gratia, cœperunt Lirinenses monachi, inter quos aliqui erant scientia, & sanctitate conspicui, insectari S. P. doctrinam. Scripserunt ea occasione ad Augustinum Hilarius & Prosper, quorum epistolis acceptis libros edidit de Prædestinatione sanctorum, & de Dono pers. II. Horum Semipelagianorum ducem fuisse Cassianum scribunt, præter Vossium, Norisius, Suarez, Petavius, Gonzalez, Tournely, Habert, aliique plures: eumque frustra purgare conati sunt Possevinus, Ciacconius, Cuikius, & Boucat. Scripsit Cassianus de Institutis Cœnobiorum libros 12. & Collationum lib. 24. quos impugnavit S. Prosper. III. Alter Semipelagianorum coryphæus post Cassianum est Faustus Rejensis ex Norisio, Baronio, Bellarmino, aliisque. Patronos habet Driedonem, Tapperum, Sirmondum, Cellotium. Fuit Lirini Abbas, post Rejensis Episcopus. Scripsit de Spiritu sancto, de gratia, & arbitrio libellos, & epistolas alias apud Gennadium. IV. Gennadius ipse Semipelagianis adhæsit, ut Lovanienses, Bradvardinus, Mendoza, nec non Bellarminus, Baronius, Norisius, aliique recentiores ostendunt. Defenditur tamen a Suaresio. Scripsit Gennadius lib. de Viris ill., & juxta nonnullos, lib. de Eccl. dogm. qui rejicitur in append. T. 8. op. S. Aug. V. His accedunt Vincentius Lirinensis, & Hilarius Arelatensis sanctitate, & doctrina percelebres, quos Semipelagianis accenset Norisius, cui subscribunt viri doctissimi. Quamquam de Hilario invaluit opinio, eum Semipelagiana dogmata ejurasse. Constat itaque ex his omnibus Semipelagianismum

nifmum circa an. 428. a Lirinenfibus monachis ortum effe.

Propositio II. Poft Auguftinum contra Semipelagianos acriter decertarunt Hilarius, & Profper. Plures etiam Romani Pontifices, & facrofancta Concilia.

Prob. I. pars, item ex hiftoricis monumentis. Illi enim S. P. adhuc viventem de Maffilienfium erroribus certiorem fecerunt, eoque defuncto Romam ad Cæleftinum profecti funt, ut ipfe novos Pelagianos reprimeret. Ann. 429. S. Profper fcripfit contra eofdem epiftolam ad Rufinum. An. 433. fcripfit lib. adv. Collatorem, nempe Caffianum, & an. 434. refpondit ad capitula Gallorum, ad objectiones Vincentianas, & ad excerpta Genuenfium. Edidit etiam plura epigrammata, & carmen de ingratis. Libros autem de Vocatione gentium Profperum fcripfiffe, negat Norifius, & Voffius, dubitat Labbe, qui cum Norifio probat, eum non fuiffe Epifcopum Regii Lepidi, ut putant poft Honorium Sixtus Sen., Poffevinus, Baronius, Sigonius, Bradvardinus, Trithemius, Voffius. Epifcopum enim numquam dixere Victorius Aquitanus, Gelafius, Gennadius, Marcellinus comes &c. ergo &c.

Prob. II. pars. Nam SS. Profperi, & Hilarii opera Cæleftinus fcripfit contra Semipel. epiftolam ad Gall. Epifcopos an. 431. quamvis capitula huic epiftolæ adnexa Cæleftini non effe obfervarint Voffius, Noris, Alexander, Ballerinii, aliique: ea tamen Cæleftino annuente a Profpero, aut alio Auguftini difcipulo fuiffe concinnata cum Vafquefio, aliifque probabiliter dici poteft. Idem præftitit Gelafius in ep. ad Picenos Epifcopos ann. 493. Hormifdas in ep. ad Poffeff. ann. 520.; ergo &c.

Prob. III. pars. Profcripta eft enim Semipelagiana hærefis in fecunda Synodo Araufiсana fub Felice IV. ex Garnerio, Voffio, & Maurinus Patribus an. 529. Confirmavit Arauf. Concilii decreta Bonifacius

facius II. Synodus Valentina an. 840., & Tridentina sess. 6. an. 1549.

CAPUT II.

De Semipelagianismi nota Chrysostomo affixa.

Inter eos, quibus Semipelagianismi nota immerito affixa est, non est prætereundus S. Jo. Chrysostomus, sanctitate & doctrina clarissimus. Illum tamen defendunt Vellosillus, Sixtus Sen., Alexander, l' Herminier, Habert, Boucat, aliique recentiores, quibuscum sit

Propositio. Chrysostomus Semipelagianismum non docuit, sed præfocavit.

Prob. Chrysostomus enim I. Capitale Semipelagianorum dogma rejicit. II. Fontes, unde profluit, illustrat. III. Arma suppeditat, quibus plane confoditur. IV. Et Canones, quibus proscribitur, sunt ejus verbis exscripti; ergo &c. Probatur ant. Quoad I. partem. Primarium dogma Semipelagianum est, initium fidei &c. esse ex nobis, sed hoc rejicit S. D. hom. 4. in 2. Ephes. *Non enim fides*, inquit, *ex nobis, nisi enim vocasset, quomodo credere possemus?* Et Hom. 19. in ep. ad Rom. ad ea verba: *Vide bonitatem Dei*, ait Chrysostomus, *non dicit, vide virtutem tuam, aut labores tuos, sed Dei bonitatem.* Prob. II. pars. Fontes, a quibus profluit Semipelagianismus, idest contortas scripturarum interpretationes, ut illud Prophetæ: *Extendi manus meas ad populum non credentem: hominis est præparare animam suam* &c. catholice exponit. Libertatem vero cum gratia præveniente componit. Ait enim cum Catholicis, Deum non prævenire voluntates humanas impellente necessitate, sed primam inclinationem in bonum præsupponere gratiam moventem. Hinc hom. 12. in ep. ad Hebr. *Non prævenit*, ait, *ne perdat liberum arbitrium.* Et Hom. 12. in 2. Cor. *In nostra voluntate totum, post gratiam Dei, relictum est.* Vult itaque Chry-

sosto-

ſoſtomus, Deum expectare voluntatis noſtræ deliberationem, & opus, ſed nihil a nobis fieri ait, niſi poſt gratiam, licet hæc non ita præveniat, ut tollat arbitrium. Sicut ergo Semipelagianiſmum non adſtruunt ſcripturarum loca, quæ noſtrum eſſe clamant velle, quærere, parare animam &c. ita nec adſtruunt verba Chryſoſtomi.

Prob. III. pars. Semipelagianiſmus confoditur præſertim ex Ap. loco 1. Cor. 4. *Quid habes, quod non accepiſti?* Quo etiam ab errore iſto ſe eſſe revocatum narrat S. P. de Prædeſt. ſanct. 3. Porro Chryſ. hunc locum exponens, ait: *quid igitur te habere ſimulas, quod non habes? Quamvis fidem adducas, a vocatione eam accepiſti, dona, virtutes, omnia inde tibi provenerunt;* ergo &c.

Prob. IV. pars. Nam canones 3. & 6. Syn. Arauſicanæ iiſdem Chryſoſtomi verbis ſupra laudatis videntur expreſſi, ut conſtat ex eorum inter ſe collatione; ergo &c.

Ob. cum Vaſqueſio. Chryſoſtomus hom. 42. in Geneſ. ait: Deum voluntatem noſtram attendere; ergo &c. II. Hom. 27. aliquam ex nobis pœnitentiam eſſe, ac proinde dilectionem, & ſpem, quæ tamen de ſe peccatum non delet, niſi accedat gratia Dei, ſed hoc ait etiam Caſſianus Coll. 20. ergo &c. III. Eadem habet hom. de Dan. & Noe. IV. Hom. 17. in Joan. ait: *Deum noſtras non prævenire voluntates, ſed a nobis incipiendum eſſe.* V. Hom. 12. in ep. ad Hebr. *Oportet nos eligere primum, quæ bona ſunt, & tunc ipſe, quæ ſua ſunt introducit, non enim antecedit voluntates, ne lædatur arbitrium;* ergo &c. VI. Hom. 8. in ep. ad Rom. ait, *fidem præcedere, & gratiam impetrare;* ergo &c. VII. Hom. 41. ait, gratiam iis conferri, qui ea ſe reddunt dignos; ergo &c.

R. ad I. neg. conſ. Loquitur enim ibi Chryſ. de eleemoſyna, in qua Deus reſpicit voluntatem, non cenſum, quod probat exemplo viduæ Sareptanæ, quæ pavit Eliam. Hanc vero voluntatem ſine gra-

tia

tia non esse docet Chrys. ibid. Ait enim, viduam illam gratiam habuisse, & præceptum, ut Eliam pasceret; subit enim, *vide spiritus gratiam.* Dum ergo ait, nos a Deo adjuvari, dum nitimur ad virtutum agones, loquitur de gratia cooperante: non enim Deus nos spectat, ut in agone certantes, sed vires addit. Ad II. dist. maj. Ait ex nobis esse pœnitentiam, sine ulla gratia præveniente, neg., cum hac gratia, conc. Ait enim ibid. *Bonus Dominus servo quantum ne cogitare quidem ausus fuit dedit, is enim ejus mos est, ut præveniat petitiones nostras.* Vult ergo Chrys., justificationem homini non conferri, nisi pœniteat, speret &c., sed hoc ut faciat gratiam requirit, quam Cassianus non agnovit, ut infra videbimus. Ad III. R. I. Homiliam de Dan. non esse Chrysostomi. R. II. ibi non secus ac in hom. de Noe loqui de augmentis gratiarum. Daniel enim & Noe justi erant, & benedictionibus a Deo præventi. Ad IV. neg. cons. Loquitur enim Chrys. de augmento gratiarum, ac de beneficiis Andreæ collatis, quem vocationi obtemperantem Dominus constituit apostolum. Ad V. dist. maj. *Oportet nos eligere*, absque gratia præveniente, neg., per gratiam ipsam, conc. loquitur enim S. D. de iis, qui currunt, dicens: *etiamsi curras, & studium adhibeas, ne tuum existimes, si quod recte gestum est, nisi enim cœlesti auxilio potiaris, omnia frustra sunt;* non ergo gratiam excludit, sed arbitrium commendat. Ad VI. dist. ant. Ait fidem impetrare gratiam sanctificantem, conc., actualem, neg. Habet enim ib. *Accedit fides, per gratiam attracta.* Ad VII. dist. maj. Et loquitur de augmento gratiæ, conc., de prima vocatione, neg., laudat enim ibi Pelagiam patientem, postquam Dominus ei donaverat, ut martyrium pateretur, sicut ergo gratia subsequens, ita nec cooperans tollit prævenientem.

CA-

CAPUT III.

De Cassiano, Fausto, Vincentio, aliisque Semipelagianis.

Nil derogat aliquorum sanctitati, qui ante ecclesiæ definitionem obscurissimas gratiæ quæstiones, non recte explicarunt; nam cum S. Prosper & Hilarius ut sanctos commendent Massilienses; sicubi SS. viros supra laudatos Pelagianos dicimus, de doctrina loquimur, non de persona. Sit ergo

Propositio I. Cassianus non potest a Semipelagianismo excusari.

Prob. I. ex Isidoro Pelusiota, qui eum temerarium appellat, & Augustini doctrinæ impugnatorem ex Adone Viennen. qui Cassiani *opera caute legenda* monet, maxime de lib. arbitrio & gratia. Cassiodorus ait, Cassianum ab erroribus purgatum, etiam a Victore Martyritano. Bradvardinus Cassiani sententias vocat *hæreticas, & pelagiano veneno prægnantes.* Baronius negat, eum *fuisse omni ex parte catholicum;* ergo &c. Inquisitio Hisp. hanc propositionem damnavit: *Cassianus non fuit Semipelagianus.* S. Prosper, quem ecclesia Romana *eruditione, & pietate insignem* appellat, librum edidit adv. Coll. qui liber in Cod. Corbej. antiquiss. inscribitur *liber S. Prosperi contra librum Cassiani Presb.* Gelasius *opuscula Cassiani apocrypha declaravit*, non quia non extant in canone, alias etiam Prosperi opera dixisset apocrypha, nec quia incertum habent auctorem, nam ibi Cassiani nomen apponitur; ergo apocrypha dixit, quia sensum catholicum non exhibent; ergo &c. V. Cassianus Coll. 13. ait, *ut clareat etiam per naturæ bonum quod beneficio conditoris inductum est, bonarum voluntatum prodire principia, Apostolus testis est dicens: velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio;* ergo &c. VI. L. 12. de Inst. Mon. 14. ait: naturaliter inesse cuique animæ virtutum semina beneficio creatoris

inserta, conatus nostros gratiam præcedere, & hanc laborantibus, sudantibus &c. conferri; ergo &c.

Ob. I. cum Boucat. Cassianus Coll. 3. 4. ait; *Ex Deo quidem est, quoties nonnunquam etiam dormientes nos ad desiderium salutis exsuscitat.* II. Col. 13. ait, *non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis & initia bonæ voluntatis inspirat.* III. S. Prosper in Collationibus, non Cassiani sensum reprobat, sed Abbatis Cheremonis; ergo &c.

R. ad I. dist. ant. ex Deo est *nonnunquam*, conc., semper, neg. Ut enim ait S. Prosper fatetur ibi Cassianus in *portione* gratiam, *quam negabat in universitate vocatorum*, ait enim, *nonnunquam conatus bonæ voluntatis, vel exigit, vel expectat.* Ad II. dist. maj. Quatenus naturæ bonum beneficio creatoris indultum est, & nonnunquam in portione vocatorum gratia etiam dormientes excitat, conc., prout est semper gratiæ donum, neg. Postquam enim hæc adnotavit S. Prosper ait: *Etiamsi bonis cœptis necessarium Dei fateris auxilium, ipsos tamen laudabiles motus, appetitusque virtutum, remota gratia Dei, nudæ libertati adscribis arbitrii.* Ad III. R. neg. ant. Loqui enim Cassianum in proprio sensu constat ex l. de Inst. Mon., ubi asserit, primam gratiam præsto esse, *occasione sibi tantummodo a nobis bonæ voluntatis oblata.* Hunc autem librum esse Cassiani patet, nam auctor spondet Castori, se PP. *Collationes* editurum; ergo &c. Deinde S. Prosper adv. Coll. c. 2. ait, Collatorem Cheremonis *per omnia suscepisse sententiam.* Reapse Collator non emollit, nec notat interjecta parenthesi, quod ponit in ore Cheremonis; ergo probat. Tandem Boucat sibi contradicit, qui ex Coll. 13. probat, Semipelagianos gratiam actualem non admisisse.

Ob. II. Collationes Cassiani laudantur a D. Benedicto Reg. 24., & Climaco &c.; ergo &c. II. Cassianus ut sanctus colitur in monasterio S. Victo-

ris 10. Kal. Aug.; ergo &c. III. In damnatione Semipel. non nominatur; ergo &c.

R. ad I. dist. ant. Laudantur quoad institutionem religiosorum, conc., quoad doctrinam de gratia, neg. Ad II. R. I. nonnullos de sanctitate Cassiani dubitasse, eo quod S. Prosper eum accusare videatur hypocrisis, & superbiæ, & Clem. VIII. vetuerit ejus venerari reliquias. R. II. neg. cons. Nihil enim derogat sanctitati Cassiani nota Semipelagianismi, ut sup. notavimus. Carpit ergo D. Prosper doctrinam, non auctorem, vel alios forte Semipelagianos hypocritas. Clemens vero vetuit venerari Cassiani reliquias, vel quia de *identitate* earum non constaret, vel quia opportunum non erat ebullientibus controversiis de Gratia, Cassiani cultum promovere. Ad III. neg. cons. Non enim nominatur, quia non erravit pervicacia cordis. Nam S. Prosper c. 3. contra Coll. de eo, aliisque Semipel. ait, *dum adhuc non sunt a fraterna sanctitate divisi toleranda est magis intentio, quam desperanda correctio*, qua de caussa nec Pelagius ab Augustino, nec Bajus a Pio V. nominatus est.

Ob. III. Cassianus fuit Chrysostomi discipulus; ergo ut ille excusandus. R. I. Habert, Cassianum a Chrysostomo pulsum ab ecclesia C. P., ubi diaconi fungebatur officio, ut opinantur Trithemius, S. Antoninus, Sigebertus &c., quibus tamen Norisius non assentitur, nam Cassianus Romam venit in causa Chrysostomi, nec ab eo, sed cum eo ab Urbe pulsus est. R. II., & melius, Cassianum nonnullas Chrysostomi sententias, quæ prima fronte Semipelagianæ videntur, non esse assecutum.

Propositio II. Faustus Rejensis episcopus fuit Semipelagianus.

Prob. I. ex cap. *Sancta Romana*, ubi Fausti opuscula rejiciuntur tanquam *apocrypha*. II. ex ep. Hormisdæ ad Poss., ubi declarat, ea non esse recipienda. III. A Jo. Maxentio Faustum refutatum testantur PP. Africani, & Fulgentius de Verit. præd.

IV. Isidorus Hispal. narrat, a Fulgentio 7. libros contra Faustum esse conscriptos. V. Cæsarius Arelaten., ut ex Ennodio constat, Augustini doctrinam contra Faustum propugnavit. VI. Petrus diaconus Ecclesiæ noxiam esse demonstrat Fausti doctrinam. VII. Defensores gratiæ, ut prædestinatianos a Fausto traductos, & Arausicanam Synodum contra Faustum præsertim fuisse coactam Norisius demonstrat (*a*). VIII. Faustus l. 2. de Lib. arb. c. 6. docet, in electione ad gratiam *observari merita* : Abelem Deo placuisse *per propriæ voluntatis affectum* : virtutem fidei tunc datam esse, quando inspiravit Deus *animæ notitiam suam* : per legem naturæ *inesse homini intellectum Dei pariter & cultum* : nostrum esse ut *quærendi*, *& pulsandi importunitate* Deo *placeamus*. Non esse in quo jucundetur benignitas largientis, *si non prius explorata fuerit inquirentis aviditas* ; ergo &c.

Dices cum Sirmondo: Faustum accusatum a Jo. Maxentio Eutychiano errore imbuto; adeoque fidem non mereri. II. Afros Faustum insectatos ob errorem Prædestinatianorum, quo erant occupati; ergo &c. III. Gelasius non damnavit Fausti libros cum eos declaravit apocryphos; ergo &c. R. ad I. neg. ant. Maxentius enim fuit orthodoxus, ut lib. de Incarn. ostendemus. Nec solus, sed alii quoque PP. Fausti scripta damnarunt. Ad II. neg. ant. 1. enim hæc hæresis fictitia est; 2. ea nequit Afr. PP. nec Fulgentio tribui, qui Faustum impugnavit, & Ecclesiæ fidem de Gratia egregio volumine declaravit. Ad III. neg. ant. Constat enim oppositum ex ep. Hormisdæ, ex decreto Gelasii, & ex Patrum auctoritate.

Propos. III. Vincentius Lirin. fuit & ipse Semipelagianus.

Ita Norisius, Alexander, Pagius, aliique, & Prob. I. enim ex libro Prosperi contra Ob. Vincent. constat, aliquem fuisse Vincentium Semipelagianum, sed is non fuit Vincentius Victor, au[illegible] es-

byter

(a) *B. 2. Vind. c. 23.*

byter, cujus meminit Gennadius, nam hic floruit poſt obitum Proſperi, qui contigit an. 456., Gennadius autem ſcribebat circa an. 490. Nec fuit Vincentius Victor ab Auguſtino confutatus, id enim ei objeciſſet S. Proſper; ergo fuit Vincentius Lirinenſis.

Prob. II. Lirinenſis cum Semipel. docet, 1. nullam eſſe gratiam ſpecialem, ſed cuique quærenti aut pulſanti communem, dicens Commonit. c. 37. *Audent docere, quod magna ac ſpecialis ſit gratia, etiamſi nec petant nec quærant*; ergo &c. 2. Auguſtinum de Præd., & de Don. perſ. differentem modum exceſſiſſe cum Semipelagianis affirmavit; ergo &c. 3. Maſſilienſes vocat, *vetuſtatis prædicatores*, Hilarium vero ac Proſperum, *novitatis inventores*: adeoque rejiciebant Aug. ſcripta de neceſſitate gratiæ *ad initium ſanctæ credulitatis*. Vid. Noriſium l. 2. Hiſt. Pel.

Prob. III. Cæleſtini verba ad epiſcopos Galliæ, *deſinat inceſſere novitas vetuſtatem* contra Hilarium, & Proſperum detorquet dicens, Common. 43. *Hæc fuit Cæleſtini ſententia, non ut vetuſtas ceſſaret obruere novitatem, ſed potius novitas deſineret inceſſere vetuſtatem.* Ubi nota cum Noriſio, Alexandro &c., hæc verba ferire Hilarium, & Proſperum (qui ſoli ex Gallis ad Cæleſtinum profecti erant) eoſque tamquam criminatores refellit his verbis, *ut quidam criminantur*, cum Cæleſtinus utriuſque ſollicitudinem commendaverit. II. Per ea verba, *hæc fuit Cæleſtini ſententia*, innuit Lirinenſis, novitatem Auguſtinianæ doctrinæ non debere antiquam inceſſere a Maſſilienſibus propugnatam, criminabantur enim Semipelagiani, *contrarium eſſe Patrum opinioni quidquid de vocatione electorum ſecundum propoſitum* S. P. Aug. *diſputavit*; ergo &c.

Ob. I. Macedo: hæc ſententia eſt unius Voſſii, Noriſii, ac Lupi; ergo &c. R. neg. ant. Fatetur enim Macedo, plures hac de re Noriſio conſentire, & Noriſius oſtendit ſuam de Vincentio ſententiam probari a Garnerio, Fraſſenio, Altemio, a Mauri-

 nis

nis PP., Thomaſſino, Poncio, quibus adde Alexandrum, Pagium, Graveſon &c.

Ob. II. Lirinenſis non eſt auctor Obj. Vincent. Nam Lirinenſis fuit Pelagianorum hoſtis; ergo &c. II. Commonit. 4. laudat Cæleſtini epiſtolam contra Semipelag. III. Objectiones illæ, utpote inſulſæ, a Lirinenſis doctrina abhorrent; ergo &c. IV. Earum auctor eſt Vincentius presbyter ex Baronio, Vaſqueſio &c. R. I. neg. conſ. Nam Lirinenſis Semipelagianiſmus etiam ex ejus Commonitorio erumpit. R. II. ad I. neg. conſ. Nam Semipelagiani omnes Pelagianos execrabantur ob negatum ab iis peccatum originale, quod ipſi admittebant. Ad II. diſt. ant. Laudant in pluribus, conc., in omnibus, neg. Ad III. neg. conſ. Nam in Commonitorio etiam idem apparet ingenium. Ad IV. neg. ant. Vide Prob. I.

Ob. III. Lirinenſe Commonitorium mirifice commendatur, ut oſtendit Macedo; ergo &c. II. In eo non carpit Lirinenſis Auguſtini diſcipulos a Cæleſtino laudatos, ſed conventiculum hæreticorum, ut conſtat ex iis verbis, *in conventiculo Eccleſiæ ſuæ*. III. Ea verba, *audent polliceri* &c. catholice exponi debent de ordine executionis, quo ſenſu etiam Auguſtinenſes docent orandum, ac laborandum eſſe; ergo &c. R. ad I. diſt. ant. Commendatur quoad monaſticam diſciplinam, conc., quoad doctrinam de gratia, neg. Ad II. neg. ant. Putabant enim Semipelagiani, a Cæleſtino improbatam Auguſtini doctrinam in poſtremis libris de electione ſecundum propoſitum; qua de re ejus diſcipulos carpit Lirinenſis, veluti Prædeſtinatianos, & eorum Palæſtram *conventiculum* dixit. Ad III. neg. ant. Nam ſpecialis gratia per Auguſtinum datur etiam non quærentibus, & neceſſaria eſt ut quæramus.

Ob. IV. Lirinenſis Semipelagianiſmus ejus ſanctitati repugnat; ergo &c. Scripſit enim poſt Cæleſtini epiſtolam, ubi damnatur Semipelagianiſmus; ergo

ergo peccavit. II. Norisius negat Semipelagianos ignorantia invincibili laborasse, eosque *lupos* & *hypocritas* vocat; ergo &c. III. Semipelagianismus cum Pelagiana hæresi damnatus erat ex Aug. de Præd. sanct. 2.; ergo &c.

R. neg. ant. Nam Semipelagianismus ab Arausic. Syn. II. sub Felice IV. damnatus est, adeoque ad hæc usque tempora *citra læsæ fidei* crimen ex Norisio propugnari potuit; ergo nihil repugnat sanctitati Lirinensis, aliorumque, qui ante ea tempora illo errore imbuti sunt. Ad prob. neg. conf. Censuit enim Lirinensis a Cælestino postrema Augustini opera non fuisse probata, nam capitula Cælestini epistolæ adnexa, in quibus Semipelagiani aperte damnantur, non sunt Cælestini. Ad II. neg. conf. Norisius enim, licet eam ignorantiam vincibilem appellet, negat tamen ab hæresi, & a peccato excusari non posse. Lupos autem, & Hypocritas vocat Semipelagianos, quoad doctrinam, non quoad mores. Ad III. neg. conf. Nam S. P. fatetur, eos *plurimum a Pelagianorum errore discerni.* Et S. Prosper Cassianum ut catholicum, licet Semipelagianum, agnoscit.

Propositio IV. S. Hilarius Arelat. fuit Semipelagianus: an talis obierit incertum est.

Ita Norisius, aliique contra Macedo, & Neusser; & prob. I. pars ex D. Prosp. ep. ad Augustinum, ubi ait: *S. Hilarium Arelatensem Episcopum, sciat beatitudo tua, admiratorem in aliis omnibus, tuæ esse doctrinæ, & de hoc, quod in querelam trahit, apud sanctitatem tuam sensum suum velle conferre,* quo testimonio Hilarii Semipelagianismus invicte comprobatur, teste Alexandro, Pagio, Gravefon &c.; ergo &c.

Ob. I. Norisius ne unum quidem auctorem pro sua sententia proferre potest; ergo falsa est. R. neg. ant. Norisio enim subscribunt eruditi omnes, ut Ballerinii demonstrant. Addit Norisius, Rainau-

 dum,

dum, Holstenium, Sirmondum, Usserium, Lupum, Maguinum, Sanmarthanos fratres &c.

Ob. II. Hilarius Arelat. est vere auctor epistolæ ad Augustinum scriptæ adversum Massilienses; ergo &c. Prob. ant. I. Enim S. Prosper ait loco citato, Hilarium Arelatensem velle cum Augustino sensum suum conferre per literas. II. Hilarius Arelatensis Augustino notus erat, eumque audierat in Africa, & ad eum scripserat epistolam 156., quæ omnia conveniunt auctori epistolæ contra Massilien.; ergo &c. III. S. P. Prospero respondens Hilarii non meminit; ergo norat rectam ejus fidem.

R. neg. ant. Auctor enim epistolæ ad Augustinum fuit laicus, & doctrinam Augustini in omnibus complexus est; ergo non fuit Hilarius Arelatensis. Ad I. prob. neg. conf. Solutio patet ex dictis. Ad II. neg. maj. Arelatensis enim admodum juvenis ex Eucherio in monasterium se recepit, nec in Africa fuisse unquam invenitur. Illa autem epistola non est Hilarii Arelatensis, sed Hilarii, ut ex vet. mss. Benedictini observarunt. Ad III. neg. conf. Aug. enim Arelatensis in ea responsione non meminit, vel quia sui amatorem noluit redarguere, vel quia ejus epistolas expectabat.

Ob. III. Hilarius anno 429. nondum erat Episcopus; ergo ejus non meminit S. Prosper. Prob. ant. ex Eucherio, qui in Paren. ad Valerianum ait; *Hilarius nuper, & nunc Antistes Petronius, unus in religionis, alter in sacerdotii nomen ascendit:* sed Petronius electus est Bononiæ Episcopus an. 430.; ergo Hilarius, qui tunc in religionis nomen ascendit, non erat Episcopus. R. neg. ant. Nam Hilarii præcessor Honoratus Patroclo successit ann. 426. sed is vixit an. 2. & mortuus est die 14. Jan. an. 429. ut patet ex ejus oratione funebri ab Hilario habita, qui statim ei successit, ut patet ex vita Hilarii ab Honorato Massiliensi scripta; ergo &c. Ad prob. dist. maj. Et τὸ *nuper* ad dignitatem Episcopatus referri debet, conc., ad monachatum Hilarii,

larii, neg. Senſus ergo Eucherii eſt, Hilarius nuper Antiſtes Arel. & Petronius nunc Epiſcopus in Italia &c. Reapſe Eucherius libro de Laud. Eremi edito an. 428. Hilarii meminit jam monachi Lirin., ut Pagius obſervat.

Ob. IV. S. P. in libris de Don. Perſ., quos an. 428. adornavit, c. 21. ait: *Nunc facio libros, in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi*, ſed per Noriſium S. P. an. 427. libros retractatos explevit; ergo ante an. 428. quando Hilarius non erat Epiſcopus, ad eum ſcripſit Hilarius, & Proſper. R. diſt. min. Explevit libros tantum, conc. etiam *opuſcula*, neg. Libros ergo an. 427. explevit, ſed *opuſcula*, quæ retractanda ſuſceperat, non perfecit a Juliano ac Semipelagianis ad nova certamina provocatus.

Prob. ſecunda pars contra Tillemontium, Pagium &c., qui ex antiquiſſimo auctore vitæ S. Hilarii conantur oſtendere, Hilarium gratiæ prævenientis neceſſitatem tandem aliquando admiſiſſe, ait enim, quod *bellum juge nulli deerit, quicumque ad beatitudinem cœleſti gratia præcedente, & induſtria ſequente voluerit pervenire*; ſed ex his verbis aſſeritur tantum neceſſitas gratiæ prævenientis ad operis perfectionem, & conſecutionem beatitudinis, non ad fidei initium &c.; ergo &c. II. Semipelagiani ex epiſtola Proſp. ad Aug. *Voluntates a gratia non negant eſſe præventas.* Nam ex Aug. de Don. perſ. 1. *Pervenerunt etiam ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur:* atqui ſcripſit ſimilia etiam Caſſianus, nec tamen a Semipelagianiſmo eſt immunis; ergo &c. Ceterum ex Hilarii ſanctitate, & ex epiſtola Proſperi, quæ Hilarium exhibet cupidum conferendi cum Auguſtino *ſenſum ſuum*, non dubitamus, quod Hilarius, ſi agnoviſſet, depoſuiſſet errorem ſuum, an vero id fecerit incertum eſt, ut ait Noriſius.

PROPOSITIO V. Gennadius ad Semipelagianos acceſſit.

Prob. I. enim in l. de Viris ill. Rufinum vocat

Doctorum Ecclesiæ partem non minimam, Hieronymum vero obtrectatorem ſtimulo æmulationis incitatum, ac Rufini invectivas ad Eccleſiæ utilitatem aſſerit eſſe conſcriptas. II. De Proſpero ait: *Caſſiani opuſcula, quæ eccleſia Dei ſalutaria probat, ille infamat nociva.* Ex adverſo Caſſiani opera mirifice laudat. III. Fauſti libros vocat *opus egregium.* IV. De Auguſtino ait c. 38. *Error illius ſermone multo contractus.* Vide Noriſium, Gonzalez, Voſſium, Pagium, Bellarminum &c.

Ob. I. Gennadius de Eccl. dogm. 56. ait: *Nullum credimus ad ſalutem niſi Deo invitante venire.* Et c. 21. *Initium ſalutis noſtræ Deo miſerante, & inſpirante habere nos credimus*; ergo &c. R. I. Cum Noriſio, hoc opus a Gennadio ſcriptum multo poſt librum de Viris ill. & jam apocryphis declaratis a Gelaſio Caſſiani & Fauſti opuſculis, quæ Gennadius tam impenſe laudaverat. R. II. Incertum eſſe, num opus illud ſit Gennadii fœtus. Ex Voſſio inſcribitur alicubi Fulgentio, Iſidoro, & Gregorio. Magiſter Sent. Auguſtino tribuit, Trithemius Alcuino, unde Maurini eum inſcripſere: liber Gennadio tributus.

Ob. II. Gennadius c. ult. de Viris ill. ait, *& opus de fide mea miſi ad B. Gelaſium*; ergo aliud opus, ideſt de Eccl. dogm., ad Gelaſium miſit: atqui non miſiſſet ad Pontificem, qui Semipelagianos profligaverat, opus eorum hæreſi infectum; ergo &c. R. ut ſupra. Recte autem eruditi emendarunt τὸ *hoc opus.* Liber enim de Viris ill. non eſt opus de fide. Adde, in pluribus mſſ. hoc poſtremum caput deſiderari.

Ob. ultimo. Quod Gennadius ſcribit de Caſſiano & Fauſto fuit ex ignorantia facti, non ex errore dogmatis; ergo &c. R. neg. ant. Nam c. 28. ait, ſe legiſſe Proſperi opuſcula contra Collatorem, ubi videre debuit c. 21. Cæleſtinum reprehendiſſe Caſſianum, & Auguſtini opera celebri elogio probaſſe; ergo &c.

DISSERTATIO II.

De Semipelagiano dogmate.

AGEMUS hoc loco 1. de gratia a Semipelagianis admiffa, 2. de interioris gratiæ neceffitate.

CAPUT I.

An Semipelagiani gratiam aliquam admiferint ad initium fidei.

CENSUIT Janfenius, Maffilienfes ad initium fidei veram gratiam admififfe, & in eo erraffe, quod ejus ufum vel abufum in arbitrii relinquerent poteftate. Gonet duas claffes Semipelagianorum diftinguit, quorum aliqui gratiam omnem negabant ad initium fidei, alii indifferentem tantummodo agnofcebant, & arbitrii pediffequam. Sed hæc fententia a Janfenii opinione non differt. Is enim l. 7. c. 2. inter primos Semipelagianos Fauftum, Caffianumque recenfet, inter fecundos autem eos, qui in gratia indifferentiam admittebant arbitrii. Differt tamen Gonetus a Janfenio, quod is hærefim Semipelagianam in arbitrii indifferentia conftituit, a quo pravo dogmate Gonetus & Macedo, quibus noftratum plures accedunt, longe abfunt. Contendit Bellelli, Semipelagianos non denegaffe ad initium fidei gratiam conditoris, fed reparatoris tantum (1). Mediftæ nullam veram gratiam ab iis admif-

(1) Bellelli fententiam acriter defendit infignis theologus Ord. Capuccinorum P. Viator a Coccalio in Difquif. Syftematica de mente S. Profperi Aquitani adnot. 18. in Carm. de Ingr., ubi quanti Bellellium fecerit immortalis mem. Benedictus XIV. obfervat. Auguftinum vero *de efficaci dumtaxat gratia contra Pelagianos difputaffe*, ac Thomiftarum complures, eofque nobiliffimos, hac in parte nobis fuffragari demonftrat Bellellius de mente

admiſſam putant ad fidei initium, quibus accedunt Baſilius Poncius, Boucat, l' Herminier, Tournelyus, aliique. Nos utriuſque momenta proferemus.

Propositio I. Semipelagianos gratiam aliquam indifferentem ad fidei initium agnoviſſe pluribus momentis oſtendi poteſt.

Prob. I. ex Proſperi ep. ad Aug. n. 4. ubi ait, Semipelagianos docere, ad gratiam Chriſti homines *pervenire per naturalem facultatem, petendo, quærendo, pulſando, ut ideo accipiat quia bono naturæ bene uſus, ut ad iſtam ſalvantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire.* Ubi S. Proſper Semipelagianos redarguere videtur, eo quod nullam gratiam admiſerint, præter gratiam conditoris Adæ collatam, non enim *gratiam* initialem intelligit nudam arbitrii facultatem, quam non negabant nec rigidiores Semipelagiani; ergo &c. II. S. Proſper ait, Semipelagianos *gratiam Dei etiam illis voluntatibus ſubdere, quas ab ea non negant eſſe præventas;* ergo &c. III. Hilarius ait ad *nullum opus, vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam ſibi ſufficere poſſe conſentiunt*, quæ verba recitat ex Hilario S. P. de Præd. ſanct. c. 1. VI. Semipelagiani ægre ferebant diſcrimen illud inter auxilium *ſine quo* Adæ collatum, & auxilium *quo* prædeſtinatis paratum: & in eo volebant ab Adam noſtram diſtare naturam, *ut illum juvaret gratia volentem, hos autem amiſſis viribus, credentes tantum erigat proſtratos, ſuffulciat ambulantes;* ergo &c. V. Ex Hilario n. 4. ajebant, non valere de fide teſtimonium Apoſtoli, *quid habes quod non accepiſti? Cum in eadem natura remanſerit, licet vitiata, quæ prius ſana*

mente Aug. l. 2. de Gr. creat. innoc. Imo Patres Maurini obſervarunt in præf. gen. Op. S. Aug., hoc idem jamdiu notatum tom. 1. Theol. dogm. pag. 749. ab ipſo Petavio, *viro* (ut ipſi ajunt) *Auguſtinianæ doctrinæ magis perito, quam tenace.*

ſana donata eſt; ergo &c. VI. Eam gratiam Semipelagiani negabant, ex qua conſequi putabant libertatis exitium &c. Sed hoc non ſequitur ex gratia verſatili; ergo &c.

Propositio II. Nec deſunt argumenta, quibus oppoſita ſententia firmatur.

Prob. I. Initialis gratia a Semipelagianis admiſſa eſt ſola naturalis facultas; ergo &c. Prob. ant. ex verbis Proſperi ſup. cit. in prob. I. Prop. II. Idem Proſp. ait: Semipel. aſſerere, gloriam *ab his apprehendi, qui Deo ſponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint;* ergo &c. III. Ex eod. Proſp. docebant: *obedientiam priorem eſſe, quam gratiam, ut initium ſalutis ex eo, qui ſalvatur, non ex eo ſit, qui ſalvat,* IV. S. P. de Præd. SS. fatetur, ſe ante epiſcopatum cum Semipel. putaſſe, *fidem non eſſe donum Dei: ſed a nobis;* ergo &c. V. Bonifacius Papa ep. ad Cæſar. ait: *Indicas; quod aliqui epiſcopi Galliarum fidem, qua in Chriſtum credimus, naturæ eſſe velint, non gratiæ.* VI. Aug. de Præd. Ss. probat, Semipelagianos non recedere a dogmate Pelagiano, *gratia ſecundum merita naturæ datur.* VII. Syn. 2. Arauſicana contra Semipelagianos ſtatuit, initium fidei non eſſe in nobis naturaliter, *& per naturæ vigorem;* ergo &c. VIII. Damnata eſt ut falſa quarta Janſenii Propoſitio: *Semipelagiani admittebant gratiæ interioris neceſſitatem etiam ad initium fidei;* ergo &c.

Quæres: quid nos hac de re ſentiamus?

R. I. Indubitatum eſt, Semipel. ægre tuliſſe gratiam victricem, & prædeſtinationem gratuitam, ex qua *removeri* putabant *omnem induſtriam, tollique virtutes, & fatalem quandam induci neceſſitatem,* ut conſtat ex Proſp. ep. n. 3. & Hilarius ſcribit, eos noluiſſe *ita dividi gratiam, quæ vel primo homini data eſt, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perſeverantiam, non* qua *fieret ut perſeveraret,* ſed ſine qua *perſeverare non poſſet. Nunc vero ſanctis tale adjutorium perſeverantiæ detur, non ſolum*

lum ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verum etiam ut per hoc donum perſeverantes ſint.

II. Opinamur falli Janſenium ex ep. Proſperi duas Semipel. claſſes diſtinguentem, quorum alii nullam veram gratiam agnoſcerent, alii verſatilem & indifferentem. Nam S. Proſper ib. narrat, Semipelagianos omnes Auguſtini doctrinam de prædeſtinatione improbaſſe, ſed in eo tantum diſcrepaſſe, quod alii gratiam prævenientem, quæ ad fidem requiritur expreſſis verbis, nec admittebant, nec reſpuebant. Alii ad Pelagianos declinantes, & fidem diſtinguentes ab operibus, aperte aſſerebant, ad fidei initium ſufficere naturalem facultatem. Hinc S. P. A. librum edidit de Prædeſt. Ss. ad probandam gratiæ neceſſitatem ad fidem, & de Dono Perſ. oſtendens gratiam eſſe ſpeciale Dei donum populis prædicandum. In prima claſſe erat Caſſianus, qui ex Proſpero, modo exemplis Pauli, modo Zachæi, *nunc validum, nunc infirmum oſtendit arbitrium*, quaſi quidam ſint, qui *propriis viribus impleant*, *quod alii facere, niſi Deo adjuvante non poſſunt.* Ex quibus conſtat, Semipel. ſæpe ſibi contradicere, & nunc videri Catholicos, nunc Pelagianos.

III. Certum eſt etiam, Semipelagianos ad initium fidei gratiam internæ illuminationis admiſiſſe. I. quia hæc apud Proſp. in epiſt. ad Auguſtin. eorum profeſſio eſt, *omnem hominem ad credendum, divinis inſtitutionibus admoneri*, & neminem poſſe credere, *ſi non præcederet præconium veritatis*, quod ſe tenuiſſe ante epiſcopatum aſſerit S. P.; ergo &c. II. ſi hanc gratiam negaſſent, ait Petavius Hiſt. Pel. c. 9. fuiſſent Pelagianis deteriores, qui tandem eam gratiam agnovere; ergo &c.

IV. Indubium eſt, Semipel. non admiſiſſe ad initium fidei gratiam, quæ inſpirat dilectionem per Spiritum S. Quod conſtat I. Ex ep. Hilarii, ubi ait, eos probaſſe Auguſtini ſententiam ex ep. ad Rom. ab eo retractatam l. 1. Retr. 23. quæ habet: *Spiritus*

ritus ſanctus non datur niſi credentibus, quia niſi credat, non accipit Spiritum S. per quem bonum poſſit operari; ergo Semipelagiani negabant ad initium fidei eam gratiam, quæ datur per ſubminiſtrationem Spiritus S., & dilectionem inſpirat. II. S. P. c. 3. de Præd. ſanct. caſtigans, quæ minus caute dixerat loc. cit. ait: *Quod dixi noſtrum eſt credere & velle, illius autem dare facultatem bene operandi, verum eſt quidem, ſed utrumque ipſius eſt: quia ipſe præparat voluntatem;* ergo Semip. negabant ad initium fidei gratiam ſanctæ dilectionis, quæ præparat voluntatem. III. S. Profper in Carm. c. 19. Semipelagianos redarguit, quod gratiam tantum proponentem objectum admitterent, non excitantem ſive moventem, niſi metaphorice, quomodo excitatur in nobis odium vel amor, dum videmus, aut audimus res delectabiles vel horribiles, addens, nullum eſſe diſcrimen inter gratiam a Semipelagianis admiſſam, & legem, atque doctrinam; ergo &c. IV. Synodus Arauſicana II. contra Semipelagianos ſtatuit canon. 5. quod *ſi quis initium fidei non per gratiæ donum, ideſt per inſpirationem Spiritus ſancti, ſed naturaliter nobis ineſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus adverſarius approbatur;* ergo &c.

Ex hac noſtra ſententia ſequitur: I. Verum eſſe, Semipelagianos repudiaſſe ſpeciale donum perſeverantiæ, & diſcrimen inter adjutorium *quo* & *ſine quo*, adeoque gratiam efficacem ad initium fidei. II. Verum eſt admiſiſſe, voluntates noſtras a gratia præveniri quoad opus, non quoad voluntatem, ad quam admittebant initialem aliquam gratiam, ideſt inſtitutiones & illuſtrationes animorum. Inter Adamum autem & lapſos hoc agnoſcebant diſcrimen, quod ille integris viribus volebat, & volentem gratia juvabat, at hi habent quidem naturaliter credulitatis affectum, ſed ob vires deperditas eorum voluntas ad recte ambulandum erigenda eſt per gratiam inſpirationis. In Adamo ergo ſolam

ſolam admittebant gratiam adjuvantem, ſi vellet perſeverare, in lapſis negabant gratiam voluntatis ut crederent, admittebant ut poſſent operari: ex quo pravo dogmate ſequebatur, gratiam dari ſecundum merita. III. Ex argumentis Prop. II. probatur ſolummodo, Semipelagianos ad initium fidei veram Chriſti gratiam non admiſiſſe, quæ per nos eſt caritas actualis, & inſpiratio ſanctæ dilectionis. Merito ergo proſcripta eſt quarta Janſ. propoſitio ut falſa & hæretica, ut falſa, quia Semipelagiani ad initium fidei non admiſerunt gratiæ interioris prævenientis neceſſitatem, cum non admiſerint gratiam ſanctæ dilectionis; ut hæretica, quia poſſe huic gratiæ reſiſtere dogma Catholicum eſt, non Semipelagianum.

CAPUT II.

De prævenientis gratiæ neceſſitate ad initium fidei.

PELAGIANIS profligatis S. P. Aug. Semipelagianos quoque fidem divinam ab operibus diſtinguentes, egregio opere de Præd. ſanct. confutavit, cujus inhærendo veſtigiis ſit

Propositio. Gratia Chriſti neceſſaria eſt ad initium fidei.

Prob. I. ex Apoſt. Roman. 11. *Si autem gratia jam non ex operibus, ſed* talis eſſet, ex Auguſt. de Præd. ſanct. c. 2., *ſi non pertinet ad Dei gratiam, quod credere cœpimus;* ergo &c. Apoſtolus Rom. 11. ait: *Quis prior dedit illi & retribuetur ei?* atqui ſi initium fidei noſtræ in nobis eſt, illud *priores damus Deo, ut retribuatur nobis ſupplementum ejus,* ait ib. S. P. ergo &c. Apoſtolus 1. Cor. 4. ait: *Quis enim te diſcernit?* Sed ſi a nobis eſſet initium fidei, *poſſet dicere homo inflatus, diſcernit me fides mea, juſtitia mea;* ergo &c. Ita S. P. ib. c. 3. Vid. l. 14. c. 12. Prop. I. Philippenſes I. *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo,* ſed ad patiendum

pro

pro Christo, gratia requiritur; ergo etiam ad credendum. *Non enim ait, ut plenius credatis, sed ut credatis*, ut observat S. P. A. Et Cor. 1. c. 7. de se ipso ait Apostolus. *Misericordiam consecutus a Domino ut sim fidelis.* Subdit S. P. ibidem, non ait, *ut fidelior, sed ut fidelis esset;* ergo &c. Item 2. Cor. 3. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis* &c. Sed, ut ait S. P. ibidem: *Quis non videt prius esse cogitare, quam credere?* ergo sicut cogitatio, ita etiam fides Dei donum est.

Prob. II. ex Conciliis ac sanctis Patribus. I. ex Can. 6. Arausic. & Trid. sess. 6. c. 3. II. Justinus Apol. 2. ait: *Ipse ad fidem nos adducit.* Clemens Alex. 2. Strom. *Fides non est electionis bonum opus.* Irenæus l. 4. adv. hær. c. 9. ait esse *impossibile sine Deo discere Deum.* Basilius Ps. 15. *Fides sancti Spiritus operationibus in nobis efficitur.* De Chrysostomo & Augustino alibi dictum est. De Patribus posterioribus nemo dubitat; ergo &c.

Prob. III. ratione. I. Fides ex Aug. est justificationis principium, sed hoc ex Trid. est a gratia; ergo & fides. II. In fide promissa a Deo facta Abrahæ adimplentur ex Rom. 4. sed si fides esset ex nobis, ut promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum esset potestate; ergo &c. III. Si fides sit ex nobis, erit gratia merces meritorum, sed falsum consequens; ergo & antecedens.

Ob. I. Multi audiunt verbum Dei, sed alii credunt, non alii; ergo volunt isti credere, nolunt illi. R. dist. min. Alii credunt ex Dei misericordia, conc., ex viribus arbitrii, neg. *Cum* enim *aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas a Domino* (ait S. P. A. de Præd. sanct. 6.) *discernendum est, quid veniat de misericordia, quid de judicio.* Illa est in electione Dei, hoc in subtractione gratiæ.

Ob. II. Ap. ad Eph. 2. Fidem secernit ab operibus; ergo ad opera necessaria est, non ad initium fidei. R. dist. ant. Secernit quatenus impetrat alia opera, conc. quatenus fides non est donum Dei, neg.

Ait enim Ap. ibid. *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis: Donum enim Dei est.* Et Jo. 6. *Hoc est opus Dei, ut credatis*; ergo &c.

Ob. III. Rom. 10. habetur: *si credideris, salvus eris*; ergo &c. R. dist. ant. Si credideris per gratiam, conc., absque gratia, neg. Ita enim ibi dicitur, *si credideris* &c. ut Rom. 8. *si facta carnis mortificaveritis, vivetis*, ait S. P. ib. c. 11. ergo sicut mortificatio donum Dei est, ita est etiam credere. Hinc Apostolus *laudat hominum fidem, sed pro hoc bono eorum agit gratias Deo*, ait S. Prosper adv. Coll. 16.

Ob. IV. Matth. 7. habetur: *Petite, & dabitur vobis* &c. ergo pulsare, petere &c. nostrum est. R. dist. conf. Nostrum est per gratiam, conc., sine gratia, neg. Semper *oratum est in Ecclesia pro infidelibus ut crederent* ex Aug. de Dono Pers.; ergo nihil petitur a Deo ut oportet sine gratia. Deinde productis ex Apostolo variis locis ait S. D. *quomodo falluntur, qui putant esse a nobis ut petamus &c.*

Ob. V. Scripturarum exempla. I. Davidis, cujus voluntas templi ædificandi bona erat, nec erat a Domino, qui ad hoc ejus filium elegit; ergo &c. II. Cornelii eleemosynæ & orationes fidem ejus promeruere. III. Zachæi, qui cupiens videre Deum, Christum in domo sua excipere meruit. IV. Nathanaelis, qui cum sine dolo esset, ad fidem vocatus est. V. Latronis, qui conversus ad Jesum audivit: *Hodie mecum eris in paradiso*; ergo &c.

R. Ad I. neg. conf. Cum enim Deus operetur in nobis velle, & perficere, Davidi dedit bonam voluntatem, filio autem etiam operis complementum, quia figuram gerebat Christi, qui Ecclesiam condidit. Ad II. neg. conf. *Non enim sine aliqua fide Cornelius donabat & orabat*, ait S. P. de Præd. sanct. 7. *Nam quomodo invocabat in quem non crediderat?* Ad III. neg. conf. Nam Zachæi cupiditas videndi Jesum non fuit sine gratia præveniente. *Venit enim filius hominis salvum facere, ut quem* agno-

agnoſcebamus ſalvum factum, ſciremus a quærente præventum, ait S. Proſp. c. 7. Ad IV. neg. conſ. De Nathanaele enim ait Chriſtus Dominus: *priuſquam te Philippus vocaret novi te, quæ Domini viſio*, ait Bern. in Cant., *numquid gratiæ præparatio non fuit?* Ad V. diſt. ant. De Latrone ait Bern. loc. cit. *Manifeſtiſſime credendum eſt, quod & illius Latronis, quem Dominus ad Paradiſi patriam vocavit, & Cornelii & Zachæi illa tam admirabilis fides non fuit de natura, ſed divinæ largitatis donum.* Idipſum ſtatuit Synodus Arauſicana II. Can. 25.

Dices: Cornelius aliique infideles nullum bonum facere potuere virtute gratiæ, cum primus gratiæ effectus ſit ipſa fides; ergo &c. R. diſt. ant. Primus gratiæ effectus eſt fides, quoad præcedentem illuſtrationem & inſpirationem, conc., quoad aſſenſum, neg. In fide ergo ſpectari poteſt ſancta cogitatio & colluſtratio mentis, deinde inſpiratio ſanctæ voluntatis audiendi evangelium, tandem deliberatus aſſenſus, ſive actus ipſe credendi. Imo ante explicitam fidem in Chriſtum poteſt per gratiam excitari in nobis fides in Deum, & ſancta cogitatio, quæ ſufficit ad referenda opera noſtra in ipſum Deum.

Ob. VI. Auguſt. epiſt. 102. ſcribit, *tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, quando, & ubi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri*; ergo &c. R. cum Auguſtino ipſo diſt. ant. Itaut homines a ſe ipſis habituri eſſent fidem, neg. *Deo donante ſumpturi*, conc. Itaque S. P. de Præd. Sanct. ait, ſe hæc dixiſſe *ſine præjudicio latentis conſilii Dei*, aliarumque cauſſarum, quia *utrum tantummodo eos præſcierit, an etiam prædeſtinaverit Deus, quærere ac diſſerere tunc neceſſarium non putavit.*

LIBER XVI.

De Lutherana, & Calviniana hæresi.

In errorem Pelagiano oppositum Lutherani, & Calviniani abiere, qui gratiam divinasque præfinitiones liberum arbitrium evertere docuere. Repressis ergo gratiæ inimicis, hostes libertatis unica dissertatione impetimus, ubi de hæreticorum dogmate, & de ecclesiæ doctrina, tum de peccatorum caussa effectrice verba fient.

CAPUT I.

De Lutheri & Calvini dogmate circa gratiam, & libertatem.

Not. I. Plures fuisse hæreticos fatalis necessitatis assertores. Inter quos Manichæi ex duobus principiis bono ac malo duas in homine statuebant naturas, unam substantialiter bonam, neque liberam ad peccandum, aliam substantialiter malam, necessario determinatam ad malum: negabant cum Pelagianis originale peccatum, atque impeccantiam cum iis adstruebant, & sicuti Manichæi arbitrii libertatem tollebant, ita Pelagiani quodammodo destruebant, ea abutentes adversus beneficium largitoris, ut ait Hieronymus ep. ad Ctesiph. Nemo tamen adeo libertatem pessumdare visus est, ut Lutherus, & Calvinus.

Not. II. Lutherus Augustinensis apostata Congregationis Saxoniæ Islebii natus ann. 1483. Monachum induit in Erfordiensi Monasterio ann. 1504. ac Wittembergæ ann. 1513. post actus Academicos adepta laurea doctoratus, sedente Leone X. contra indulgentias debacchari cœpit ann. 1517. habita Lipsiæ cum Echio famosa disputatione de Rom. Ecclesiæ primatu. Proscriptis subinde a Leone Lutheranis articulis 41. totis viribus contendit, ut ecclesiam vastaret, editis ea de re pluribus libris errore plenissimis. Excusso tandem religionis ac

fidei

fidei jugo uxorem duxit Catharinam de Boré, quam eripuit Christo. Islebii decessit ann. 1546. pluribus accitis discipulis, qui variis hæreticorum sectis nomen dedere. Hinc ab imperitis aliquid Ordini nostro accessisse dedecoris putatum est, quod ex eo impius hæresiarcha prodierit: sed hanc calumniam infra propulsabimus.

Not III. Alterum Novatorum antesignanum fuisse Joannem Calvinum Novioduni natum ann. 1509. qui literis operam dedit apud Bituricas sub Alciato, & Volmaro. Excelluit latine scribendi laude, sicut nativa eloquentia Lutherus, cujus latinitas est inelegans & incompta. Scripsit annos natus 26. institutionum libros congestis erroribus ex Melanctone, Hyperio, aliisque. Audacior factus cœpit execrari cultum imaginum, festos dies, missæ sacrificium, & ecclesiæ dogmata, ac traditiones. Comitiis Ratisbonensibus interfuit, ubi incassum tentata est cum Lutheranis concordia. Revocatus Genevam sine ulla missione se fecit ejus ecclesiæ pastorem: ibique infelici exitu e vivis excessit an. 1564. eique successit Theodorus Beza: quibus notatis sit

Propositio I. Lutherus, & Calvinus arbitrii libertatem sustulere.

Prob. I. de Luthero. Is enim in Assert. art. ad Leonem X. art. 3. in lib. de servo arbitrio, & alibi docuit, liberum arbitrium, post Adæ peccatum fuisse in hominibus extinctum vel amissum, itaut manserit res de solo titulo, vel titulus sine re. Et in R. ad Dial. Silvestri ait, neque per gratiam posse hominem lapsum divina servare mandata; ergo &c. Prob. II. de Calvino, qui l. 2. Inst. 2. & de lib. arb. l. 5. c. 304. ait, voluntatem nullam habere mali aut boni electionem, nec accepta gratia suæ optionis esse vel obtemperare, vel refragari. Constituit quidem Calvinus gratiam in delectationis affectu, sed adeo impresso, ut voluntas spon-

tanee tantum, & ſine aliqua libertate moveatur, ad inſtar brutorum; ergo &c.

Dices: Calvinus l. 2. & 5. contra Pighium affirmat, hominem conari, & agere pro acceptæ gratiæ menſura, & queritur, ſibi invidiam conflari, quaſi hominem faceret ſimilem lapidi; ergo &c. R. neg. conſ. Nam neque Lutherus ait, hominem ſub gratia coacte operari, ac veluti *obtorto collo*, ſed agere neceſſitate immutabilitatis, ſponte tamen, & voluntate lubentiæ; ergo &c. Hinc Trid. Syn. ſeſſ. 6. can. 4. utrumque definivit, & poſſe liberum arbitrium a Deo motum diſſentire, ſi velit, & non eſſe quoddam inſtrumentum inanime, ac mere paſſive ſe habere: ut infra videbimus.

Propositio II. Ex Lutheri defectione, nihil dedecoris Auguſtiniano Ordini acceſſit.

Prob. I. Quia ad Noſtrum Ordinem hæreſiarcha ille non ſpectat. *Nam ſi fuiſſet ex nobis, manſiſſet utique nobiſcum*, ut cuidam reſpondit noſter Ægidius Viterbienſis S. R. E. Cardinalis; ergo &c. II. Congregatio illa Saxoniæ, in qua Lutherus cucullum induit, jamdiu, hoc eſt ab an. 1497. a juriſdictione noſtri Generalis fuerat exempta; ergo hoc etiam titulo Lutherus *non erat ex nobis*. III. Cum primum Lutherus errores ſuos ſpargere cœpit circa ann. 1517. in faciem ei reſtitit non ſolum Joannes Staupizius Saxonicæ Congregationis Antiſtes, quidquid ſcripſerit Pallavicinus, ſed etiam Congregationis capitulum Heidelbergenſe. IV. Primus omnium Lutherana dogmata confutavit Ambroſius Flandinus Neapolitanus, & pluribus annis adverſus ea ſcriptis verbiſque pugnavit Joannes Hoffmeinſterus Anti-Lutherus propterea dictus. Quem 10. annorum ſpatio pro catholica fide ſtrenue certantem his verbis alloquitur noſter Card. Seripandus: *Induere ex alto fortitudine, & ut feciſti hactenus præliare prælia Domini, ut te auctore reviviſcat apud Rhenum, & per omnem Sueviam Auguſtini nomen.* V. Univerſos Ordo adverſus Luthe-

rum

rum pugnavit, ejusque errores execratus est, ut patet ex dictis. VI. Floruit tunc maxime Noster Ordo doctrina ac sanctitate. Nam ut alios prætercam innumeros, Ægidius Viterbien. & Seripandus ambo S. R. E. Cardinales, quorum alter Tridentinæ Synodo præfuit, eruditionis ac doctrinæ laude præfulgent, & D. Th. de Villanova Archiepiscopus Valentinus & pater pauperum eo etiam tempore enituit mira sanctitate, & doctrina. Sicut ergo aliis Ordinibus ex quibus etiam hæretici & Apostatæ prodiere, ita nec nostro ex Luthero quidquam probri, aut dedecoris accessit. Ut enim ait S. P. ep. 137.: *Quantumlibet vigilet disciplina domus meæ, homo sum, nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit, quam arca Noe, ubi tamen inter* 8. *homines reprobus unus inventus est: aut melior sit, quam domus David, cujus filius cum sorore concubuit, alter contra Patris mansuetudinem rebellavit: aut melior quam cohabitatio ipsius Christi, in qua* 11. *boni, unum perfidum & furem Judam toleraverunt, aut melior quam cœlum, unde angeli ceciderunt.*

CAPUT II.

Omnes Adæ posteros libero arbitrio pollere demonstratur.

NOT. I. Libertatem aliam esse a peccato, aliam a miseria, aliam denique a necessitate. Prima tollitur per gratiam liberantem a servitute peccati. II. per gloriam liberantem a corporis corruptione. III. Per naturalem determinationem ad unum, perfectamque summi boni cognitionem. Libertas a necessitate dicitur etiam libertas naturæ, & definitur, potestas agendi vel non agendi iis positis, quæ ad agendum prærequiruntur. Libertas a miseria & peccato non pertinet ad naturam libertatis, sed ad peculiarem statum aut naturæ conditionem: unde stat vera libertas sine peccandi potestate, & hoc modo liber est Deus.

Not. II. liberum dici dupliciter, nempe, a coactione, & a necessitate: prior vera libertas non est, ac talis dicitur quadam analogia, eo quod voluntarium sit quidquid fit sponte, & nullam patitur violentiam, & voluntarium etiam dicitur quod fit ratione libera atque electiva. Cum ergo Lutherus & Calvinus non denegent dari libertatem a coactione, qua homo sponte & libenter operatur, ut supra dictum est, ideo de vera libertate, nempe indifferentiæ, cum iis instituitur disputatio. Sit itaque

PROPOSITIO I. Persistit in homine lapso liberum voluntatis arbitrium.

Prob. I. Scripturis. Gen. 5. Caino dixit Deus: *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius;* ergo &c. R. Calviniani, ibidem significari Caini supra Abelem auctoritatem titulo primogenituræ. I. enim in Hebræo tam *peccatum*, quam appetitus fœminina sunt, & quod sequitur, *dominaberis illius*, suffixum habet generis masculini; ergo pronomen illud aut ad peccatum, aut ad appetitum referri nequit. II. Versio 70. habet: *Et tu principatum habebis ipsius.* III. Chrysostomus ita vertit; *Post peccatum hoc permitto, ut primogenituræ privilegiis gaudeas &c.* Verum admissa etiam Chrysostomi expositione, si Deus reliquit fratrem ipsius sub Caini potestate ea lege, ut si bene ageret reciperet mercedem, sin male, pœnam subiret; ergo Cain liberum habuit arbitrium, quo mereri posset aut pœnam, aut præmium. II. longe melius ibi significatur dominium supra appetitum I. ex voce תְּשׁוּקָה. *Thesuchah*, & constr. תְשׁוּקַת, *Tesukat*, quæ concupiscentiam significat. II. Quia Targum Jeros. *concupiscentiæ potestatem* vertit. III. Ita etiam vertunt Aben-Ezra, & Rabbi Salomon apud Illyricum &c.

R. Ad I. neg. ant. *Quia peccatum, idest* חַטָאת, *chatat, in hebræo generis est masculini, in græco fœmi-*

fœminini, ut obſervat Hieronymus (1). II. Joſue c. 5. ait Iſraelitis: *eligite vobis, quod placet:* at niſi fuiſſet Iſraelitis poteſtas optionis & libertatis ſerviendi Deo Abraham, aut Idolis, vana fuiſſet iſta cohortatio; ergo &c. III. Eccl. 15. *Deus conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Appoſuit tibi aquam, & ignem,* ideſt voluptatem & gratiam, ut Grotius & Lutherus exponunt, *ad quod volueris porrige manum tuam;* ergo &c. Vide Eſtium, Tournelyum &c.

Prob. II. Ex Conciliis, ac ſanctis Patribus. I. Trid. Synodus ſeſſ. 6. c. 5. ait: *Si quis dixerit, liberum homi-*

(1) Cum vox hebraica חטאת, *chatat* ſit fœminini generis, quippe maſculini generis eſt חטא *chette*, de hac poſtrema voce fortaſſe ait D. Hieronymus, eam eſſe generis maſculini. Certum eſt tamen *chatat* etiam fœmininum jungi cum participio רבץ *rovetz* generis maſculini, quemadmodum vox *Teſukat*, licet fœminini generis invenitur cum eodem maſculino, atque ita accepiſſe Targum, Aben-Ezra, & Rabbi Salomonem dubium non eſt. Quia vero participium illud maſculinum, ut Glaſſius obſervat, *ad ſenſum refertur conveniens, nimirum cum* ſynonymo חטת *chettet*, quod etiam foret maſculinum; potuit Hieronymus rationabiliter aſſerere, ibi nomen peccati eſſe maſculinum, & א eſſe epenteticam, atque ita fortaſſe Hieron. legit *chettet*, pro *chatat*. Ceterum & *appetitus* & τὸ *dominaberis*, ad peccatum refertur. Velle enim has voces ad Abelem cum Calvinianis referre, eſt ſenſum omnem ſcripturarum evertere. Unde Pfeifferus ipſe Lutheranus Cent. 1. de diffic. Script. S. loc. 12. ad Gen. 4. teſtatur, quod *ultima verba* (hujus teſtimonii) *ad obedientiam Abelis incongrue referunt Hebræi, Calvinus, Martyr, Toſſanus, Junius, Muſculus, Rivetus, Grotius &c.*

hominis arbitrium post Adæ peccatum extinctum esse, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, anathema sit; ergo &c. II. Ex Græcis Patribus. Athanasius in Exhort. ad Gent. ait: *Anima potest ut ad bona se inclinare, ita aversari.* S. Basilius ait: *Anima soluta est omni necessitate.* Epiph. Hær. 64. ait: quod *bonum facere & malum, nostri sit juris.* Niss. Or. 5. *Rerum moderator liberum arbitrium ab omni necessitate liberum fecit.* Chrysostomus Ps. 9. *Non potest quis fieri bonus necessitate.* III. ex Latinis. S. P. Augustinus de libero Arbitrio c. 3. ait: quod si *natura vel necessitate iste motus* (voluntatis) *existit, culpabilis esse nullo pacto potest.* Et c. 4. in eo dissimilem esse ait lapidis ac animi motum, *quia in potestate non habet lapis cohibere motum, quo fertur inferius, animus vero, dum non vult, non ita movetur ut superioribus desertis inferiora diligat, & ideo lapidi naturalis est ille motus, animo vero iste voluntarius:* ubi voluntarium accipit S. D., non pro spontaneo & non coacto, sed pro indifferenti & libero. Quod constat ex l. 2. de Anim. c. 13. ubi ostendit, duplicem animi deliberationem in bonum, & malum non esse duarum animarum indicium, ut Manichæi contendebant, *sed unius animæ, quæ libera voluntate huc, & huc ferri potest.* Huc spectat definitio peccati ap. Aug. ib. c. 11., quod est *voluntas consequendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere.* Et c. 4. ait: *Habet unusquisque in voluntate, aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona, aut quæ mala sunt, & esse arbor mala. Hoc ergo Dominus dicens: aut facite illud aut istud, ostendit esse in potestate quod facerent;* ergo S. P. contra Manichæos nomen voluntas usurpat pro libera potestate eligendi quod magis lubet.

R. Calvinistæ & Janseniani, Augustinum liberum appellare, quod est voluntarium & coactioni opponitur, adeoque excludere solam necessitatem naturalem Manichæorum.

Sed contra est. Nam S. P., ut constat ex locis pro-

productis, non loquitur de voluntate movente se *naturaliter* (ut ad bonum in communi, vel Deum visum in se, quem necessario & naturaliter amat) sed *libere* & indifferenter, & cum potestate ad oppositum. De ea nempe voluntate loquitur, quæ potest cohibere motum, huc & huc ferri & referri, & eligere, quæ bona, aut quæ mala sunt; sed hæc voluntas, nedum a coactione, sed etiam a necessitate est immunis; ergo &c. Nec Manichæi adeo erant stolidi, ut dicerent, voluntatem ita abripi fato, ut non velit dum vult, nec delectetur dum delectatur; ergo Manichæi lubentiam & spontaneitatem non negabant, sed hanc necessariam esse dicebant non liberam, qua in re cum Manichæis Calvinistæ & Janseniani dogmatis defensores conveniunt, in hoc tantum discrepantes, quod Manichæi caussam necessitatis malorum repetunt a principio malo, Calvinistæ a decreto, & prædeterminatione Dei, postremi a dominio concupiscentiæ.

In libris etiam contra Pelagianos negat utique S. D. arbitrium sanum & robustum; dari tamen liberum arbitrium sufficiens ad malum se ipso, ad bonum autem, si adjuvetur a Deo, ostendit l. 2. de Pecc. mer. 18. ubi ait: *Nisi obtineamus, non solum voluntatis arbitrium, sed etiam bonam voluntatem, nescio quomodo defendamus quod dictum est: Quid habes &c.*; ergo &c. Et l. 2. ad Bonifacium c. 2. ait: *Quis autem nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quæ in paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam.* Tandem cum falso rumore accepisset, Adrumetinos liberum arbitrium negare, pluribus scripturæ locis demonstrat arbitrii libertatem. Nec solam libertatem lubentiæ defendit S. P. quam admittebant etiam Stoici, & Manichæi; sed libertatem indifferentiæ, ut constat ex variis Scripturæ locis ibi productis, quos nos etiam supra produximus.

Item

Item l. de natura & grati ac. 64. probat ex Chryfoftomo, peccatum de arbitrii poteftate defcendere. Et c. 65. laudat Hieronymi fententiam: *liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia neceffitate trahimur, alioquin ubi neceffitas, nec corona eft*, ergo &c. L. 2. de pecc. mer. 18. gratiæ ac libertatis concordiam quæftionem perdifficilem appellat, atqui nulla occurrit difficultas deprehendendi tum in illicita, cum in fancta delectatione fpontaneitatem, lubentiam, eamque libertatem, quam Hæretici agnofcunt; ergo &c. Et l. 6. contra Julianum expofita libertate primi hominis a neceffitate, & a peccato, per quam poterat non peccare, fi noluiffet, ait: *Quandiu vero in eadem rectitudine ftetit, in qua poterat non peccare, ideo non accepit non poffe peccare, quia non ufque ad finem remunerationis voluit manere. Quod enim accepturi funt fancti, fuerat accepturus Adam: ut afcendens ab eo quod non peccare poffet ad id perveniret, ubi peccare non poffet. Si ergo quæris: ubi detur homini non poffe peccare? Præmia quære fanctorum;* ergo &c. Auguftino fubfcribunt Hilarius (*a*), Optatus (*b*), Bernardus (*c*), aliique Patres Latini.

Prob. III. ratione. I. Nemo peccat in eo, quod vitare non poteft, fed, fi mala opera neceffario non libere fierent, vitari non poffent; ergo &c. II. Fruftra leges fancitæ effent, inutiles minæ, pœnæ, ac præmia, inanis labor, conatus &c. Deus vero peccati auctor effet, irrifor hominum, & fallax promiffor; ergo &c.

Propositio II. Libertatis effentia eft poffe agere, & non agere, non tamen poffe peccare.

Prob. I. pars. Libertatem enim definit S. P. voluntatis poteftatem, quæ fua deliberatione poteft huc, atque illuc flecti: & S. Th. *vim electivam mediorum*, atqui in iis, quæ neceffaria funt, nulla eft hujuf-

(a) *In Pf.* 2. (b) *Lib.* 7. *adv. Parm.*
(c) *De gr. & lib. arb.*

hujuſmodi poteſtas, neque electio eſt in iis, *quæ ad unum ſunt determinata*, ut ait D. Th. & Auguſtinus; ergo &c. Prob. min. Nam electio ſpectat media, ſed in his, cum non ſint ſummum bonum, voluntas nulla adigitur neceſſitate; ergo &c. Reapſe in brutis, quæ ad unum determinata ſunt, appetitus eſt non electio: atqui voluntas humana eſt tantum determinata ad bonum in communi, ſive ad Deum viſum in ſe; ergo in ceteris omnibus, in quibus apprehendi poteſt aliqua ratio mali, locum habet electio & libertas. Deinde nemo deliberat de iis, quæ in ſui poteſtate non ſunt, atqui mens noſtra in pluribus deliberat; ergo &c. Non requiritur tamen ad libertatem ea deliberatio, qua animus ſuſpenditur; hæc enim ignorantiæ potius indicium eſt, quam libertatis. Hinc in homine lapſo libertas quidem eſt, ſed ob ignorantiæ & concupiſcentiæ difficultates, ſpeciali gratia juvanda eſt. Erat in Adamo libertas vegetior, ſed opus non habebat hoc adjutorio, quia ſanus erat. Viget libertas plenior in ſanctis, quia liberi ab omni miſeria, nequeunt a ſumma felicitate divelli. In Deo autem, in quo nulla eſt cognitionis, aut amoris viciſſitudo, libertas perfectiſſima reperitur; ergo &c. III. Voluntas habet operum ſuorum dominium & poteſtatem, ut enim ait S. P. de Sp. & lit. *Hoc quiſque in poteſtate habere dicitur, quod ſi vult facit, ſi non vult non facit.* IV. Greg. XIII. & Pius V. damnarunt Bajanas propoſitiones: *ſola violentia repugnat libertati, & quod voluntarie fit, etiamſi neceſſario fiat, libere tamen fit;* ergo &c.

R. aliqui: has propoſitiones damnatas in ſenſu Baji, qui ajebat hominem peccare etiam in motibus indeliberatis concupiſcentiæ, & in *eo*, *quod* neceſſario facit. Sed contra: ſi ſola libertas a coactione ſit vera libertas, homo peccat etiam in eo, quod neceſſario facit, nam ex Auguſtino peccatum eſt facere, quod *juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere:* atqui per adverſarios ſub omni concupiſcentia eſt

est vera libertas; ergo sub ea homo peccat; ergo libertas a coactione, seclusa indifferentia, non est vera libertas. Deinde libertatem naturæ nec Calvinianus negat, nec Manichæus; ergo &c. *Non enim ad liberum arbitrium pertinet quod volumus esse felices, sed ad naturalem instinctum*, ut docet S. Th. 1. p. q. 19.

Prob. II. pars. I. Quia in Deo, & beatis est vera libertas indifferentiæ, una cum impeccantia; ergo &c. II. Posse deficere non pertinet ad essentiam rei, sed ad ejus imperfectionem. Unde S. P. de Civ. D. cap. ult. *Deus ipse*, ait, *numquid, quia peccare non potest, liberum arbitrium habere negandus est?* III. Dæmones peccant, licet bene agere nequeant, eo quod circa media habeant indifferentiam judicii; ergo Deus & beati, qui etiam liberam habent rationem mediorum, liberi sunt. IV. Si de natura libertatis foret posse peccare, id esset arbitrii beneficium, quod est absurdum. V. Ut ait S. Th. 1. p. q. 62. *Ita se habet arbitrium in eligendis iis, quæ sunt ad finem, ut intellectus ad conclusiones*, sed quod intellectus prætermittat ordinem principiorum est defectus non essentia intellectus; ergo est defectus voluntatis quod prætermittat ordinem finis. VI. Objectum liberi arbitrii est bonum, sive verum, sive apparens; ergo non est de ejus essentia posse malum facere, sed tantum agere, vel non agere. Ita S. Th.

Propositio III. Libertas indifferentiæ requiritur etiam in statu naturæ lapsæ ad meritum, vel demeritum.

Prob. I. Contra defensores quinque damnatarum thesium (1), qui hanc indifferentiam ad meritum vel

(1) Cum constet, odioso Jansenistarum nomine a nonnullis Augustinianæ, aut Thomisticæ doctrinæ impugnatoribus fuisse traductos ipsos Augustini, ac D. Thomæ discipulos, idcirco inhærentes

demeritum non requiri opinantur, quia hoc ad libertatis naturam non ſpectat, quod ex dictis falſum eſt. Refelluntur autem ſcripturis, quæ liberum arbitrium deſcribunt veluti poteſtatem extendendi manum ſive ad ignem, ſive ad aquam, eamque poteſtatem verbis exprimunt, quæ optionem, dominium, ac vim electivam ſignificant, ut ſupra oſtendimus. II. Ex Tridentina Syn., quæ ſtatuit, in hominis poteſtate eſſe vias ſuas malas facere, & diſſentiri ſi velit. III. Ex Romanis Pontificibus Bajanos articulos, ac tertiam Janſenii propoſitionem damnantibus. IV. Ex Patribus, præſertim ex Auguſtino, qui nullam ſtatuit in peccato neceſſitatem, illudque oriri ait a voluntate, non ut natura eſt, ſed ut eſt poteſtas movendi ſe, motumque ſuum cohibendi. V. Ratione, quia poſita neceſſitate tollitur virtus & vitium, monita ac præcepta. Vid. I. Prop.

Dices. Tam Patres, quam Scholaſtici docent, illud eſſe liberum, quod eſt a voluntate, nec patitur violentiam; ergo non requiritur indifferentia. R. diſt. ant. Et loquuntur de voluntate, prout ab inſtinctu naturali diſtinguitur, conc., ſecus, neg. Vid. Prop. II. Certum eſt ergo omne meritum eſſe ex libero arbitrio, idque eſſe poteſtatem agendi, vel non agendi, ſecluſa neceſſitate.

Quæres: an ad eſſentiam libertatis neceſſaria ſit *libertas contrarietatis?* R. negative, ſi libertas hæc accipiatur quatenus eſt poteſtas eligendi unum ex duobus poſitive contrariis, ut bonum, & malum. Nam in Deo, & in beatis eſt vera libertas abſque pote-

tes decretis ſummorum Pontificum, & præſertim Innocentii XII., qui voluit, hoc nomine non alios eſſe appellandos, niſi eos, qui unam, aut alteram, aut omnes damnatas propoſitiones defendunt, Janſenianos non alios agnoſcimus præter memoratos quinque damnatarum theſium defenſores.

poteſtate peccandi. Si tamen duo media contraria ſint, & neutrum opponatur ultimo fini, ut ſtatus conjugalis, ac virginitas, hæc libertas contrarietatis ad liberum arbitrium neceſſaria eſt, eaque reperitur tum in Deo, qui *humiliat & ſublevat* in gloriam ſuam, cum in homine, ex. gr., circa virginitatem & nuptias. Hæc vocatur etiam libertas contradictionis, & a libertate contrarietatis diſtinguitur, quia non reſpicit poſitive contraria, ſed agere & non agere, velle & nolle, & definitur libera poteſtas agendi, vel non agendi: eaque ad libertatem eſſentialiter requiritur. Poteſt autem voluntas, licet determinata ad unum, ut beati ad amandum Deum, libertatem habere ad hunc actum, vel illum. Ita Chriſtus, qui Deum neceſſario diligebat, libere corpus ſuum tradidit percutientibus, & hoc pacto promeruit, & operatus eſt hominum redemptionem perfectiſſima libertate.

Propositio IV. Indifferentia liberi arbitrii non eſt mere paſſiva.

Definita eſt contra Lutheranos a Trid. Syn. Seſſ. 6. c. 4.: *Si quis dixerit, liberum arbitrium nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, neque poſſe diſſentire, ſi velit; ſed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere, anathema ſit.* Prob. I. Scripturis Pſ. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas.* Ap. 1. Cor. 15. ait: *Abundantius omnibus illis laboravi.* Ib. c. 3. *Dei enim ſumus adjutores.* In græco habetur συνεργοὶ *cooperatores.* Ad Tim. 4. *Tu vero vigila, in omnibus labora ... Bonum certamen certavi* &c. Et 1. Jo. 3. *Qui habet hanc ſpem, ſanctificat ſe*; atqui inclinare cor ſuum, laborare, Deo cooperari, certare, ſanctificare animam ſuam &c. eſt agere, non pati; ergo liberum arbitrium non ſe habet mere paſſive. Prob. II. ex PP. Auguſtinus 1. Retr. 22. ait: illud eſſe in noſtra poteſtate, *quod cum volumus facimus*; ergo ſi nihil facimus, nulla eſt poteſtas arbitrii. Il. de Perf. juſt. c. 19. *Præcepta non juberentur ſi nihil*

ibi

ibi nostra voluntas ageret. III. Exponens illud Ezech. *faciam, ut in præceptis meis ambuletis*, ait, *facit ut faciamus, agit ut agamus;* ergo &c. Prob. III. ratione. Deus enim in creaturis secundum modum naturæ earundem operatur; ergo &c.

CAPUT III.

De præcipuis hæreticorum argumentis, circa libertatem arbitrii.

Ob. I. cum Lutheranis, & Calvinianis: Ezech. 18. habetur: *Facite vobis cor novum, & spiritum novum.* Sed hæc verba innuunt, quod in nobis fieri possit, non quod ipsi efficere valeamus; ergo &c. Prob. min. Solus Deus ex eodem propheta dat nobis *cor novum* &c.; ergo &c. Ad Philipp. 2. ait Apostolus: *Cum metu, & tremore salutem vestram operamini*, atqui Deus operatur *in nobis velle & perficere;* ergo &c. Et 1. Jo. 3. habetur, *qui habet hanc spem sanctificat seipsum*, sed Patrem Christus orat: *sanctifica eos in veritate;* ergo arbitrium operatur, quia Deus in illo operatur. II. Eo pacto dicitur arbitrium operari, ut virga Moysis divisit aquas maris, atqui solus Deus aquas divisit, non Moyses; ergo &c. Prob. maj. Sicut enim Ex. 14. ait Dominus Moysi: *Extende manum tuam super mare, & divide illum*, ita hominibus dicitur: *Convertimini ad me, mundi estote* &c.; ergo homo cor suum exhibet Deo tamquam mortuum & inanime instrumentum. III. Addit Lutherus, Deus proponit nobis præcepta ea conditione, si *volueris;* ergo &c. Prob. conf. Ex quo dicatur: si *diabolus Deus erit, adorabitur*, non sequitur diabolum Deum esse; ergo a pari. IV. Hinc Apost. 1. Cor. 15. ait, *abundantius laboravi: non ego, sed gratia Dei mecum;* ergo &c.

R. ad I. neg. min. Ad prob. dist. ant. Solus Deus dat nobis cor novum, operatur &c., quia dilectionem inspirat, volentes adjuvat, & justificat

operantes, conc., itaut nihil nos operemur, neg. Ideo enim hæc dona Dei esse monstrantur, ut intelligatur quod & nos eadem faciamus, & Deus facit, ut illa faciamus: sicut per Ezechielem dicitur, *ego faciam, ut faciatis.* Idem de locis aliis dicendum est. Ad II. neg. maj. Ad prob. dist. ant. Ita & eodem modo, neg. diverso modo, conc. Omnes enim creaturæ sunt Dei instrumenta, at unaquæque movetur juxta modum naturæ suæ, idest liberæ libere, necessariæ necessario. Sicut ergo alio motu extendit manum Moyses, & stetit mare, ita Deus nos convertit, nos movendo conditione instrumenti, quod est hominis rationalis, ut ait Estius l. 2. dist. 24. Ad III. dist. maj. Et ea conditio pertinet ad præceptum, neg., ad mercedem, conc. Nam ex Gen. 4., & Eccl. 15. Deus hominem *reliquit in manu consilii sui, & apposuit ignem & aquam*, atqui, si non esset homo liber, frustra ei diceretur, si *volueris*, non secus, ac si quis surdo diceret, narrabo historiam, *si audire volueris;* ergo &c. Ad prob. neg. cons. Nam in ea propositione: *si diabolus Deus erit, adorabitur*, enunciatur res impossibilis, idest diabolum esse Deum, at in ista: si volueris, servabis præcepta, affirmatur aliquod possibile, quia id velle possibile est. Ad IV. neg. cons. Non enim ibi excludit Apostolus operationem, & laborem, ait enim *laboravi*, sed gratiæ tribuit partes potissimas, addens *mecum*, ut commendet arbitrium. Mitto loca Patrum ac Theologorum, quibus exprimitur gratiæ efficacia, sed hanc non tollere libertatem supra ostendimus.

Ob. II. Jo. 8. *Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.* Et Tim. 2. *Resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur;* ergo &c. R. Ad I. dist. ant. Servus est peccati, quia peccato & diabolo servit sua voluntate, conc., inevitabili necessitate, neg. Potest enim quisque peccatum omittere, & auxilio gratiæ resipiscere. *Cupiditas enim hominis, quæ*

vitium

vitium est, hominem habet auctorem, non hominis creatorem, ait S. P. de gratia c. 20. Ad II. dist. ant. Tenentur captivi, quatenus in malum impelluntur indeclinabili necessitate, neg., quatenus gratiam Dei pessumdantes pravis suggestionibus assentiuntur, nec resipiscunt sine gratia victrici, concedo.

Ob. III. Janseniani: Illud est liberum, & meritorium, quod facimus cum volumus, sed per solam libertatem a coactione volumus operari; ergo &c. Prob. maj. I. ex Patribus. Nam Augustinus in Enchir. 105. ait: *Aut voluntas non est, aut libera dicenda est.* Et l. 3. de Lib. arb. 3. ait: *Nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate.* De Civ. D. l. 5. 10. *Necesse est, ut quod volumus, libero velimus arbitrio.* De Nat. & gr. c. 46. *Absurdum est non pertinere ad voluntatem nostram, quod beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus;* ergo per Augustinum stat cum arbitrii potestate, quod necessitate patratur. Hinc S. Th. q. 22. de Ver. ait: *Libertas secundum Augustinum opponitur necessitati coactionis, non autem naturalis inclinationis.* Et S. Prosper fidelis Augustini discipulus c. 18. adv. Coll. arbitrium definit. *rei sibi placitæ spontaneum appetitum;* ergo &c. Damascenus l. 3. de Fid. Orth. 14. *Arbitrii libertas nihil aliud est, quam voluntas.* Et D. Bern. de lib. arb. 4. ait: *Ibi esse libertatem, ubi est voluntas.* Prob. II. ex D. Th., qui q. 10. de Potent. ait: *naturalis necessitas, secundum quam voluntas ex necessitate velle dicitur, ut felicitatem, libertati voluntatis non repugnat.* Et in 3. Sent. dist. 18. art. 2. ait: *Lib. arbitrium Christi, etsi determinatum ad unum, non amisisse libertatem, aut rationem meriti, quia in illud non coacte, sed sponte tetendit, & ita fuit actus sui dominus.* Idem docet Scotus To. 12. quæst. quodlib. 16. Aliorum Scholasticorum loca innumera profert Jansenius lib. 6. de gratia. Prob. III. Exemplis & ratione. I. Enim Deus seipsum necessario amat, & tamen est

liber. II. Chriſtus peccare non potuit, & tamen promeruit. III. Angeli Deum vident in ſe, & tamen liberi ſunt; ergo &c. IV. Libertas alia eſt indifferentiæ, alia a coactione; ergo utraque veræ libertatis naturam participat. V. Libertas perfectior eſt, ubi eſt cognitio perfectior, atqui beatorum cognitio, quæ errori non ſubjicitur, perfectior eſt, ergo & libertas.

R. diſt. maj. Liberum eſt quod facimus cum volumus electione mediorum, conc., naturali inſtinctu, neg. Ad. I. prob. Aug. diſt. ant. Voluntas non eſt niſi libera, prout a natura diſtinguitur, & eſt electio mediorum, conc., ut natura eſt, & naturali fertur inſtinctu in finem ultimum, & beatitudinem, neg. Solutio patet ex dictis. Idem tradit S. P. l. 3. de Lib. arb. c. 3. Nam ibidem poteſtatem voluntatis opponit neceſſitati, & voluntarium appellat, quod poteſt cohibere motum ſuum, dicens quod ſi neceſſitate iſte motus exiſteret, nullo modo culpabilis eſſet. Et l. 1. Retract. 22.: *cum poteſtas datur, non neceſſitas imponitur.* Hinc Baji propoſitio 67. proſcripta eſt: *homo peccat damnabiliter in eo quod neceſſario facit.* At in l. de Civ. Dei, & de Natura & gratia ait S. P. ſtare libertatem quoad exercitium, licet voluntas ſit neceſſitata quoad *ſpecificationem.* Quare, licet appetamus neceſſario beatitudinem, tamen hoc vel illud medium eligimus, ad ejus conſecutionem, cum indifferentia judicii, adeoque libertas voluntatis, relate ad finem ultimum, opponitur tantum coactioni, ſed libertas arbitrii circa electionem mediorum etiam neceſſitati repugnat, ut docet D. Th. 1. p. q. 41. & D. Auguſtinus de Nat. & gr. 47.

Ad locum D. Proſperi, diſt. ant. Definit ſpontaneum appetitum, ſecluſa indifferentia, neg., non ſecluſa, conc. Deſcribitur enim ibi liberum Adæ arbitrium, ut conſtat ex verbis ſequentibus, *ubi uſum bonorum, quæ acceperat faſtidivit* &c. Atqui Adæ arbitrium, ſecluſa concupiſcentia & gratia victrici

victrici, pleniſſima indifferentia fruebatur per ipſum Janſenium; ergo ſpontaneum per Proſperum non excludit indifferentiam. Ad Damaſcenum, diſt. ant. Idem eſt arbitrium ac voluntas, ſumpta voluntate prout eſt agendi, vel non agendi poteſtas, conc. prout eſt natura, neg. Ait enim l. de Fide 26. in noſtra voluntate ſita eſſe, quorum liberam habemus poteſtatem, ut aut ea faciamus, aut non faciamus.

Ad Bernardum diſt. ant. Et loquitur de libertate relate ad finem, conc. relate ad media, neg. Deſcribit enim ibi libertatem Dei per ſolam excluſionem extrinſecæ neceſſitatis, oſtenditque in iis eligendis Deum liberum eſſe, ſine poteſtate peccandi, qua libertas premitur, non perimitur.

Ad D. Th. R. ad primum loqui de natura voluntatis, ut fertur abſque violentia cauſſæ exterioris in finem, ille enim, ut dictum eſt, liberum arbitrium non agnoſcit, niſi in electione mediorum. Ad alterum R. D. Th. ibidem: *Dicendum, quod liberum arbitrium Chriſti non erat determinatum ad unum ſecundum numerum, ſed ſecundum genus, ſcilicet ad bonum, quia ad malum non poteſt.* Et 3. p. Summ. q. 18. ait „ Differt electio a voluntate „ in hoc, quod voluntas eſt ipſius finis, electio „ autem eorum, quæ ſunt ad finem, & ſic voluntas eſt idem quod voluntas ut natura. Electio „ autem eſt idem quod voluntas ut ratio, & ideo, „ cum in Chriſto ponatur voluntas ut ratio, ne- „ ceſſe eſt etiam ponere electionem". Ad III. R. diſt. Deus enim amando ſe ipſum, & beati, qui Deo fruuntur &c. liberi ſunt libertate naturæ, qua voluntas fertur in finem, conc. libertate electionis, quæ reſpicit media, neg. Hæc autem, non illa, eſſentiam arbitrii conſtituit. Scotus autem ideo cenſuit per actum beatificæ viſionis Chriſtum meruiſſe, quia opinatus eſt, actum illum non fuiſſe illi omnimode neceſſarium, ſed ad liberum arbitrium exiſtimaſſe neceſſariam indifferentiam conſtat

ex 1. sent. dist. 39. &c. Ad IV. R. ad I. rationem. Ea enim divisio non est divisio libertatis arbitrii, sed voluntatis, ut fertur absque violentia in debitum finem, & media ad illum conducentia eligit sine necessitate: in electione autem mediorum suam libertatem exercet arbitrium. Nam in finem trahitur instinctu naturæ. Ad V. R. dist. maj. Est perfectior libertas, prout ex mediis indifferentibus ea eliguntur absque erroris periculo, quæ non deflectunt ab ordine finis, conc. secus, neg.

Ob. IV. S. P. Aug. in Ench. 30. *Libero arbitrio male utens & se perdidit, & ipsum*, & ep. ad Vitalem, *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Eadem habet de Perf. Just. 14. de C. D. l. 14. c. 2. de Corr. contra Jul. &c. (1). R. dist. maj. Docet periisse libertatem sanam, ac robustam, nulla concupiscentia labefactatam, conc., libertatem indifferentiæ, seu facultatem agendi, vel non agendi, qua potest aut malum agere, aut bonum Dei gratia, neg. Asserit enim ibi S. P., se non pugnare cum Pelagianis, eo quod libertatem destruerent, sed quod originale peccatum, concupiscentiam, & gratiæ tollerent necessitatem; ergo S. P. solam libertatem, quæ fuit in Paradiso, periisse docent. Errant ergo qui inter libertatis naturam, ejusque integram valetudinem, atque infirmitatem non distinguunt. Tales sunt Pelagiani, & Arminiani, inter quos Pherepo-nus,

(1) Confutatione non egent, sed risu, & cachinnis excipienda sunt, quæ somniavit Beausobrius l. 7. HistoriæDogm. Manichæor. c. 2. ubi comparationem instituit inter Augustini & Manichæorum sententiam circa hominis libertatem. Verum, cum ex ea confutatione lux aliqua Ecclesiæ dogmati de arbitrii libertate, quam una cum gratia propugnavit Augustinus, accedat, de hoc argumento fusius agere est animus ad calcem 3. hujus cap.

nus, sic arguentes: periit ob Adæ peccatum bene agendi potestas; ergo periit libertas, aut ita: viget libertas adhuc; ergo habet in se quisque bonorum operum potestatem, quæ consecutiones falsæ sunt, easque rejicit S. P. l. 1. c. 2. ep. Pel. 2. ubi ait: *Quis dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quæ in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam, propter quod natura humana divina indiget gratia.* Idem docent PP. Africani in Ep. ad Innoc. 177. his verbis: *Satis apparet, quod ad non peccandum, quamvis esse non dubitetur arbitrium voluntatis, tamen ejus potestas non sufficiat, nisi adjuvetur infirmitas*; ergo &c.

Ob. V. Non valet in hoc statu ea peccati definitio S. P. A. *Peccatum est voluntas retinendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere*; ergo &c. Prob. ant. ex Augustino, qui l. 1. Op. Imp. n. 44. ait: *Ipse est Adam, quem nostra illa definitio intuebatur*, & n. 105. *Multum erras, qui necessitatem nullam putas esse peccandi.* Hanc porro necessitatem probat ex Ap. loco: *Non quod volo bonum &c.* & 1. Retr. 15. ait: *qui cogenti cupiditati resistere non potest, & ideo facit contra præcepta justitiæ, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati*; ergo &c.

R. I. ad I. dist. ant. Non valet quoad omnia, conc. quoad aliqua, neg. Non valet ergo ea definitio de peccato orig., a quo liberum non est abstinere, quia contrahitur propagatione naturæ, nec valet in actualibus quoad plenitudinem libertatis, qualis erat in Adam, valet tamen quoad libertatem indifferentiæ. *Multa quippe sunt, quæ agunt homines mala, a quibus eis liberum est abstinere: sed nulli tam liberum, quam illi, qui a Deo erat conditus rectus*, ait S. P. l. 1. Op. Imp. 47. Unde retorqueo arg. Licet non valeat ea definitio, quoad originale peccatum, ac plenitudinem libertatis; va-

let tamen in aliis malis, a quibus abſolute *liberum eſt abſtinere*, licet non tam liberum ſit, quam Adamo; ergo &c.

Ad I. prob. Auguſtini R. eum cit. loco refellere Julianum, qui negabat originale peccatum, ex quo illud parvuli vitare non poſſent. Docet ergo S. P. libertatem neceſſariam quidem eſſe ad peccata actualia, at vero ad originale ſat eſſe quod fuerit liberum originaliter ex Adam, in quo omnes præextiterunt. *Proinde*, ait ib. n. 47. S. D. *Originale peccatum nec ad illud pertinet, unde liberum eſt abſtinere, alioquin non eſſet in parvulis, ſed pertinet ad hoc genus, ubi ſic peccatum eſt, ut ipſum ſit & pœna peccati. Origo tamen etiam hujus peccati deſcendit a voluntate peccatoris. Fuit enim Adam, & in illo fuimus omnes, periit Adam, & in illo omnes perierunt.* Ex quibus ſic arguitur. Sicut actuale peccatum eſt ex cujuſque voluntate, ita originale ex Adæ voluntate, ſed ſi Adam libere non peccaſſet, nemo peccaſſet; ergo nemo actualiter peccaret, niſi libere peccaret: conſtat ergo, S. P. in actualibus peccatis illam indifferentiam libertatis agnoſcere, qua Adam non caruit.

Ad II. diſt. ant. Et Aug. loquitur de neceſſitate morali, conc. de phyſica, neg. Loquitur enim S. P. de ea neceſſitate, de qua ait Apoſtolus, *non quod volo bonum hoc facio &c.*, ſed hæc eſt moralis neceſſitas, quia ſine gratia vi pravæ inclinationis facile ſuccumbit arbitrium, & ob concupiſcentiam nequit omnia peccata abſque ſpeciali gratia vitare, licet in deliberata admiſſione peccati, nulla trahatur ineluctabili neceſſitate; ergo &c. Ad III. diſt. ant. Peccat, ſi hæc ignorantia ſit vincibilis, & diſpelli poſſit aut debeat, conc. ſi ſit invincibilis, ſubdiſt. Peccat *materialiter*, conc. *formaliter*, neg. Hinc S. P. de Lib. arb. 19. ait: *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras.* Ad IV. R. diſt. ant. Reſiſtere non poteſt abſolute, neg., ea libertatis plenitudine, quæ fuit in Adamo, conc. Solutio patet

ex

ex R. ad I. Et confirmatur ex Aug. l. 2. de pecc. mer. 4., ubi de concupiſcentia ait, *ad agonem manet non ſibi ad illicita conſentientibus nihil omnino nocitura*, & de pecc. orig. *Si non conſentitur, nullus peccati reatus contrahitur;* ergo &c.

Ob. VI. S. P. de Gr. c. 49. Negat, Deum *non voluntatem, ſed neceſſitatem habere juſtitiæ, quia non poteſt velle peccare.* Et l. 12. de C. D. 1. ait, quod beatis *laus ſit adhærere Deo, neque enim tunc ſine virtute vivemus;* ergo &c.

R. neg. conſ. Ad I. S. P. de Natura & Gr. Exemplo voluntatis humanæ & divinæ falſum eſſe demonſtrat privari deliberatione quidquid naturali neceſſitate conſtringitur. Nos enim liberi ſumus a coactione in appetenda beatitudine, & liberi a neceſſitate in ſeligendis mediis ad ipſam beatitudinem conducentibus. Similiter Deus non poteſt velle peccare, & tamen ſpectat ad illius voluntatem habere juſtitiam, & liber eſt a neceſſitate largiendo gratiam, qua nos juſtos facit; ſtat ergo ſine poteſtate deflectendi ab ultimo fine mediorum electio, nec ſpectat ad libertatis eſſentiam poſſe peccare, ut Pelagiani commenti ſunt. Ad II. & III. diſt. ant. Adhærere Deo laus & virtus eſt, ideſt virtutis & laudis præmium, conc. ideſt virtutis meritum, neg. Vocatur autem laus & virtus ipſa etiam finis conſecutio, quia in electione mediorum laus & virtus locum habet. Porro virtutem, cujus merito finem aſſequimur, indifferentia voluntatis comparari ſcribit S. P. l. 5. Op. imp. n. 61. ubi ait: *non ergo aliter eſſet virtus in nobis, niſi voluntatem malam ſic non haberemus, ut habere poſſemus.*

Ob. VII. Tradita definitio libertatis Pelagianiſmum, aut Semipel. inſtaurat; ergo rejicienda eſt. R. neg. ant. Non enim Pelagiani ſunt, qui liberum fatentur arbitrium, ſed qui liberum eſſe cuique dicunt ſine gratia operari. Hinc S. P. l. 2. de Nupt. 3. ait: *Liberum arbitrium utrique fatemur, non hinc eſtis Pelagiani, liberum autem quemquam eſſe ad*

 agen-

agendum bonum ſine adjutorio Dei dicitis, hinc eſtis Pelagiani &c., ergo libertas arbitrii ejuſque indifferentia non ſolum Pelagianorum, ſed etiam Catholicorum dogma eſt; ergo &c.

APPENDIX
CAP. PRÆC.

In quo Beauſobrius refellitur; qui l. 7. Hiſtoriæ Dogm. Manich. parallelum inſtituit inter Auguſtini & Manichæorum de hominis libertate ſententiam.

Trinam libertatis ſpeciem cit. loco Beauſobrius deſcribit. Primam *lubentiæ*, ſeu *ſpontaneitatis*, a coactione immunem appellat. Secundam in ea poteſtate conſtituit, qua quis bonum agere, & a malo abſtinere valeat. Tertiam vocat libertatem indifferentiæ, quam in *perfecto æquilibrio voluntatis* ſitam eſſe decernit. Hanc vero, quam in anima *innocenti* Auguſtinus, aliique PP. agnoſcunt, Manichæos non agnoviſſe, ex vi ſui ipſorum ſyſtematis ingenue fatetur hiſtoricus. Secundam autem libertatis ſpeciem, ſeu potentiam faciendi bonum, & a malo abſtinendi Manichæos admiſiſſe, eamque, licet imminutam, ob invincibilis concupiſcentiæ impetum animam retinuiſſe, ſed ejus uſum amiſiſſe arbitratur. Nec aliter de *neceſſitantis* concupiſcentiæ vi Paulum ſenſiſſe atque Auguſtinum: quem ex Pelagiano, qui erat, dum adverſ. Manichæos de libero arbitrio diſputaret, ubi cum Pelagianis certavit, Manichæum evaſiſſe, confidenter pronunciat. Quam calumniam a Juliano, aliiſque Pelagianis excogitatam, non ſolum Semipelagiani, Proſpero & Fulgentio teſtibus, atque Arminii, & Socini aſſeclæ, ſed etiam ſcholaſticorum nonnulli, qui tanto Doctori faſces ſubmittere renuunt, ad hæc noſtra tempora etiamnum ingeminant. Sed

eam,

eam, præter Noriſium, & Bertium egregie refellit nuperrimus auctor Alphabeti Tibetani pag. 735. & 738.

Qua in re non aliud fuiſſe viſum eſt Beauſobrii conſilium, niſi ut ſuæ Calvinianæ hæreſeos coryphæos, ſcilicet Manichæos, in eorum chriſtianorum cenſum traduceret, qui ſub duce Auguſtino recte de hominis libertate ſentirent. Ceterum in exponendo Manichæo dogmate cum vera & antecedente neceſſitate, quæ liberum arbitrium perimit, hanc ſecundam libertatis ſpeciem componit: hinc illa Manichæorum proloquia; *inviti peccamus, cogimur a contraria, & inimica ſubſtantia &c.*, quæ eodem ſenſu ac Apoſtoli verba: *quod nolo malum hoc facio &c.* accipienda eſſe blaſphemat hiſtoricus. Confundit etiam *verum peccatum* cum concupiſcentiæ vitio, quod ex peccato quidem eſt, & ad peccatum inclinat, ſed peccatum proprie non eſt, niſi accedat voluntatis conſenſus. Quamvis ergo coactionis vocabulum rigide non ſumatur, ut Beauſobrius contendit, non poteſt tamen veram *neceſſitatem antecedentem* non exprimere, a qua ſane *neceſſitate* Auguſtini doctrina ſemper abhorruit.

Fruſtra etiam nititur Beauſobrius demonſtrare, Manichæos eandem Auguſtini adoptaſſe ſententiam docentes, humanos actus, nec vituperatione, nec laude dignos eſſe, niſi ſint liberi & voluntarii, quod probat teſtimonio Felicis Manichæi, qui cum Auguſt. diſputans ait: *Natura lucis non peccat, quia quod facit facere cogitur.* Non enim ſunt hæc verba Felicis, ſed Auguſtini Manichæos ex eorum principiis refellentis. Confeſſus fuerat Felix, *Chriſtum veniſſe ad ſanandos peccatores* juxta illud; *non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* Hinc S. D. ait, *quod ipſa pœnitentia indicat, non alienæ eſſe naturæ, ſed voluntatis noſtræ, ſi quid peccavimus. Nam, ſi alio peccante alium pœnitet, non eſt iſta prudens, ſed inſana pœnitentia.* Porro

in

in Manichæorum ſyſtemate nullam dari pœnitentiam, quia nullum datur peccatum ſic Aug. oſtendit. Peccatum enim neque a bona natura eſt, neque a mala; non a mala, hæc enim immutabiliter facit, quod ſuæ naturæ eſt, adeoque non peccat: *Gens tenebrarum non peccat,* ait S. P. *quia, per vos, ſuam naturam facit;* neque a bona, hæc enim invita cogebatur ad malum: *Natura lucis,* ſubdit S. D.; *non peccat, quia quod facit, ſecundum vos, facere cogitur; ergo nullum peccatum invenis, quod pœnitentia poſſit ſanari.* Idem docet S. P. l. de 2. animabus, ubi oſtendit, animas *natura malas, & quæ natura, non voluntate peccent,* nullas eſſe poſſe. Et contra Fortunatum: *Liberum arbitrium ſi non dediſſet Deus, judicium puniendi nullum juſtum eſſe poſſet... nec ipſa indulgentia peccatorum, quia qui non voluntate peccant, non peccant.* Similia habet Evodius ſub Aug. nomine a Beauſobrio laudatus l. de Fid. contr. Man. c. 43. veteris ed. *Si infidelitas,* inquit, *peccatum eſt, & non peccat niſi gens tenebrarum, reſtat ut ab omni peccato pars lucis immunis inveniatur, omnes ergo ad regnum redeunt, quia ipſi non peccant.*

Nec obſtat, quod ex ep. Manetis, apud Aug. l. 3. Op. imp. Beauſobrius regerit: *Prima anima accepit iſtam fabricam corporis, ut eam fræno ſuo regeret.* Nam ex Manich. ſententia non per actionem & liberam bonum agendi potentiam, ſed per ſimplicem & neceſſariam paſſionem, quam ſubire debebat in commixtione & pollutione malæ naturæ, vim materiæ adverſæ, & gentis tenebrarum cohibebat & frenabat, non aliter ac frænare ſoleat famem voracis lupi ovis in ejus fauces immiſſa. Unde S. D. eos ſic alloquitur: *Vos membra Dei dati eſtis hoſtibus non valentes eorum compeſcere feritatem, niſi eorum contaminati fœditate, non habentes peccatum proprium, ſed hoſtili veneno tabefacti; hoc ergo eſt modum imponere, & frænum contrariæ injice-*

jicere naturæ. Omitto alia innumera, quæ demonſtrant fictitiam illam Beauſobrii potentiam animis tributam ad domandam materiem in illa miſera, & neceſſaria paſſione, qua per Manichæos contraria natura temperabatur ab audaciori aggreſſione regni lucis.

Non negamus tamen, interdum etiam, ſed raro, vel invito Maneti excidiſſe, ut Aug. obſervat l. 2. Act. c. 3. *eſſe liberum arbitrium, atque inde peccare quemque ſi velit, non peccare ſi nolit,* quod verbis ipſius Manichæi probat S. D. *Circumcluſus enim potentia veritatis ad confitendum verum de libero arbitrio plus valuit in eo natura humana, in qua eum Deus effecit, quam fabula ſacrilega, quam ipſe ſibi effinxit. Audi ergo, quemadmodum Manichæus ipſe confeſſus ſit eſſe liberum arbitrium. In theſauro veſtro ſic loquitur: in omnibus hominibus a puero uſque ad ſenem natura proclamat* (libertatem). *Nonne iſta cantant & in montibus paſtores, & in theatris poetæ, & magiſtri in ſcholis, & antiſtites in ſacris locis, & in orbe terrarum genus humanum &c.? Vides,* ſubdit S. D., *in his verbis confirmatum eſſe etiam a neſciente quid loqueretur liberum arbitrium.* Ad hanc etiam naturæ vocem Archelaus epiſcopus revocare curavit Manetem, dum ei ſecum diſputanti hanc ſententiam propoſuit: *Quod eſt noſtro arbitrio conſtitutum peccare vel non peccare, ſicut tu ſine dubio noſti o Manes. Noſti,* inquit, nempe veritate cogente, non *fateris* pervicacia adverſante. Hinc S. D. l. de Nat. Bon. c. 42. *Videte,* inquit, *quomodo inſaniens quid dicat ignorat, & contraria ſibi loquendo pejus bellum contra ſe gerit, quam contra Deum ipſius gentis tenebrarum;* perperam ergo Beauſobrius ex iis, quæ ignorans, ſecum pugnans, & invitus protulit Manes de ejus ſenſu circa libertatem, quaſi ex tripode judicium tulit: dum interim Manes, ejuſque aſſeclæ Fortunatus, Fauſtus, & Felix, cui Augu-

Augustinus has objecerat antilogias, animam pollui, & peccare profiterentur ex necessitate, non propriæ voluntatis arbitrio. Lepidum sane est belli genus, quo Beausobrius contra Manichæos pugnat, dum illos defendit: atque ille quidem in eorum dogmate libertatem agnoscit, isti, licet pressi antilogiis magistri sui, & ab Augustino convicti, absoluta necessitate nos constringi deprædicant.

Quid vero est tam ludicrum, aut puerile, quam ex scripturarum testimoniis de Manichæorum doctrina judicium ferre? An Calviniani realem Christi præsentiam agnoscunt in Sacr. Eucharistiæ, quia verba evangelica, *Hoc est corpus meum*, a catholicis usurpata in medium proferunt? Et tamen sic insanit Beausobrius. Nam quia Manes apud Aug. l. 3. Op. Imp. adduxit ea Apostoli verba: *non quod volo bonum hoc facio &c.*, ubi Aug. *videtis*, ait, *vocem animæ contumacis contra concupiscentiam defendentem libertatem animæ*; statim decernit Beausobrius, per eam omnino libertatem animæ in contraria natura versantis a Fortunato, & Manete fuisse agnitam, quam & Apostolus ipse agnoverat. Non itaque ex verbis, sed ex eorum sensu de Manichæorum doctrina judicium ferendum est.

Opponit Beausobrius Secundinum Manichæum, qui apud Augustin. ait: *Si, anima, a spiritu vitiorum incipiat trahi, & post consensum pœnitudinem gerat, habebit indulgentiæ fontem; carnis enim commixtione ducitur, non propria voluntate. At si consentiat malo, & non se armet contra inimicum voluntate sua peccavit. Quam si pudeat errasse, paratum inveniet misericordiæ auctorem. Non enim punietur, quia peccavit, sed quia de peccato non doluit. At si cum eo peccato sine venia recedat, tunc excludetur, tunc hæres erit sinistræ &c.*

Sed facile R. Secundinum nempe pressum eo Aug. argumento, quo S. D. ostenderat, injustum

ſtum fore Dei judicium, ſi animas partes ſubſtantiæ ſuæ ſupplicio æterno damnaret, nec illæ ſua voluntate, ſed coactæ a contraria natura peccaſſent, ut aliquomodo ab hoc inextricabili nodo ſeſe expediret, duplicem animarum ſtatum diſtinxiſſe, alterum ante judicii diem, alterum in ipſa judicii die. Iſtæ *in globo gentis tenebrarum* igne æterno cremandæ voluntate peccarunt, anima autem *non punietur*, ex Secundino, *quia peccavit, ſed quia de eo non doluit*: quæ verba expendens S. D. ait: *Bene quidem, quod aliquando confiteris fieri poſſe*, ut *ſua voluntate* anima *peccet.* Ubi nota: idem, quod Maneti, Secundino accidiſſe. Is nimirum, ut ille ſecum pugnans *coactus eſt confiteri peccatum propriæ voluntatis.* De animabus vero ante judicii diem ſic ſentiebat Secundinus. Eas ante commixtionem conſiderans, cum ex eadem Dei ſubſtantia eſſent, *victoriam habuiſſe* docebat, *quam ſua ſibi ipſis natura a principio dedit.* Qua obſcura locutione forte ſignificare voluit *victoriæ* nomine *vincendi poteſtatem.* Sed hæc aut omnino inſuperabilis erat, & ita incommutabilis fuiſſet anima, ut eſt Dei natura, aut ſuperari poterat in bello, & commixtione cum ſubſtantia mala, adeoque non erat anima pars conſubſtantialis divinæ naturæ, quæ immutabilis eſt.

Cum primum ergo animæ commiſcentur malo peccant, judice Secundino, ſed illarum peccatum non eſt voluntatis propriæ: & licet conſentiant peccato, prior iſte conſenſus ex earum voluntate non eſt; ergo involuntarium eſt, & quia fit ex ductu alienæ naturæ, & quia fit ex conſenſu in ſtatu oblivionis animæ, in qua hæc ſeipſam, & originem ſuam non cognoſcit. Sed ſi poſteaquam anima ſeipſam *cognoverit, malo conſentiat &c.*, tunc voluntate ſua peccavit, ſicque Peccatum antea involuntarium, fit voluntarium per hunc ſecundum conſenſum.

Hinc Beauſobrius perſpi-

ſpicue evinci putat, Manichæos agnoviſſe, 1. Animam eſſe liberam poſt agnitionem veritatis. 2. Spiritum vitiorum eam poſſe tantum allicere. 3. Vim iſtam alliciendi non eſſe victricem, niſi ex conſenſu, quam poteſt anima denegare. Sed fallitur Beauſobrius. Non enim ex eo conſenſu ab anima præſtito *propria voluntate* peccato ſequitur animam liberam eſſe ab antecedenti neceſſitate, aut commixtionem malæ naturæ habere ſimplicem vim alliciendi, & non etiam neceſſitatem, & coactionem ei inferendi. Neque peccatum omne, quod ex voluntate eſt, idcirco liberum eſt voluntate arbitrii, ſeu indifferentiæ, licet voluntarium ſit voluntate lubentiæ ſeu neceſſitatis, ut fit in damnatis, qui voluntarie quidem, ſed non libere peccant. Subdit enim, animam *non puniri, quia peccavit, ſed quia non doluit.* Qui fieri autem poteſt, animam arbitrii ſui libertate peccare, & tamen non puniri quia peccavit? Peccatum ergo, quod non puniri ait Secundinus, & tamen propriæ voluntati animæ tribuit, voluntarium non eſt, niſi voluntate lubentiæ, quæ cum neceſſitate conſiſtit, & fruſtra Beauſobrius ex ea *animæ conſenſione, & propriæ voluntatis peccato* Manichæos admiſiſſe ſtatuit veram potentiam, & arbitrii libertatem. Si quam enim libertatem Secundinus agnovit in anima, ea tota eſt, ut poſt conſenſum peccato præſtitum de eo dolere poſſit. Ideo quippe per Secundinum punietur, quia non doluit. Doloris autem nomine non odium & deteſtationem peccati intellexiſſe Manichæos, ſed actum commiſerationis & triſtitiæ de ſua paſſione & miſeria valde probabile eſt. Deinde Beauſobrius ipſe fatetur, quod Secundinus ſtatuerit, animam ductam ad peccatum ex commixtione naturæ malæ neceſſario peccare; quomodo ergo in ea agnoſcit potentiam agendi bonum, & reſiſtendi malo?

Tandem Beauſobrius ipſe teſtatur, PP. omnes eccle-

ecclesiæ, qui Manichæos refutarunt, asserere, hæreticos hosce liberum arbitrium penitus denegasse, quomodo ergo eorum auctoritatem contemnit? Et paucis quibusdam Manetis, Felicis, Fortunati, aut Secundini verbis, quæ omnino periissent, nisi ea jamdiu refutata Augustinus in aureis suis libris fideliter servasset, de eorum doctrina audet proferre sententiam. Nil enim novi profert Beausobrius, quod ante annos 1300. & amplius non vulgaverit, & confutaverit S. P. A., aliique ecclesiæ Doctores, qui ajunt, Manichæorum loca de culpa, merito, atque consensu meras esse antilogias, atque ambages, quas avide Beausobrius arripit, ut de eorum systemate, qua jure quave injuria judicium ferat.

Si vero caussam quæras: Cur PP. illi putarint, liberum arbitrium a Manichæis sublatum? Non aliam reddet Beausobrius, quam istam; nempe PP. illos & Aug. *æquilibrium* humanæ voluntatis, quo voluntas possit ex æquo bonum & malum agere, in quovis statu agnovisse, cum ex adverso in ipso statu innocentiæ Manichæi illud impugnarent, unde liberum arbitrium ab iis rejectum esse PP. opinati sunt. Addit, Græcos PP. constanter hanc doctrinam propugnasse, licet ab ea Augustinus & PP. Latini recesserint, ubi cum Pelagianis decertarunt. Et quia Beausobrius æquilibrium cum *indifferentiæ* libertate dolo malo confundit, idcirco ait, hanc quæstionem esse *adiaphoram*, quam *pro & contra* in Ecclesia latina sustineri licuit post Augustini pugnas cum Pelagianis. Sed gerræ istæ sunt. Æquilibrium enim Ecclesiæ PP. tum Græci, cum Latini in uno innocentiæ statu unanimiter agnovere; non ergo ex hoc capite Manichæos de libertate perempta accusare potuere. Falsum est etiam, Græcos PP. doctrinæ æquilibrii fuisse perpetuo addictos, fatetur enim Beausobr., eos docuisse, liberum arbitrium fuisse in statu na-

turæ lapſæ debilitatum. Auguſtinus vero liberum arbitrium, etiam ſublato æquilibrio, in homine lapſo ubique deprædicat; nam l. 4. contra Jul. c. 47. ſcribit: *Aſſeris, me dixiſſe negari liberum arbitrium, ſi gratia commendatur: calumniaris, non hoc a me dictum eſt.* Et l. 2. contr. duas ep. Pel. *Peccato Adæ liberum arbitrium periiſſe non dicimus.* Eadem habet l. de Gr. & lib. arb. c. 15., & alibi. Nec obſtat, dixiſſe Aug., liberum arbitrium ad malum ſufficere, ad peccandum valere, ad bonum autem non item, niſi adjuvetur ab omnipotenti bono &c. Nam S. D. ibi loquitur de potentia *poſitionis*, quæ eſt cum actu conjuncta, eaque ſine gratia non eſt in homine lapſo, teſte Auguſtino, non vero de potentia *poſſibilitatis*, ſeu indifferentiæ & arbitrii, quam etiam poſt lapſum agnoſcit in homine S. D., arbitrium vocans, quod huc atque illuc flectitur. Hinc S. P. de Præd. ſanct. c. 5. *Poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere caritatem naturæ eſt hominum, habere autem gratiæ eſt fidelium.* Et ep. 177. *ad non peccandum quamvis eſſe non dubitetur arbitrium voluntatis, tamen ejus poteſtas non ſufficit, niſi adjuvetur infirmitas.* Ubi nota ingentem Beauſobrii confidentiam, qui audet aſſerere, ipſos etiam Manichæos docuiſſe, animam in corruptionis ſtatu *potentiam habere ad reſiſtendum malo*, ſed ejus uſum & exercitium ab ignorantia impediri. Ita Manichæos voluit hac in parte catholicos facere, ut Auguſtinum contra Pelag. diſputantem faceret Manichæum. Sed plane luſit operam. Cum enim anima ſit per Manichæos pars divinæ ſubſtantiæ, poteſtatem non habet, qua nutu ſuo flectere ſe valeat ad oppoſita, alias Dei natura mutabilis eſſet, adeoque in anima e tenebris eruta, potentia & exercitium ad bonum agendum, & ad malum repellendum ambo ſunt neceſſaria, aut libera voluntate lubentiæ, non autem indifferentiæ; diſtat ergo toto cælo a Manich. principiis Auguſtiniana, & catholica

lica de animorum libertate doctrina.

Nec minus errat Beauſobrius dum ait, Auguſtinum cum Manichæis pugnantem ad Pelagianos defeciſſe, addens, quod S. D., *ſi quam poſt lapſum in homine impotentiam conſtituebat, hujus originem tribuebat conſuetudini, quam frequentatis actibus libere contraxerat, eamque eſſe illam carnis prudentiam, de qua loquens* Ap. ait, *legi Dei non eſt ſubjecta: nec enim poteſt, ſcilicet in ſenſu compoſito, licet poſſit in ſenſu diviſo: cum deſinit eſſe carnis prudentia. Homo enim ſemper ſuum habet liberum arbitrium. Eodem plane modo Pelagiani exponebant eam hominis impotentiam, ſeu membrorum legem repugnantem legi mentis &c.* Ibi enim confundit Beauſobrius originalem illam neceſſitatem, quam e peccato Adæ contraximus, cum neceſſitate voluntaria, & ex conſuetudine contracta. Illa pœnalis eſt, & ſecluſo conſenſu peccatum non eſt, licet ex peccato ſit, & ad peccatum inclinet, iſta eſt habitualis pronitas ad peccandum, orta quidem immediate ex pravis arbitrii actibus, ſed *mediate* tamquam a radice ex pœnali neceſſitate Adæ peccato inducta. *Poſtquam enim libera ipſe* (Adam) *voluntate peccavit, nos in neceſſitatem præcipitati ſumus, qui ab ejus ſtirpe deſcendimus*, ait S. D. l. de Corr. & Gr. c. 12., ubi nota neceſſitatem, de qua S. D., ex malo uſu liberi arbitrii primi parentis exortam, eſſe ejus poſteritati communem ob corruptæ naturæ propagationem. Scopus enim Auguſtini erat oſtendere, quamlibet peccandi neceſſitatem ſive *originalem*, ſive perſonalem, non ex mala ſubſtantia, ſed ex libero Adæ, aut poſterorum arbitrio ortam eſſe, quod probat S. D. pluribus rationibus & exemplis, eo quod Apoſtoli teſtimonium *Per unum hominem &c.* & novum teſtamentum rejicerent Manichæi. *Antequam conſuetudine aliqua implicemur*, ait S. D., *liberum habemus arbitrium faciendi aliquid, vel non faciendi, cum autem*

ista libertate fecerimus, & animam tenuerit perniciosa dulcedo, ipsa consuetudine sic implicatur, ut postea vincere non possit. Videmus multos jurare nolle, sed quia jam consuetudinem lingua tenuit, non posse refrenare. Et hoc est quod adversus animam pugnat consuetudo facta in carne, (non contraria natura mali). *Sic dictum est, prudentiam carnis non posse legi Dei esse subjectam, ut si diceretur, nivem calidam esse non posse. Nullo enim pacto, quandiu nix est, calida esse potest. Sed quemadmodum illa nix desinit nix esse, ut possit calescere, sic illa carnis prudentia &c.* Hinc patet, quam præter rem distinctionem scholasticam de *sensu composito ac diviso* verbis Augustini aptare conatus fuerit Beausobrius.

Itaque S. P. idem de libero hominis arbitrio post Adæ lapsum semper docuit, sive Manichæos, sive Pelagianos impugnans. Atque illis quidem & istis humanæ voluntatis æquilibrium sublatum esse per deplorabilem necessitatem, qua Adæ culpa *præcipitati sumus*, ostendit: liberum tamen arbitrium non prorsus extinctum, sed sauciatum in vitiata Adæ stirpe manere, utrosque refellens perspicue monstravit. *Possibilitas quippe illa*, ait, non solum in lib. contr. Manich., sed etiam adv. Pelag. c. 17. de Gr. Chr., *quam dedit Deus, tam nos facit bona posse, quam mala.* Hanc possibilitatem utrobique docet, esse capacem utriusque radicis, *& caritatis, quæ est radix bonorum, & cupiditatis; quæ est radix malorum, quia non solum potest homo habere caritatem, qua sit arbor bona, sed etiam cupiditatem, qua si arbor mala, sed cupiditatem, quæ vitium est, hominem habere auctorem, vel hominis deceptorem, non hominis creatorem.* Et contra Jul. ait: *Libidinem vinci posse ambo dicimus. Sed tu, Juliane, viribus propriis, ego gratia salvatoris, ut non alia reproba cupiditate, sed Dei caritate vincatur, quæ non viribus propriis, sed per Spiritum S. diffun-*

funditur in cordibus nostris. Ceterum, licet Augustinus contra Manichæos liberum tueretur arbitrium, contra Pelagianos autem necessitatem gratiæ salvatoris, eadem tamen argumenta contra illos producta his revincendis protulit, & instauravit. Posse igitur & bonum & malum agere liberum arbitrium, semper professus est Augustinus; sed, ut, velit & agat gratiam *voluntatis & actionis* in hoc statu infirmitatis contra Pelagianos invictissime ostendit, tum ex sacris literis, tum ex PP. Græcis, atque ex Latinis. Quam Aug. sententiam Ecclesia universa (quidquid de Græca Beausobrius effutiat) adoptavit. Fallitur proinde hic Aug. censor, qui hanc Ecclesiæ sententiam adiaphoram dixit, ac proinde salva fide *pro & contra* liceat hinc inde de ea disputare. Nam S. Rom. Ecclesia, quæ in hac parte se Augustini doctrinam sequi testata est, docet, *liberum arbitrium minime extinctum esse*, licet *viribus attenuatum & inclinatum*, adeoque *posse dissentire si velit*, ut a Trid. Syn. Sess. 6. sancitum est, & Africana Concilia multo ante decreverant. *Verum est*, ait S. P. l. 1. Retr. c. 10., *homines hoc posse, si velint, sed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, ut volendo faciamus.* Et c. 16. de Gr. & arb. ait: *Velle & nolle arbitrii nostri esse, sic tamen ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Et lib. 3. de lib. arb. *Potest ergo ei causæ*, voluntatis, *resisti, potest peccatum caveri, sed opitulante illo, qui non potest falli.* Et l. de Nat. & Gr. c. 69. ita concludit: *Non enim, cum ista commemoramus, arbitrium voluntatis tollimus, sed Dei gratiam prædicamus.* Idipsum cum Augustino in sinu Romanæ Ecclesiæ nos quoque defendimus & prædicamus. Nec tamen ita liberum arbitrium exponimus, ut *libra* illa sit delirantis Juliani, *per æqualia momenta ex utraque parte suspensa*, de qua S. Alipius & Aug. ep. 186. ad Paulin. ait: *Pelagius ali-*

aliquando ita paribus momentis poteſtatem voluntatis æqua lance perpendit, ut quantum ad peccandum tantum etiam ad non peccandum valere definiat; quod ſi ita eſt, nullus locus adjutorio gratiæ reſervatur. Sed jam Auguſtini, omniumque PP., & univerſæ Ecclesiæ apologiam adv. Beauſobrii deliramenta S. Fulgentius abſolvat, qui l. de Præd. & Gr. c. 18. ait: *Hæc itaque catholicorum PP. Apoſtolicis inſtitutionibus tradita, permanet in eccleſiis ſine ulla dubitatione doctrina, quam Græci Latinique Pontifices uno ſemper tenuere conſenſu, in qua B. Auguſtinus indutus virtute ex alto, abundantius illis omnibus laboravit. Senſum quippe Chriſti* (non Pelagii, aut Manetis, ut Beauſobrius calumniatur) *habens, tam gratiæ Dei, quam humani arbitrii & officia diſcrevit, & merita; ſemper divinis humana ſubjiciens, & veraciter docens, divinitus homini & gratuito juſtificationis donum, & bonæ voluntatis exordium, & plenum tribui glorificationis effectum. Hunc legat qui ſalutem adipiſci deſiderat, humiliter orans miſericordem Deum, ut eandem illuminationis gratiam adipiſcatur, ut diſcat, quam ille adeptus eſt ut doceret.*

CAPUT IV.

Deum non eſſe cauſſam effectricem peccatorum oſtenditur.

NOT. I. Cauſſam præcipuam peccati eſſe voluntatem liberam ipſius hominis. Allicit quidem ad peccandum concupiſcentia, ſed hæc nonniſi conſentientibus nocet, ut ait Jacobus Ep. Cath. 1. *Unuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus.* Sunt etiam peccatorum plures cauſſæ morales. Diabolus præſertim, & mundus. Ille, cum voluntates pro lubitu in malum flectere non poſſit, illuſionibus atque terroribus incautos trahit ad errorem, & diffidentiam. Mundus vero ad

ad peccatum allicit improborum exemplis, corruptis moribus, pravisque colloquiis.

Not. II. Calvinum scripsisse, Deum caussam esse peccatorum docens post Lutherum, decreto absoluto tam ad primam, quam ad secundam mortem, idest ad peccatum, & supplicium homines prædestinasse. Ab hoc autem errore quam longe recedunt Thomistæ: licet enim prædefinitionem propugnent ad actum physicum, sive ad *materiale peccati*, negant tamen illius prædeterminari malitiam: & cum ea præfinitione indifferentiam tuentur arbitrii. Nos hanc præfinitionem negamus, sed cujusque actus etiam peccaminosi Deum auctorem esse dicimus, non quia illum physice præfinivit, sed quia operantem præmovet universaliter. Secundo quia voluntatem prædeterminat ad bonum in communi, unde voluntas se se ad bonum peculiare determinat. Tertio quia simultaneo concursu illam regit, & adjuvat. Quarto quia liberum indidit arbitrium. Ita Scholastici ferme omnes cum Magistro, Gregorio Ariminen., Estio &c., qui docent omnia, quæ sunt, in quantum sunt, bona esse, adeoque Deum auctorem habere. Hinc Anselmus de Casu diab. c. 20. ait: *Ipsum pravum motum voluntatis, & singulas pravas actiones Deus facit.* Etenim Deus auctor est rerum omnium existentium, atqui actus peccati est res existens: ergo &c. Ex quibus non sequitur, Deum prædefinire materiale peccati, concurrit enim ut caussa universalis absque physica prædeterminatione ad actus naturales, maxime qui cum malitia conjuncti sunt.

PROPOSITIO. Deus non est caussa efficiens peccati.

Prob. I. Scripturis. Ps. 5. habetur: *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Sap. 14. *Odio sunt Deo impius & impietas ejus.* Jac. 1. *Deus intentator malorum est;* ergo &c. Deinde prohibet Deus peccatum; ergo non est ejus caussa. Prob. ant. Amos 4. *Odite malum, & diligite bonum.* Luc. 12.

Cavete ab omni avaritia. Rom. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* 1. Cor. 6. *Fugite fornicationem.* III. Peccantibus supplicia minitatur. Exod. 32. *Qui peccaverit mihi delebo eum de libro meo.* Jud. 2. *Ad iracundiam concitaverunt Dominum.* Os. 12. *Ad iracundiam me provocavit Ephraim.* Rom. 1. *Revelatur ira Dei super omnem impietatem.* IV. Repugnat iniquitas Dei sanctitati. Is. 61. *Ego Dominus diligens judicium.* Soph. 3. *Dominus justus non faciet iniquitatem.* Os. 14. *Rectæ viæ Domini.* Ex quibus sic arguitur; nemo sui compos id efficit, quod odio habet, vetat, punit, & execratur, atqui Deus ex dictis odit, vetat, punit, & execratur peccatum; ergo illud non efficit.

Prob. II. ex Patribus, quorum plures produximus l. 6. Accedit Ambrosius 1. Hexam. c. 8. *Eradicari hanc malitiam Deus vult de animis singulorum, quomodo ipse eam generaret, cum clamet Propheta: Desinite a malitiis vestris.* Cyrillus in Jo. 8. ait: Deum *prædixisse infidelitatem Judæorum, non fecisse, ipsorum quippe præscivit peccata, non sua.* S. P. Ps. 90. *Non potes facere Deum auctorem peccati.* De pecc. mer. l. 2. c. 17. *Nullius culpæ humanæ in Deum referas caussam.* S. Prosper Obj. Vinc. 10. *Detestanda opinio, quæ Deum malæ actionis credit auctorem.* Fulgentius l. 1. ad Mon. *Sicut peccatum in eo non est, ita ex eo non est.* Sed ex his omnibus evincitur Deum non esse peccati auctorem; ergo &c. Prob. III. ex ipsa Protestantium confessione, Magdeburgensium, Vossii, Glassii, Melanctonis, Junii, Grotii, Confess. Augustanæ, Saxonicæ, Gallicanæ &c.

Prob. IV. ratione. Deus enim non est peccati caussa moralis, cum nec consilio, nec exemplo, aut promissis, & minis ad malum trahat, nam potius peccantes increpat, ad pœnitentiam invitat, punit pervicaces: & *Filium suum misit in mundum, ut nos redimeret ab omni iniquitate;* ergo Deus non est caussa moralis peccatorum, sed virtutum, quas pro-

probat, suadet, præcipit, remuneratur. Nec physica: nam si hoc foret, vel malitiam efficeret, vel actum: non malitiam, hæc enim, cum sit privatio debitæ rectitudinis, caussam efficientem non habet, sed deficientem, *quia peccatum nihil est, non per ipsum factum est*, ait S. P. Tr. 1. in Jo. Qui vero malitiam peccati sitam esse putant in actu aliquo positivo, nullum Dei concursum ad hunc actum agnoscunt, nisi indifferentem. Et quamvis Deus physice determinaret ad actum peccati, ut placet Thomistis; defendi tamen posset, nullum actum, ut actus est, esse malum, sed tale esse, prout a caussa secunda male fit. Ita hominem, quem adulter generat in utero mulieris peccando, inculpate Deus producit per creationem. Ita etiam Thomistæ Calvinianis opponuntur. Nec dicas, neque per Calvinum determinari a Deo voluntatem prout mala est. Nam prædeterminatio Calvini infert inevitabilem necessitatem, & liberum arbitrium penitus tollit; ergo &c. Thomistæ ex adverso libertatem agnoscunt; ergo Deus non est auctor peccati, cujus nec malitiam præfiniit, nec actum, ea saltem præfinitione, cui reluctari non possumus.

Prob. V. ex absurdis. I. enim Calvinus Deum injustum facit, aliter *puniendum reum non invenisse, sed fecisse, dicendus esset*, ut ait S. Fulg. l. 1. ad Mon. II. Crudelior Nerone Deus esset, qui impiorum interitum spectaret, ut ille urbis incendium. III. Ubi major auctoritas est & consilium, ibi magis delinquitur, atqui Deus est omnium sapientissimus & fortissimus; ergo omnium impiissimus esset, si esset caussa peccati. IV. Si peccata essent Deo auctore patrata, deberent ei imputari. V. Deus auctor bonorum est bonus; ergo Deus auctor malorum non est nisi malus; ergo &c.

Ob. I. ex Scripturis. I. Reg. 2. de filiis Heli habetur: *Et non audierunt vocem Patris sui, quia voluit Dominus occidere eos*; ergo absoluta Dei voluntate peccabant.

R. I. Nostrates, dist. cons. Peccabant, quia Deus prædefinierat illis subtrahere gratiam ob crimina, quibus retrahebant homines a sacrificio, conc. peccabant, quia Deus prædefinierat illis impertiri malitiam, & ad peccatum impellere, neg. R. II. particulam *quia* hoc loco reddendam esse *idcirco*, *igitur* &c. ut sensus sit: *Non audierunt vocem Patris sui, & idcirco Dominus voluit occidere eos:* nam particula hebraica כי *Chi* sæpe vim habet conjunctionis conclusivæ, ut Gen. 22. 17. & alibi. Reapse testatur Dominus, se velle præcidere brachium domus Heli, quia filii comederunt sacrificiorum primitias; ergo ideo Deus illos occidere voluit, quia peccaverunt. Proinde adverbium *quia* idem valere ac *quapropter* contendit Buxtorfius, Worstius, Alstedius apud Sixtinum Amama, & Glassium.

Ob. II. Deus præcepit aliquando peccatum; ergo vult. Prob. ant. 2. Reg. 16. de Semei habetur: *Dominus præcepit ei, ut malediceret David*, ergo &c. R. neg. ant. Ad prob. dist. ant. Dominus præcepit, hoc est permisit, conc. hoc est *jussit*, neg. Deus enim inclinavit cor Semei subtrahendo gratiam, non impertiendo malitiam. *Nam si jubenti obtemperasset Deo, laudandus potius, quam puniendus esset*, ait S. P. de Gr. & arb. 20. Ubi nota, verba illa esse Davidis humilis, ac pœnitentis, qui ex humilitate putavit, ob patrata a se crimina illud fuisse præceptum Domini, quod erat procacitas maledicentis: at Deus non præceperat Semei, ut David malediceret, alias nec veniam a Davide postulasset, nec a Salomone ejus filio supplicium reportasset; ergo &c.

Ob. III. Amos 3. 6. habetur: *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus.* Et If. 11. *Ego Dominus creans malum*; ergo &c. R. neg. cons. Nam loci illi accipiendi sunt de malo pœnæ, non de malo culpæ. Hinc S. P. contra Adim. c. 26. ait: *malum hoc loco non peccatum, sed pœna accipienda est.*

est. Per Amos enim prædicit Deus, everfurum fe Israelem, ob cultum idolorum, & Isaias exprobrat Israelitis, quod in victoriis Cyri, & liberatione populi Dei manum non agnofcerent.

Ob. IV. S. P. Ench. 101. ait: *Fieri poteft, ut hæc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona.* Et lib. 5. contra Julianum c. 3. oftendit, concupifcentiam & cæcitatem non effe naturæ conditionem, fed pœnam peccati, & ideo tradi impios in reprobum fenfum, ut ait Ap. Rom. 1. idque nedum fubtractione gratiæ, fed *ut notam faceret potentiam fuam;* ergo &c.

R. ad I. neg. conf. Nam voluntatem ibi S. P. *finem operationis* appellat: ait ergo homines ad malum finem ordinare, quæ Deus in bonum præordinat. Sic Judæi mala voluntate occiderunt Jefum, quem Deus bona voluntate, ut occideretur permifit. Ad II. neg. conf. Nam S. P. ex Ap. docet, impios tradi in reprobum fenfum, quia in pœnam præcedentis peccati efficaci gratia deftituuntur, non quia ex neceffitate in peccata impelluntur. *Cum ergo dicitur homo tradi defideriis fuis*, ait ibid. S. P. *inde fit reus, quia defertus a Deo cedit eis, atque confentit, vincitur, capitur, poffidetur.*

Ob. V. Deus eft prima cauffa cujufque actus, fed homo peccat per actum malum; ergo & Deus: maxime eo quod concurrat ad actus aliquos infeparabiles a malitia, ut eft odium, mendacium &c.

R. non ideo homo peccat, quia actum ponit, fed quia ponit pravo animo & deviando a recta ratione. Nec obftat quandoque ab actu infeparabilem effe malitiam; talis eft enim, prout actus efficitur a cauffa particulari, & prædermінante actum ipfum, non a cauffa universali & indifferente, ut defectus foni tribuitur cytharæ, non cauffæ principi, quia hoc inftrumentum ad vitium feipfo determinatum eft. Concurfus quidem univerfalis & indifferens fufficit, ut Deus fit auctor operum fingulorum, fed non

non sufficit, ut dicatur caussa peccati: quia hoc, prout malum est, nihil est: nec caussam habet, nisi deficientem, ut ait S. Prosper in epigrammate: *Per Verbum omnipotens Deus omnia condidit unus, a quo natura est nulla creata mali.*

LIBER XVII.

De hæresi Janseniana.

AD Calviniana dogmata declinasse Jansenium, ejusque asseclas, qui nullam activam indifferentiam in libero voluntatis arbitrio agnovere, sed passivam duntaxat, qua nempe aut caritatis, aut cupiditatis impulsu humana voluntas absque electione, ac dominio hac illac abripitur; unicuique arbitror esse compertum. Iis itaque revincendis hic liber XVII. occupabitur, idque fiet duabus dissertationibus, quarum prior historicas, posterior vero dogmaticas complecti potest de Janseniana hæresi disceptationes.

DISSERTATIO I.

De historia Janseniana.

DE Janseniana historia quatuor capitibus sequenti ordine pertractabimus.

CAPUT I.

De Jansenianæ hæreseos auctoribus Bajo, Jansenio, & Quesnellio.

JANSENIO Michaelem Bajum prælusisse, atque hujus reprobatas sententias e cineribus suscitasse, merito asseruit Rom. Pontifex Urbanus VIII. Utriusque autem errores a Quesnellio recusos, neminem latet. Itaque de Bajo primum, tum de Jansenio, ac Quesnellio dicemus.

Propositio I. Bajus inter alios errores etiam Janseniana dogmata circa libertatem arbitrii præformavit.

Prob.

Prob. I. ex hiſtoria. Bajus enim Melini apud Belgas ortus an. 1513. a Carolo V. regius ſacrarum literarum profeſſor an. 1550. inſtitutus, ad annos ferme 40. ſacras tradidit diſciplinas, in quibus errores ab eo diſſeminari Tapperus primum, & Ravenſtein obſervarunt, re etiam ad Belgii conſilium delata an. 1558. tum Fratres Minores 18. Bajanos articulos ann. 1560. Pariſienſi Facultati exhibuere, quæ pleroſque ut hæreticos eos proſcripſit an. 1560. Anno ſequenti apud Cardinalem Granvellanum accuſatus eſt, ſed indictum eſt utrique parti ſilentium a Pio IV. Rom. Pont. Redux a Concilio Tridentino, cui una cum Heſſelio interfuit, typis mandavit opuſcula de libero arbitrio, de caritate, de juſtificatione &c., unde collectæ ſunt propoſitiones 76. quas an. 1567. damnavit Roman. Pontif. Pius V. qui bullam ſuam matura deliberatione editam declaravit, contra Baji apologiam, & damnationem confirmavit an. 1579. Gregorius XIII. Is Lovanium miſit Franciſcum Toletum S. J. Theologum poſtea S. R. E. Cardinalem, cujus opera Bajus propoſitiones illas retractavit. Anno 1586. vita functus eſt, atque poſt ejus obitum illius ſimul, & Janſenii propoſitiones, utpote affines, damnarunt Urbanus VIII. ann. 1641. & Innoc. X. an. 1648. Ex his vero excitatis per Bajum diſſidiis, nihil incommodi Auguſtinianæ doctrinæ, ſed auctoritatem potius præſidiumque acceſſiſſe alibi dictum eſt.

Prob. II. ex ipſis Bajanis articulis ab eccleſia proſcriptis. Nam Prop. 39. ait: *Quod voluntarie fit, etiamſi neceſſitate fiat, libere tamen fit.* Prop. 63. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Prop. 64. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſario facit.* Ex quibus conſtat, *ad merendum vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiri in homine libertatem a neceſſitate, ſed ſufficere libertatem a coactione.* Et prop. 52. ait: *Sententiam, quæ docet, Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falſo tribui Auguſtino, cum Pelagii ſit.* Unde ſuam primam

primam prop. *Aliqua præcepta &c.* mutuam accepit Janſenius; ergo &c.

Propositio II. Turpiter etiam erravit circa libertatem Janſenius.

Prob. I. ex hiſtoria, ex qua conſtat, Janſenium Leerdami in Batavia catholicis parentibus natum an. 1585. Lovanii philoſophicis, ac theologicis diſciplinis dediſſe operam. Doctorali Laurea inſignitus an. 1617. ibidem ſacras literas Janſenius profeſſus eſt an. 1630. Et an. 1635. Iprenſis epiſcopus creatus. Quo tempore opus, quod inſcribitur *Auguſtinus*, extrema manu expolivit, ſe ſcriptaque ſua, Romanæ Eccleſiæ judicio ſubjiciens. Qua de re ſummis laudibus extollitur a ſuis Apologiſtis, quaſi vitæ probitas ſit certum catholicæ veritatis indicium. At erraſſe etiam in dogmate, præter Cyprianum, Ibam, & Theodorum Mopſueſt., Hilarium quoque, Vincentium Lirinenſem, alioſque Maſſilienſes viros ſanctiſſimos abſque ſanctitatis diſpendio ſupra obſervavimus (1). Janſenii liber in lucem

(1) Obſervat noſter Deſirantius, extitiſſe Lovanii nonnullos theologos Janſenio addictos, *qui immenſis, quas cognoverant Janſenii virtutibus commoti, non judicabant, memoriam viri in pace mortui dura materialis hæreſis (cauſa terminata per judicium contradictorium) commemoratione turbandam eſſe. Hæc ipſi ex pio affectu in virum illuſtre facultatis noſtræ membrum. Sed quibus,* ſubdit Deſirantius in ſuis Theſibus, *reſpondeo: Non minorem ſcholæ noſtræ erga integerrimum præſulem ſtetiſſe ſemper & ſtare pietatem, ſed fruſtra eſt eſſe pium, cum noceas. Auctoritas nos Sedis Romanæ commovet. Interea per latus Janſenii quid non paſſum querimur ſenſum Auguſtini? Separemus ergo cauſam a cauſa, Hipponenſis non aſpergatur errore Iprenſi. Nam cur propter Iprenſem expoſitum cupimus Hipponenſem? Hipponenſis vicit,*

lucem vix editus ab Urbano VIII. præmiſſo examine, proſcriptus eſt ann. 1641. Subinde vero ex eo excerptas a Pariſienſibus theologis quinque propoſitiones Innocentio X. Gallicani Præſules exhibuere an. 1650. Diſcuſſa autem per biennium controverſia, Innocentius X. declarans, nullum Auguſtinenſi ac Thomiſtæ ſcholæ præjudicium afferri velle, famoſas quinque propoſitiones damnavit an. 1653. Nos ſingulas recenſebimus, ubi eas ſuo loco refellere curabimus.

PROPOSITIO III. Bajo, ac Janſenio cohæret Queſnellus.

Prob. I. ex rebus geſtis. Queſnellius enim Lutetiæ natus an. 1633. Congregationi Berullianæ nomen dedit circa an. 1657. Edidit an. 1676. diſſertationes ad opera S. Leonis M. a Lupo noſtro confutatas, ac Romæ proſcriptas. Spretis Congregationis ſuæ monitis, dimiſſoque habitu profugus factus eſt. Ann. 1699. novum Teſtamentum Gallice vertit, una cum reflexionibus moralibus in ſingulos verſiculos: ibique Baji, ac Janſenii proſcripta dogmata renovavit, ampliavitque errores ad propoſitiones 101. a Clem. XI. in Bulla Unigenitus an. 1713. jure proſcriptas. Non enim ibi aliam gratiam, niſi efficacem agnoſcit, ad talem quam nihil impedire poſſit, vel retardare; ergo &c.

Prob. II. ex ipſis damnatis articulis. Nam in primis 4., & in 38. & 39. docet, abſque gratia victrici impoſſibilia eſſe divina præcepta. In 1. enim ait, *animæ, quæ gratiam amiſit, nihil remanere, niſi*

cit, Iprenſis cecidit. Oportet ne unius triumphos deprimere per cladem alterius? Numquid laurea Hipponenſis reſtituet Iprenſis cladem? Vel Iprenſis ruina minuit Hipponenſis trophæa? Satis datum eſt Janſenio, cujus ſi doctrina reſpuitur, nullam ipſe jacturam patietur in terris, qui errare potuit, qui hæreticus non fuit. Hæc Deſirantius.

nisi generalem impotentiam ad omne opus bonum. Idem asserit in 2. 3. & 4. nec non in 38. ubi ait: *Peccator non est liber, nisi ad malum sine gratia*, & in 39. ait: *Est capax omnis mali & incapax ad omne bonum.* A prop. 9. usque ad 14. nonnisi efficacem gratiam, eamque victricem, & *inimpedibilem* agnoscit, ait enim art. 10. *Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*, & 13. *Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori suæ gratiæ manu, nulla voluntas ei resistit*, & prop. 21. *Gratia Christi est gratia fortis, suprema, invincibilis*; ergo Quesnellio Bajo, Jansenioque cohæret.

CAPUT II.

De censuris latis adversum Bajum.

JANSENIANI, ne se prædamnatos in Bajo fateantur, hujus doctrinam neque a facultate Parisiensi proscriptam, neque Pii V. Greg. XIII. Urbani VIII. constitutionibus damnatam esse commenti sunt. Atque eorum Bullas, aut subreptitias esse, aut iis propositiones illas non perstringi in rigore, & proprio verborum sensu, vel denique errasse Pontifices criminantur. Sit itaque

PROPOSITIO I. Parisiensis facultas Bajanas assertiones reprobavit.

Prob. I. ex historicis Rainaldo ad an. 1561., Pallavicino l. 15. hist. Trid. c. 7. Seripando Card. O. N. qui in suis Comm. recitat eandem censuram theologorum Paris. II. Bajus ipse, non solum ea de re acriter questus est in ep. ad P. Antonium Sablonium, sed etiam notis apologeticis (a) censuram dispunxit. III. Fatentur Janseniani, extare in archivis Facultatis exemplar hujus censuræ, quæ nec casu, nec fraude in iis irrepsit, alias reclamasset

(a) *Inter ep. Seripandi*, ..

ſet S. Facultas. IV. Cum F. Petrus de Quercu, aliique Minores Bajanos articulos Facultati exhibuere, S. Facultas eos improbavit: vetuit enim an. 1644. ne auderet quiſpiam illos defendere, aut propugnare; ergo &c. V. Janſeniani, utpote rei, nullam fidem merentur, dum factum negant ſine tabulis, ſine teſtibus &c. ergo &c.

Propositio II. Conſtitutiones Pontificum adv. Bajum non ſunt ſubreptitiæ.

Prob. I. de Bulla Pii V. Cum enim Bajus edita apologia Pium V. exoraſſet, ut ea perlecta decerneret, an Bulla legitima habenda eſſet, an ſubreptitia? R. Pius: *Non ſine matura deliberatione editam fuiſſe, & curaſſe ut libri, ipſæ propoſitiones, & ſcripta apologetica novo & maturo examine expenderentur*, damnationem confirmavit, imponens Bajo ejuſque aſſeclis *perpetuum ſilentium*: ergo &c. II. Greg. XIII. Bullam Pii V. confirmavit, Urbanus autem VIII. utriuſque. Si ergo poſtrema hæc ſubreptitia non eſt, nec illæ erunt. III. Idipſum probat noſter Paludanus ex Brevibus, quæ Urbanus dedit ann. 1643. ad Belgii gubernatorem, ad Archiepiſcopum Mechlinienſem, alioſque Epiſcopos Belgas, nec non ex libello Lovanienſium ad Urbanum, quo mandavit Rom. Pontifex ut Bullæ exemplar cum originali collatum ad Lovanienſes dirigeretur; habet ergo hæc bulla *tot ſuæ veritatis publicos teſtes*, ait Paludanus, quot dictiones, ſillabas, apices: unde damnata eſt hæc propoſitio ab Alexandro VII. *Bulla Urbani VIII. in eminenti eſt ſubreptitia.*

Propositio III. In Bulla Pii V. aſſertiones Baji, in ſenſu ab auctore intento, vere & proprie proſcriptæ ſunt.

Prob. I. Contendunt enim Baji apologiſtæ, in Bulla Pii apponendum eſſe comma poſt verba illa, *ſuſtineri poſſent proprio verborum ſenſu*, non poſt ea verba *ſuſtineri poſſent*, adeoque in ſenſu rigoroſo ipſius Baji ejus propoſitiones *ſuſtineri poſſe.*

Atqui in archivo SS. Inquisitionis, ubi extat Bullæ autographum, comma illud apponitur post verba *sustineri possent*, ut testatur Card. de Lugo, qui die 26. Octob. ann. 1644. se virgulam illam post cit. verba inspexisse refert, & constat ex alio exemplari ad fidem archetypi excuso, & Lovanium delato per Toletum ann. 1580. item ex alio ann. 1644. per Sinnichium ad Lovanienses missum; ergo &c. Quæ itaque a Baji apologistis proferuntur exemplaria aut MS. aut cusa, cum autographo non concordant ex dictis, adeoque rejicienda sunt.

Prob. II. ubicumque comma fuerit affixum, si propositiones reprobantur hâc clausula, *quamquam aliquo pacto sustineri possent*, intelligitur, quod licet aliquo sensu veræ aut probabiles forent, in sensu tamen proprio & obvio, maxime si indefinite pronuncientur, universalibus æquivalent, & falsæ dici possunt, si tales sint aliquo sensu. Ita, licet hæc Jansenii propositio: *Interiori gratiæ numquam resistitur*, vera sit de gratia efficaci, cum tamen indefinite prolata sit, in sensu obvio ab auctore intento, qui communi Gratiæ vocabulo utitur, hæretica est, & damnata. Imo, licet communior sensus sit verax, ut cum dicitur: *Maria est Christipara*, quia tamen a proferente Nestorio usurpatur sensu non recto, ut significet, Mariam purum hominem peperisse, ab Ecclesia hæc propositio proscripta est; ergo licet Bajanæ propositiones in sensu obvio, & communiori veræ essent, quia tamen indefinitæ sunt, & sensum hæreticum pati possunt, merito proscriptæ sunt.

Prob. III. ex definitionibus Facultatis Lovan. & Duacen., quæ illas in sensu ab assertoribus intento proscriptas esse testantur in libro, qui inscribitur, *Æquitas censuræ*, tum ex Bajo ipso, qui tandem eos articulos improbavit *secundum Bullæ intentionem*, & *sicut Bulla damnat.*

Propositio IV. damnationi articulorum Baji nefas est refragari.

Prob.

Prob. I. Ideo enim huic damnationi refragari posse contendunt apologistæ, quia Bullam, ajunt nonnulli, ab universali ecclesia non fuisse acceptatam, atqui hæc ratio nulla est; ergo &c. Prob. min. I. enim Pontificia decreta Christi ac Petri auctoritate sancita vim non habent ab acceptatione populorum. II. Bullam hujusmodi maxima catholicorum pars, celeberrimæ universitates, & episcoporum conventus plurimi receperunt; ergo &c. III. Ideo tuentur refractarii proscriptas prop. quia easdem esse prædicant cum Augustini doctrinis: sed iis opponitur Augustinus, cujus doctrina a Rom. Pontificibus summopere commendatur, dum Bajus ab iisdem prosternitur; ergo &c. Deinde *doctrina catholicorum*, ut ait S. Th. *ab ecclesia auctoritatem habet, unde magis standum est ejus anctoritati, quam Augustini, vel Hieronymi &c.* Hinc S. P. Serm. 132. ait, caussam Pelagianorum finitam esse, quia a *Sede Apostolica rescripta venerunt* : sed in caussa Bajana plura inde rescripta venerunt; ergo &c.

Ob. I. In Bulla Urbani fit mentio libri Jansenii, atqui hic liber nondum fuerat Romam delatus ante nonas Martii ann. 1641. in quo Bulla data est, quæ nonnisi 13. Kal. Jul. 1643. publicata est; ergo est subreptitia. II. Testantur deputati Lovan. ab Urbano cautum fuisse, ne quis *expresso nomine sugillaretur*, atqui ibi nomen & liber Jansenii exprimitur; ergo &c. III. Urbanus intendit in sua Bulla confirmare Pii V. & Greg. XIII. constitutiones; cur ergo Jansenii librum adhuc sub prælo latentem in scenam prodere; ergo &c. IV. Ex interpositione commatis, atque ex Card. Granvellani epistolis, ac decreto Facultatis Lovan. constat, *posse nonnullas prop. aliquo pacto sustineri in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento*, quod etiam affirmat Ludov. Bail (a); ergo &c. V. Pius & Gregorius obscurissima decreta edidere, quæ varios sensus

(a) *De Benef. Crucis art. 2.*

ſenſus pati poſſunt; ergo &c. VI. Ea decreta Auguſtini doctrinam a R. Pont. firmatam eliminant; ergo &c. VII. Nec poteſt ex vaga illa proſcriptione dignoſci quænam ſint hæreticæ, quænam ſuſpectæ prop. ergo &c.

R. ad I. neg. min. Liber enim Janſenii editus eſt an. 1640. & Bulla Urbani an. 1641. pridie nonas Martii ab Incarnatione, ideſt an. 1642. juxta vulgarem computandi rationem: ita Bulla confirmationis Tridentinæ Synodi ad an. 1563. refertur, licet hæc abſoluta ſit an. 1564. Quod vero promulgatio Bullæ ad ann. proximum fuerit prorogata, id ex indulgentia Pontificis factum eſt, qui experiri voluit, an Janſeniani vellent aliquando reſipiſcere. Ad II. R. Deputatos Lovanien. locutos fuiſſe de doctrina, non de perſona, quam noluit Pontifex damnari, cum Bajus, & Janſenius Eccleſiæ judicio ſeſe ſponte ſubjecerint. Ad III. R. in ea confirmatione debuiſſe etiam Janſenii librum reprobari, in quo Baji errores innovantur. Ad IV. habes R. Prob. 1. & 2. Prop. 3. Ad V. neg. ant. Plures enim articuli iiſdem Baji verbis exprimuntur: in horum verborum ſenſu damnantur, & ita perpetuo abolentur. Ad VI. neg. ant. Conſtat enim, hanc meram eſſe calumniam ſuperiori cap. & c. 9. de H. P. (a) ſatis exploſam. Ad VII. neg. conſ. Ideo enim cuique non aptatur qualificatio, ut nullam quis audeat ſuſtinere. Ita a Martino V. & Leone X. Wicleſi & Lutheri articuli *in globo* ideſt communi notatione proſcripti ſunt. Adverbium *reſpective* ſignificat, quoſdam articulos, qui, ſi ſolitarie inſpiciantur, videntur probabiles, attenta connexione doctrinæ eſſe rejiciendos.

CA-

(a) *Apud Auctorem l.* 14.

CAPUT III.

De aliis Conſtitutionibus adverſus Janſenium, & Queſnellium.

PRÆTER ſupra memoratam Urbani VIII. Conſtitutionem, alias Conſtitutiones ediderunt data opera Rom. Pontifices, quibus Janſeniana cauſſa penitus finita eſt. Sit itaque

PROPOSITIO I. Innocentius X. & Alexander VII. Janſenianam hæreſim proſcripſere.

Prob. ex rebus geſtis. Cum enim Urbana Conſtitutione nulla cuique inureretur cenſura, quidam novitatis ſtudioſi Bajanos errores, quos Janſenius in ſuo libro expoſuerat, in ipſa Univerſitate Pariſienſi propugnare cœperunt: unde plures inſurrexerunt ſacræ Facultatis theologi, qui famoſas quinque propoſitiones notarunt, eaſque 85. Gallicani Præſules an. 1650. Innocentio exhibuere. Is pro illarum examine ſpecialem inſtituit Congregationem, ubi diſcuſſa per biennium controverſia, Innocentius X. Conſtitutionem emiſit, quæ incipit: *Cum occaſione*, ubi 5. Janſenii propoſitiones proſcriptæ ſunt. Hanc ut eluderent Janſeniani clamarunt, a ſe quoque rejici damnatas 5. propoſitiones, non tamen Janſenii ſenſum, qui ex ejus volumine expiſcandus erat, adeoque ad regulam critices exigenda eſſe decreta Rom. Pontificis, in rebus facti, errandi periculo obnoxii. Huic Novatorum effugio occurrens Rom. Pontifex Alexander VII. aliam edidit Conſtitutionem 16. Octobris 1656., qua non ſolum Conſtitutionem Innocentii confirmavit, verum etiam alia Conſtitutione an. 1664. formulam juramenti præſcripſit ab omnibus Eccleſiaſticis præſtandi, excerptas fuiſſe propoſitiones ex libro Janſenii, & in ſenſu ab auctore intento damnatas. Hanc Conſtitutionem Lud. XIV. ſua auctoritate firmavit.

Tum Janſeniani alii abnuentes in exilium abiere, alii Formulario ſimulate ſubſcripſere, rati, religioſum circa damnatas propoſitiones ſervandum eſſe

filentium. Exorta fubinde ea de re etiam per Belgium diffidia, opportune compefcuit Innoc. XII. die 6. Februarii ann. 1694. edita Conftitutione, qua declaravit, propofitiones ex libro Janfenii excerptas a fuis prædeceflforibus fuiffe damnatas in fenfu obvio, quem *ipfamet propofitionum verba præfeferunt*, vetans, ne quis invidiofo nomine Janfenifmi traduceretur, nifi legitime conftaret, aliquam ex his Prop. docuiffe. Quare doctrinam de gratia per fe efficaci Lovanienfes, Auguftiniani, Thomiftæ, aliique invicte propugnant, eamque tenuit, & commendavit Rom. Pont. Clem. XII. Imo Thomiftas a Janfenianis toto cælo diftare fcribunt Annatus, Dechampfius, aliique Moliniani.

PROPOSITIO II. Baji, Janfeniique errores a Quefnello renovatos Clem. XI. profligavit.

Prob. I. ex Prop. 3. c. 1., ubi errores Quefnellii recenfentur circa libertatem arbitrii, nec non ex Conftitutione Clem. XI., quæ incipit: *Unigenitus*, quæque illos errores n. 101. damnavit.

Prob. II. ex iis, quæ poft Bullæ editionem evenere. Ea enim annuntiata Univerfitati Colonienfi an. 1715. concordi doctorum approbatione recepta eft, theologicam cathedram moderante Nicolao Girchen cl. Ord. N. Scriptore. Eodem anno eidem fubfcripfere Lovanienfis Academia, & anno præcedenti Duacenfis. An. 1716. eandem excepit Univerfitas Salmanticenfis. In Italia vero, Germania, Hifpania, & Lufitania finguli eam probarunt. In Belgio etiam probarunt Epifcopi Namurci, Ruremundæ, Gandavi, Antuerpiæ, Tornaci &c. In Gallia 130. Epifcoporum mandata ea de re prodiere. Recepta tandem Clementina Conftitutio eft ab omni catholicorum ordine, paucis refractariis exceptis. Ex hac autem, aliifque Rom. Pont. Conftitutionibus nihil incommodi Auguftinianæ, aut Thomifticæ Scholæ emerfit: nam præter Benedictum XIII. earum tranquillitati confuluit Clem. XII. Brevi: *Apoftolicæ Providentiæ* die 2. Octobris 1733., quo

redar-

redarguuntur ii, qui etiam nunc contendunt Constitutione illa doctrinam SS. Augustini, & Thomæ esse perstrictam. Deinde vetat, ne *quis audeat notam aut censuram ullam Theologicam* scholis diversa sentientibus inurere (1).

CAPUT IV.

Quibus momentis Romani Pontificis judicium de factis dogmaticis infallibile demonstretur.

NOT. I. facta ista, quæ non doctrinam in se, sed ut prolatam ab homine, vel scriptis expressam attingunt, v. g., an Sabellius negaverit pluralitatem personarum in Deo? Facta hæc, inquam, alia personalia esse, alia dogmatica: illa personam tantum spectant, e. g., num Arius verbi divinitatem impugnaverit? Ista simul cum dogmate conjuncta sunt, e. g., Verbum non est homousion in sensu Sabellii. Sic in caussa Jansenii tria quæri possunt. I. An quinque Propositiones hæresim contineant? II. Num Jansenius earum sit auctor? III. An jure proscriptæ fuerint in sensu, quem præseferunt in libro Jansenii? Prima est quæstio juris, sive de puro dogmate: secunda est quæstio facti personalis; tertia est quæstio facti dogmatici.

Not. II. Romanum Pontificem, eique conjunctam Ecclesiam circa primam, idest circa dogma, errare non posse conveniunt nobiscum Janseniani. De secunda non agitur, nec quidpiam Ecclesiæ interest, an libri, qui *Augustinus* inscribitur, sit auctor Jansenius, an San-Ciranus, an alius quispiam? Dicimus tamen, Ecclesiam, dum vi indefectibilis luminis judicat, illum esse damnandum, hunc prohibendum, non falli, sicut nec fallitur Philosophus, dum ex gene-

(1) An huic decreto paruerit nuperus auctor Jansenismi redivivi, qui auctorem nostrum, ejusque libros de Th. disciplinis tot conviciis lacessivit, ipse viderit.

generalibus principiis, atque ex ideis rerum, abſque erroris periculo judicat, hunc eſſe hominem, illum lapidem. Ad facta dogmatica quod attinet dicimus, Romanum Pontificem abſque erroris periculo de iis pronuntiare, & definire poſſe: & librum, ex. g., Janſenii quinque propoſitiones continere, & eas hæreticas eſſe in ſenſu Janſenii, nempe ſecundum doctrinam ab eo traditam in libro qui *Auguſtinus* inſcribitur. Idem de Bajo, ac Queſnello judicium eſto. Sit itaque

Propositio. Judicium Romani Pontificis de factis dogmaticis nuper expoſitis eſſe infallibile pluribus momentis poteſt oſtendi.

Momentum I. Ex ſcripturis. Jo. 21. ait Chriſtus Petro: *Paſce oves meas*, atqui bonus paſtor debet, nedum herbas ab herbis ſecernere, ſed etiam gregem a noxiis paſcuis arcere; ergo Romanus Pontifex, cui dominici gregis cura commiſſa eſt, nedum *inter herbam & herbam* diſtinguere debet, ideſt inter dogma catholicum, & hæreticum, ſed etiam inter *pratum*, *&* *pratum*, ideſt inter librum & librum, ubi herbæ, ideſt dogmata continentur; ergo non ſolum definire poteſt, propoſitionem aliquam in ſe eſſe hæreticam, ſed talem eſſe, ut traditur in hoc, vel illo libro. II. Matth. 16. habetur: *Tu es Petrus &c. & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*, ideſt, nec vi perſecutionum, nec falſis dogmatibus, ſed ex hoc ſequitur, ſummum Paſtorem in definitione dogmatum falli non poſſe; ergo &c. III. Deut. 17. habetur: *Si ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris, venies ad ſacerdotes, & ad judicem, qui indicabunt tibi judicii veritatem:* atqui ea lex etiamnum viget, & ad perfectum Eccleſiæ regimen debet eſſe unus ac ſupremus judex; ergo, cum *ambiguum* judicium fuerit de quinque Janſenii propoſitionibus, & in Galliis, in Belgio, & ubique audiverimus *inter portas verba Judicum variari;* ventum eſt *ad judicem*, qui *fuit illo tempore* Innocentius X., Alexander VII.,

Inno-

Innocentius XII., & Clemens XI., quique propositiones illas damnarunt, & damnatas esse in sensu Jansenii declararunt; ergo *indicarunt judicii veritatem.*

R. Janseniani: Romanum Pontificem non esse legitimum hujus controversiæ judicem, sed universam Ecclesiam, ad quam jure ipsi appellarunt ad futurum nempe generale Concilium in causa Jansenii. Sed plane falluntur. I. Enim hæc ad futurum Concilium appellatio adversatur Ecclesiæ praxi. Ut enim Augustinus observat lib. ad Bonif. c. ult. rarissimæ hæreses extitere, quibus damnandis *congregatione Synodi* opus fuerit, Pelagianos enim damnavit Innocentius & Zosimus, Berengarium Leo IX., Gilbertum Porretanum Eugenius III., Bajum Pius V. & Urbanus VIII. Deinde hæc appellatio in caussa Jansenii, aut Quesnellii locum non habet: siquidem judicium Romani Pontificis circa Bajum, Jansenium, & Quesnellium, si paucos refractarios excipias, ab universa Ecclesia receptum est, ut supra ostendimus Cap. 2. & 3., atqui juxta recentiores Gallos non licet appellare a Pontifice, quando major Ecclesiarum pars accedit decretis Romani Pontificis; ergo &c.

Momentum II. Ex vetustissima Ecclesiæ praxi, quæ hæreticos damnavit, numquam quæstione facti a quæstione juris distincta. In Ephesino Concilio sess. 1. legitur: *Anathematizamus* Hæreses *Arii, Nestorii, Eunomii, & eorum, qui dicunt, carnem Christi fuisse e cælo.* Constantinop. primum imperavit Theodoreto, ut doctrinam, & Nestorium ipsum damnaret. Martinus V. statuit, non solum hæreses, sed personam quoque, ac libros Joannis Us & Wiclefi esse damnatos; ergo &c.

Momentum III. Ex factis dogmaticis Janseniano similibus. I. Enim, an in tribus Capitulis, idest in scriptis Theodori Mopsuesteni, Theodoreti, & Ibæ epistola contineatur hæresis Nestoriana, quæstio est facti dogmatici, de qua anceps fuit ipse

etiam Vigilius Papa; & tamen tria illa capitula damnata sunt a V. Synodo, a Vigilio ipso, a Pelagio, & Joanne III., ut Norisius ostendit. Atqui trium capitulorum damnatio non personas, excepto Mopsuesteno, directe spectat, sed doctrinam, ut constat ex can. 12., 13., 14; ergo a pari. II. In Synodo Lateranensi damnati sunt Cyrus, Sergius, Pyrrhus, *ex temerariis ipsorum scriptis*, & una *cum omnibus impiis* eorum *conscriptis*, *usque ad unum apicem* anathemate percussi sunt can. 18.; ergo &c. Vide Tournelyum de Eccl. q. 5. art. 53.

Momentum IV. Ex ratione. I. Rom. Pontifex infallibilis est in canonizatione SS. (1) atqui hæc est factum

---

(1) De Romani Pontificis infallibilitate circa SS. canonizationem egregie pertractavit immortalis mem. Bened. XIV. Tom. 1. Lib. 1. c. 42., 43., 44., præsertim vero cap. 45. Ubi productis pro negativa sententia testimoniis D. Thomæ, Cordubensis, Suaresii, Vasquez, Marchesii, Bannes, Salmanticensium &c., pro affirmante Verricello, Castellino, Arriaga, Tannero, Turriano, Valentia, a Castro, Card. a Lauræa, aliisque. Nec non utriusque partis momentis ad trutinam ravocatis, tandem concludit, utramque opinionem in sua probabilitate esse relinquendam, *usquequo Sedis Apostolicæ judicium accedat. Quia scimus quidem*, inquit, *de fide esse, quod sancti sunt colendi, ut definitum est in Conciliis generalibus C. P. I., Chalced., Nicæno II. & Trid. sess. 25. Scimus, sententiam a summo Pontifice in canonizatione Ss. prolatam esse definitivam, ad universam Ecclesiam pertinere, & errori esse non posse obnoxiam, ob specialem Spiritus S. afflatum; attamen, cum agatur de dogmate fidei statuendo, sedis Apostolicæ summique Pontificis judicium expectandum esse censemus. Eo magis cum tot viri docti, & Pontificiæ auctoritatis defensores, san-*

factum dogmaticum; ergo &c. maj. alibi ostendemus. Prob. min. Sicut enim dogma est, hanc propositionem esse hæreticam, factum vero dogmaticum, hanc hæresim hoc libro contineri, ita dogma est, sanctos cultu dignos esse post mortem, factum vero, hunc vel illum sanctum esse; ergo &c. II. Librum a Spiritu S. dictatum esse canonicum dogma est, & hunc librum, ex gr., Judith esse a Sp.

---

sanctorum quidem cultum inter fidei dogmata recensent, sed simul asserunt, de fide non esse hunc aut illum canonizatum esse sanctum. Fatentur sane corde & animo, obtemperandum esse sententiæ Papæ definienti, hunc aut illum esse sanctum, sed una sustinent, eandem definitionem non proxime, verum reductive tantum ad fidem spectare. Itaque ut tantæ quæstioni finem denique imponamus; si non hæreticum, temerarium tamen, in SS. injuriosum, faventem hæreticis negantibus auctoritatem Ecclesiæ in canonizatione sanctorum, sapientem hæresim, assertorem erroneæ propositionis, & gravissimis pœnis obnoxium dicemus eum, qui auderet asserere, Pontificem in hac aut illa canonizatione errasse; huncque, aut illum Sanctum ab eo canonizatum non esse cultu duliæ colendum, quemadmodum assentiuntur etiam illi, qui docent, de fide non esse, Papam esse infallibilem, in canonizatione Sanctorum, nec de fide esse hunc aut illum canonizatum esse sanctum. Profert deinde Sapientiss. Pontifex Cani sententiam de Loc. Theol. l. 5. c. 5., ubi ait, *qui fidem in his,* canonizationibus, *Ecclesiæ detrahunt, eos non hæreticos quidem, sed temerarios, impudentes, irreligiosos esse credimus.* Et Lamindi Pritanii l. 1. de Moder. Ingen. c. 17., ubi ait: *A suspicione hæresis non abesse, qui rite cœlitum catalogo adscriptos explodat, & in iis, ut ajunt, canonizandis Ecclesiam reipsa & Rom. Pontificem errasse dicat.* Addens, *suspicionem hæresis memoravi, non autem hæresim formalem.*

Sp. S. dictatum, est quæstio facti dogmatici, sed si in hac definienda Ecclesia errare posset, non potuisset Gelasius, aut Trid. Syn. Sess. 4. decernere, hunc librum esse Canonicum; ergo &c. R. Janseniani, decretum illud firmari veterum traditione. Bene habet. Atqui traditione etiam & scripturis constat, dari liberum arbitrium, ex quibus, oblato sibi Jansenii libro, potest R. Pont. judicare irrefragabili judicio, sparsam in libro ipso doctrinam esse libero arbitrio contrariam; ergo &c. III. Potest Ecclesia aliquam propositionem damnare ex obvio illius sensu; ergo potest etiam ex obvio illius sensu de doctrina alicujus libri judicium ferre. IV. Non minor esset occasio subversionis fidelium, si Ecclesia definiret falsam propositionem ut veram, ac esset, si hæreticum librum ut catholicum approbaret: ergo, sicuti per Jansenianos in primo casu Ecclesia non fallitur, ita nec in secundo. Confirmatur ex doctrina Cleri Gallicani, qui, cum in Ep. ad Innocent. X. data ann. 1650. ab Episcopis 35. declarasset, *majores caussas ad sedem Apostolicam referre solemnem esse Ecclesiæ morem*, rogavit, *ut firma de 5. Prop. sensu prolata sententia, Ecclesiæ tranquillitatem restitueret.* Damnatis vero 5. Prop. eodem modo ab Innocentio X. *hæresim Pelagianæ oppositam* esse damnatam, *ac olim Innocentius I. hæres. Pelagianam damnavit*, gratulatus est per epistolam datam ann. 1653. Insuper ad Pontificem scribens ann. 1654. declarat: *Propositiones illas esse Jansenii & S. sua damnatas disertis verbis. Quam enim novam doctrinam sub specie veteris inducebat* (Jansenius) *necesse fuit, ut Apostolica Sedes ex antiqua traditione refelleret.* Cumque Janseniani Innocentii rescriptum eludere tentarent celebri distinctione quæstionis juris & facti, Galli Episcopi Synodali Epistola ad Alexand. VII. declararunt: *Doctrinam Jansenii, quam opere suo ille explicavit, in propositionum confixarum materia, pontificia Constitutione fuisse damnatam.* Confirmatur II. ex ipso Jan-

Janſenio, qui c. 9. libri procemialis ait: *Quidquid ab iſta Petri Cathedra . . . præſcriptum fuerit, hoc teneo, quidquid damnatum damno*, atqui damnavit Eccleſia quinque propoſitiones; ergo &c. Confirmatur III. ex Arnaldi, Vallonii, aliorumque confeſſione, qui docent, quædam eſſe *facta, quæ ſpectant ad traditionem*, circa quæ Eccleſia eſt *immunis ab erroris periculo, quia dici non poteſt, hujuſmodi facta non eſſe revelata*, cum habeant cum perpetua traditione vinculum connexionis, atqui eſt in Eccleſia conſtans traditio circa libertatem, & gratiam, a qua num deflectat Janſenius debet agnoſcere Eccleſia magiſtra veritatis; ergo &c.

Ob. I. Rom. Pontificem in quæſt. facti errare poſſe tradunt Turrecremata, Bellarminus, Petavius, aliique ſcriptores; ergo, &c. R. diſt. ant. In quæſt. facti dogmatici, neg., facti perſonalis, ſubdiſt. In iis, in quibus crimen perſonæ tribuitur ex ſola hominum relatione, ut latroni ex depoſitione teſtium, conc., in quibus etiam naturalis evidentia locum habet, ut dum attente librum legens in eo video propoſitionem expreſſe conſcriptam, neg. Sicut enim judex evidentiam habet de latronis homicidio, ſi videat illum vulnera infligere, ita habet Eccleſia evidentiam, quinque propoſitiones eſſe in Janſenio, ſi librum viderit, aſſiduoque examine cribraverit. Deinde huic definitioni: 5. *Propoſitiones in ſenſu, quem habent damnato, exceptæ ſunt ex libro Janſenii*, non aſſentimur aſſenſu naturali, ſed fidei, ob hæreticum ſenſum iis hærentem, quem talem eſſe definit Eccleſia ex dogmate in talium verborum ſignificatione contento, quia ex eo libro derivatæ creduntur, nedum quoad verba, ſed etiam quoad ſenſum verbis expreſſum; ergo ad ſummum Eccleſia errare poſſet in facto hiſtorico, ideſt num liber a Janſenio conſcriptus ſit? Sed hoc ſupponit ex nomine auctoris; ergo &c.

Ob. II. Innocentius X., & Alexander VII. 5. pro-

propoſitiones damnarunt ex ſola relatione quorundam Epiſcoporum Galliæ; ergo erravit eccleſia errore facti. R. neg. ant. Nam poſt eam relationem diligentia adhibita eſt, *qua major deſiderari non poterat*, ait Alex. VII., ac libri Janſenii per biennium maturo examine luſtrati ſunt. Vide Prop. 1. c. 3.

Ob. III. Inveriſimile eſt, Rom. Pontifices Janſenii librum mole vaſtum potuiſſe ſcrutari: ergo &c. R. neg. ant. Non enim plura ſcripſit Janſenius, quam Aug., cujus doctrinam de gratia probat Eccleſia. 2. Janſenii ſenſus de arbitrio perempto ſponte erumpit. 3. Biennio opus Janſenii a Theologis diſcuſſum eſt, nec totum opus cenſura illa ſpectat, ſed 5. Propoſitiones.

Ob. IV. Janſenii ſenſus ex regulis critices eſt expiſcandus, non ſecus ac aliorum librorum; ergo &c. R. neg. ant. Ars enim critica regulas tradit ad judicandam germanitatem, ætatemque ſcriptorum, non veritatem & doctrinam. Illam enim ab eruditione ſcriptorum, hanc a Rom. Pontifice debemus exquirere.

Ob. V. Diſtinctio facti perſonalis, & dogmatici ſcholaſticorum commentum eſt, veteribus Theologis incompertum; ergo rejicienda eſt. R. I. neg. ant. Traditur enim in terminis a Clero Gallicano in libro *Relationum &c.* ante annos plures conſcripto. R. II. diſt. ant. Eſt incompertum quoad verba, conc. quoad rem, neg. Nam quovis Eccleſiæ ſæculo hæreticorum libri, eorumque doctrina proſcripta eſt. R. III. neg. conſ. Nam quævis hæreſis novas intulit quæſtiones & vocabula, quibus fides defenditur.

Ob. VI. *Factum* iſtud novum eſt, nempe ſæculi XVII.; ergo &c. R. diſt. maj. Novum eſt relate ad libri ſcriptionem, & prop. enunciationem, conc., relate ad fidei doctrinam, neg. Quælibet enim hæreſis eo ſenſu nova fuit, cum primum prodiit, ſed vetus etiam fuit, quia repugnans dogmatibus antiqui-

quiſſimis, ab Eccleſia implicite, vel explicite creditis jure proſcripta eſt.

Ob. VII. Vigilius Rom. Pontifex tria *Capitula* probavit, atqui hæc poſtea damnavit V. Synodus; ergo aut Vigilius, aut V. Syn. erravit circa factum dogmaticum. R. I. retorqueo argumentum. Judicium enim Rom. Pontificis & V. Synodi de tribus capitulis irrefragabile eſt, atqui illud verſatur circa factum dogmaticum; ergo Eccleſia eſt infallibilis in factis dogmaticis. R. II. neg. maj. Anceps quidem fuit Vigilius circa damnationem trium capitulorum veritus, ne contra definitionem Syn. Chalcedonenſis Theodoretus, & Ibas e ſedibus turbarentur, ad quas eos reſtituerat S. Synodus. Ubi vero Vigilio compertum fuit, a V. Synodo pronunciatum anathema contra ſcripta, non contra perſonas Ibæ, & Theodoreti, tum Vigilius Synodum ſimul, & trium capitulorum condemnationem confirmavit.

Ob. VIII. Sicuti olim inſtituta eſt quæſtio, an hæreſis Monothelitarum contineretur in Honorii Epiſtolis, ita & nunc quæritur, an ſenſus hæreticus 5. Prop. contineatur in libro Janſenii, atqui in 1. quæſtione erravit S. Synodus; ergo & in 2. Rom. Pontifex. R. I. Panvinius, Baronius, Binius, aliique acta VI. Synodi fuiſſe falſata, in quorum ſententia neg. min. Non enim VII. Synodus Honorio dixit anathema, id enim non prætermiſiſſet Theophanes, & Greg. Monachus, qui VI. Synodi acta excribentes hujus damnationis non meminere. R. II. neg. min. Nam VI. Synodus Honorium damnavit non ut hæreticum, ſed ut improvidum, quia fovendo amicitiam cum Sergio, hæreſi Monoth. quodammodo indulſerit. R. III. Turrecremata, VI. Synodum erraſſe errore facti, *ex falſis rumoribus*, non ex diligenti Epiſtolarum diſcuſſione. Nam in earum altera de duplici voluntate altum erat ſilentium, in alia hortatur Sergium Rom. Pontifex, ut devitet vocabuli novitatem, neutra ergo ſen-

ſenſum Honorii potuit demonſtrare, unde ſequitur ad ſummum errare potuiſſe Eccleſiam in facto Janſenii, ſi judicium pronunciaſſet ex ſola quorundam Epiſcoporum relatione, quo caſu *factum hiſtoricum eſſet, non dogmaticum.*

Ob. IX. Hæc locutio: *Quinque propoſitiones hæreticæ damnatæ ſunt in ſenſu Janſenii*, his æquivalet: *quinque propoſitiones ſunt hæreticæ*, & *quinque propoſitiones ſunt in libro Janſenii*, quarum prior eſt purum dogma, altera purum factum; ergo judicium de ſecunda incertum eſt, etiam prout primæ conjungitur, quidquid enim de ſe dubium eſt, ubicumque ponatur, dubium eſt.

R. neg. conſ. I. enim etiam de puro facto, quod non pendet ab hominum relatione, quale eſt, in hoc libro, quem omnes legere poſſunt, contineri hæreticam propoſitionem, eſt infallibile judicium Romani Pontificis, maxime ſi proponatur fidelibus credendum, aut jurandum: deinde, licet factum certo definiri non poſſet ſolitarie & diviſim, poteſt tamen, ſi cum dogmate conjugatur, ut ſi dicam: *Chriſtus non eſt Deus & homo, in ſenſu Neſtorii*, hæc Prop. æquivalet his duabus: *Chriſtus non eſt Deus homo*, & *Chriſtum eſſe Deum hominem negavit Neſtorius*, ſed, quia prior propoſitio dogma fidei eſt, ſecundum doctrinam Neſtorii, non debet utraque ſolitarie accipi, ſed conjunctim, & hoc pacto eſt dogma ab Eccleſia proſcriptum.

Quæres: quid ſentiendum ſit de *obſequioſi ſilentii* defenſoribus, de iis nempe, qui formulario ſubſcribunt ſimulatione, & hypocriſi? R. Eos deteſtabili perjurii crimine ſe ſe obſtringere, ac jure ab Arnaldo ipſo reprehendi. Hi quippe errorem obtendunt ex falſa opinione, quod Eccleſia in cauſſa Janſeniana erraverit errore facti, atqui hoc ex dictis falſum eſt; ergo &c. Deinde Alexander VII. veram & totalem obedientiam requirit, omnem reſtrictionem vetans; ergo perjurii crimine ſe ſe obſtrin-

ſtringunt, qui *obſequioſo ſilentio Formulario* ſimulate ſubſcribunt.

DISSERTATIO II.

De Janſeniano dogmate.

PROSCRIPTÆ hæreſeos characteres hoc loco inveſtigabimus, tum ab ea toto cælo diſtare Auguſtinianum de divina gratia ſyſtema, & quinque Janſenii propoſitiones jure ab Eccleſia proſcriptas eſſe demonſtrabimus (1).

CAPUT I.

De Janſenianis principiis, ejuſque hæreſeos notis, & characteribus.

CENSET Honoratus Tournely de gratia Chriſti p. 242. delectationem ſuperiorem, ſeu relative victricem eſſe Janſeniani ſyſtematis baſim, ac fundamentum, ex quo, veluti e fonte, famoſas quinque propoſitiones damnaſſe ſcribit anonymus auctor Janſeniſmi redivivi part. I. Janſ. ſyſtem. Quæ opinio vera eſt, ſi intelligatur juxta principium alterum Janſenianæ doctrinæ, quod nempe hæc ſuperior delectatio *antecedentem* neceſſitatem imponat, hoc enim ſenſu hæreticum dogma eſt, propriumque Janſenianæ hæreſeos principium. Si autem ſaniori ſenſu accipiatur, quod nempe voluntas delectatione trahatur, ſalva tamen liberrima illius poteſtate ad utrumque, falſa eſt, & Auguſtino, atque Angelico adverſatur, qui docent, animum voluptate, ac delectatione trahi ad opus quodcum-

(1) Quæ infra ex cl. auctore ſubjicimus, non ex libris de Theologicis diſciplinis, ſed ex ejus Auguſtiniano Syſt. vindicato magna ex parte ſunt a nobis excerpta, ut ſcias, hoc opus præſertim tibi eſſe conſulendum, ſi quid a nobis hoc loco minus perſpicue fuerit expoſitum.

que. Hanc autem delectationem & victricem esse, & gradus habere suos lib. 14. cum auctore docuimus, atque ab iniqua Janseniani erroris calumnia vindicavimus. Alii proinde statuendi sunt proscriptæ hæreseos characteres & notæ, quam quæ ab illis scriptoribus proferuntur, quos jure conqueritur cl. Berti diss. 4. syst. vind., Catholicorum sententias permiscuisse damnatis, eosque in Catholicos simul, atque heterodoxos tela vibrasse. Sit itaque

PROPOSITIO I. Janseniana hæresis in eo sita est, quod in hoc statu nullam agnoscat libertatem indifferentiæ, neque aliam gratiam, præter efficacem admittat.

Prob. I. pars innumeris Jansenii locis. Nam lib. 6. de gratia c. 6. ait, ex Augustino *necessitatem illam, quæ vis quædam est, & coactio, repugnare libertati, non autem illam necessitatem, quæ est simul voluntaria, qua simpliciter necesse est aliquid fieri, non repugnante, sed immutabiliter volente voluntate.* Unde infert c. 7. *quod sola necessitas coactionis adimat libertatem*, ea vero, *qua sine coactione aliquid necessarium esse dicitur, libertatem non lædat, sed statuat.* Quod probat c. 7. duobus exemplis I. *ex voluntate beatitudinis, quæ in hac vita caret indifferentia contrarietatis, in futura etiam contradictionis.* II. ex voluntate justitiæ, quam habet Deus, quam certissimum est, esse ad justitiam omnimode determinatam, & indifferentia carere contradictionis. Id etiam confirmat c. 8. ex libertate beatorum, qui *inamissibiliter*, & inseparabiliter amant *justitiam*, & tamen sunt in amando liberrimi. Ex quo infert, *paradoxum in Augustini doctrina esse, quod actus aliquis* liber *sit, quia ab illo desistere voluntas, & non agere potest.* Et c. 9. idem adstruere nititur ex libertate Christi, qui liberrimus erat, *licet in contrarium immutari non posset*, eumque præcepto Patris obtemperasse, ea tantum libertate, quæ coactionem excludit, Augustinum vero nullibi docuis-

docuisse, *quod libertas arbitrii in indifferentia collocanda sit.* Porro victricem delectationem idcirco non officere libertati contendit l. 7. c. 3. quoniam, si voluntatem inspirat & efficit, facit etiam ut libere velit, cum nihil aliud sit libertas, quam voluntas. *Cum enim hoc sit liberum Augustino, quod fit cum volumus, necessarium est, illud ipsum etiam caussam esse libertatis:* ideoque *libertati arbitrii solam necessitatem coactionis esse contrariam, omnemque actum voluntarium hoc ipsum esse liberum.* His principiis innixus rejicit Jansenius scholarum opinionem docentium, libertatem in mediorum electione consistere. Atque ex ea Augustini doctrinam funditus everti, pietatem, & communem sensum offendi asseverat. Ex quibus constat, Jansenium solam libertatem lubentiæ agnovisse, ac libertatem indifferentiæ tamquam paradoxum, ac Pelagianum commentum penitus rejecisse; ergo &c.

Prob. II. pars. Quod nempe gratiam nullam agnoverit Jansenius ab efficaci distinctam; Jansenius enim l. 3. de gratia c. 1. ait: *sufficientem illam gratiam, quam scholastici in theologiam intulerunt, ab Augustino funditus eversam*, a Semipelagianis esse confictam, eamque *inutilem* appellat, ac *perniciosam:* neque apparere in ejus collatione *effusam Dei bonitatem*, *sed summam potius severitatem ejus* existimat. Item c. 2. l. 3. & c. 27. non aliam agnoscit Christi gratiam medicinalem, præter *efficacem*, ac *potentissimam*, quod etiam constat ex secunda Jansenii propositione: *Interiori gratiæ nunquam resistitur in statu naturæ lapsæ*, qua omnis gratia sufficiens penitus eliminatur.

Prob. II. auctoritate Theologorum, qui Jansenianam hæresim impugnarunt. I. Enim e Soc. Jesu Stephanus Dechampsius disp. 3. c. 1. num. 3. ait: *Jansenianæ doctrinæ capita esse duo*, primum quod libertatem indifferentiæ creaturæ dumtaxat innocenti tribuerit, secundum quod Jansenius docuerit, non esse Christi gratiam, *cui voluntas assentiatur ut*

 velit,

velit, & non assentiatur si nolit. II. Idem docent ex Ordine Prædicatorum Massoulieus Tom. 2. p. 362. Em. Gotti Tom. IX. pag. 5. III. Ex nostratibus Van-Vaureus in Augustin. Europ. &c. Accedit judicium Cardinalis Rothomagensis, qui in Ep. ad auctorem Parisiis data an. 1739. eidem subscribit *in eo, quod Jansenianam hæresim in gratia, & cupiditate vicissim necessitante statuerit, quod nempe docuerit Jansenius, sub actuali gratiæ & concupiscentiæ impressione nullam habere hominem potentiam ad oppositum.*

Prob. III. ex collatione Jansenianæ doctrinæ cum Calviniana. Calvinus enim l. 1. Inst. c. 15. & alibi, non aliam libertatem agnovit, quam quæ opponitur coactioni, ut pluribus ostendit Annatus. Et l. 2. Inst. & alibi, sufficientem gratiam prout ab efficaci distinctam insectatur, ut probat l. 1. disp. 8. Dechampsius. Sudarunt propterea Janseniani, ut suam a Calvino discrepantiam circa illa duo capita suaderent, ut constat ex *Parallelo S. Augustini, Jansenii, Calvini*, ubi nulla est Jansenianæ cum Calviniana doctrina comparatio, nisi circa gratiam semper efficacem, & libertatem a coactione.

Ob. I. Cum Tournelyo, & Anonymo: Jansenius in eo erravit, quod gratiam statuerit in delectatione relative, & per gradus victrici (1), ut constat ex pluribus Jansenii locis, apud eosdem; ergo &c.

R. dist.

(1 Præceps & immoderatum horum scriptorum judicium aperte refellitur non solum a Clericis Regularibus S. Pauli in Thesibus anno elapso 1766. in eorum Romano Collegio S. Caroli ad Catinarios tanta cum laude propugnatis, sed ab ipsis etiam Incl. S. J. Theologis in aliis Thesibus eodem anno 1766. Romæ habitis, ubi systema istud a Vasquesio inventum, atque a Suaresio, *nulla tamen inusta Theologica censura refutatum* esse defendunt. Vid. not. pag. 84.

R. dist. ant. Erravit Jansenius, quod gratiam statuerit in delectatione victrici, quæ necessitatem imponit, & voluntatem ineluctabiliter trahit, conc. in delectatione victrici, quæ effectum producit quidem infallibiliter, sed potentiam relinquit ad oppositum, neg. Hæc enim plurium Catholicorum sententia est, quam tuentur, præter Norisium, atque nostrates, Thomistæ complures, inter quos Lemos, Gonzalez, Reginaldus, Massoulieus &c. Ex Scotistis Macedo, & Em. de Laurea. Ex ipsa etiam S. J. viri clarissimi Suaresius, & Bellarminus, qui l. 1. de Gratia & lib. arb. c. 10. docet, Deum homines trahere *inspiratione, qualem scit aptam esse, ut ab iis non respuatur*; ergo per Bellarminum hæc gratia in iisdem est victrix relative: vincit enim contrariam cupiditatem, efficitque ut vocantem non respuat. Vide Auct. diss. 4. c. 1. Syst. Vind.

Ob. II. Cum eodem Anonymo. *Juxta Jansenium in conflictu duarum delectationum, ab illa, quæ prævalet, semper trahitur voluntatis assensus.* In eo enim Systemate, *si duæ delectationes oppositæ atque ejusdem ponderis contranitantur, sequitur, voluntatem hærere suspensam*; ergo &c.

R. dist. ant. *Juxta Jansenium* &c. semper trahitur voluntatis assensus *ineluctabili* necessitate, & cum interitu libertatis, conc. secus, neg. Non enim in eo erravit Jansenius, quod dixerit, voluntatem id sequi, quod magis delectat, id enim cum D. Thoma Theologi, ac Philosophi docent propemodum universi: in eo ergo erravit, quod voluntatem trahi dixerit inevitabili necessitate, neque oppositarum delectationum, & voluntatum conflictum sopiri posse, nisi alterutra prævaleat, & necessitate trahatur, ut Jansenius docet l. 4. de Gr. c. 10. ubi ait, in hoc infirmitatis statu periisse libertatis indifferentiam, & *immani delectationum pondere voluntatem ita captivam teneri, ut neque libeat,*

neque velit, neque possit, neque sciat surgere. Vide auctorem loc. cit. §. 8. n. 6. & 7.

Ob. III. Janseniani gratiam sufficientem non absolute rejiciunt, sed tantum in sensu Moliniano, atqui etiam Thomistæ gratiam sufficientem hoc sensu rejiciunt; ergo non est hæc nota erroris Janseniani. Prob. maj. Nam Jansenistæ admittunt gratiam, quæ producit parvam, & invalidam voluntatem, cujus respectu gratia est efficax, & cum Medistis negant, illam sufficere ad servanda præcepta, ad hoc enim requiritur alia gratia tribuens voluntatem magnam & robustam; ergo &c.

R. neg. maj. Gratia enim Molinistice sufficiens, & a nobis, & a Thomistis merito rejicitur, non tamen in sensu Jansenii, quasi gratia illa Pelagiana sit, quia tali gratiæ potest voluntas resistere, aut quasi nullam habeat Christi gratiam, qui non habet victricem delectationem, qua vigente carnalis cupiditas prævalere non possit. Sed dicimus, Molinistas, & Catholicos omnes recte cum gratia potestatem reluctandi defendere; quamvis per nos ad ponendum actum requiratur auxilium suapte natura efficax, cum quo persistit potentia ad oppositum, quod Jansenius negans damnatur merito a Theologis omnibus, sive Moliniani sint, sive Thomistæ. Ad prob. dist. ant. Jansenistæ admittunt gratiam, quæ producit parvam & invalidam voluntatem, itaut sub gratia parva, premente perversa cupiditate, nulla sit potentia recte operandi, & sub gratia magna nulla peccandi potestas, conc. itaut sub utraque vera potentia remaneat ad oppositum, neg. Merito ergo exploditur gratia parva Jansenii communi Catholicorum consensione.

CAPUT II.

Ostenditur Augustinianum de gratia systema a Janseniano esse alienum.

TRIA sunt, quæ in Augustiniano systemate adversarii criminantur. I. Quod gratiam dicamus

mus esse mentis illustrationem, & inspirationem caritatis, sed magis in delectatione, quam in illuminatione consistere. II. Quod gratiam efficacem dicamus esse victricem delectationem, quæ superat contrariam cupiditatem. III. Quod delectationem non esse eandem in omnibus statuamus, sed modo efficacem, modo inefficacem, & habere gratiam gradus suos. Neque enim vitio vertunt adversarii, quod efficacem gratiam ab intrinseco in hoc statu, aut versatilem in statu naturæ innocentis admittamus. Singula distinctis propositionibus vindicabimus. Sit itaque

Propositio I. Sententia, quæ docet, gratiam actualem esse mentis illustrationem, & inspirationem caritatis, sed magis in delectatione consistere, a Janseniano errore est aliena.

Prob. I. pars ab auctore l. 12. c. 7. pluribus argumentis, quorum ne unum quidem solvit Anonymus, adeoque cuncta in suo robore perseverant. Vid. loc. cit., ubi ex definitione gratiæ ab Augustino deprompta, idest *inspiratio sanctæ dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus*, lis tota dirimitur.

Prob. II. ex auctoritate scriptorum Petavii, de Lauræa, Macedo, Dechamps &c. qui communiter docent, gratiam, quam adversus Pelagianos propugnavit Augustinus, *mentis illustrationem, atque inspirationem amoris* complecti, hinc Petavius de hær. Pel. c. 8. n. 7. ait, per Augustinum, præter *mentis illustrationem, alterum gratiæ genus* esse situm *in dilectione*, ac *suavitate dilectionis, quam Deus inspirat*, quod pluribus Augustini testimoniis confirmat. Accedit Laurentius Alticotius S. J., qui in summa August. quæst. præambula ait: *Dicendum, quod ex Aug. actualis gratia præveniens sita est in utrisque actibus animæ. Reapse S. P. l. 2. de pecc. mer. 19., hæc habet de utraque gratia, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat, quod latebat & suave fiat, quod non delectabat? Ut autem*

 inno-

innotefcat, quod latebat, & fuave fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei eft; ergo S. Auguftino actualis gratia præveniens & exercendi operis jufti tum fcientia, tum delectatio: ita Alticotius. Cum ergo prior hæc propofitio nil aliud contineat, quam aliorum Theologorum fententiam, atque iifdem Auguftini teftimoniis innixa fit, qui eam carpit, Theologos præclariffimos carpit, ipfumque Auguftinum.

Dices: præter delectationem, & caritatem dari alia bonorum operum principia, adeoque Auguftinum caritatem commemoraffe, utpote ufitatiorem, & communiorem, fed alias gratiæ motiones non exclufiffe; ergo &c. R. neg. conf. Non enim caritatis nomine intelligimus infpirationem amoris benevoli, fed bonam voluntatem, quæ omnes actus falutares præcedit, idque in fenfu Auguftini, qui l. 8. de Trin. c. 10. ait: *Caritas dicitur voluntas bona.* Vid. diff. 4. c. 1.

Propositio II. A Janfeniano errore eft etiam immunis fententia quæ docet, gratiam efficacem effe victricem delectationem, & caritatem, quæ fuperat contrariam cupiditatem.

Prob. I. innumeris Auguftini teftimoniis ab auct. productis T. 3. de Theol. difc. p. 149. quæ omnia Anonymus filentio præterit. Ut illud ex l. de Cor. 9. *Secunda* (gratia) *plus poteft, qua etiam fit, ut velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupifcentem voluntate fpiritus vincat.* Vid. auct. loc. citato.

Prob. II. auctoritate Theologorum, cujufque Ordinis 1. Moliniftarum, quorum alii gratiam primi hominis in illuftratione mentis, alii vero in delectatione repugnantes animos demulcente, conftituunt. Ita Dechampfius, poftquam docuit, nullibi ab Auguftino gratiam primi hominis *caritatem, five delectationem appellari*, ait l. 3. de H. Janf. c. 19. *Auguftinum in hoc ftatu, præter cæleftem illuminationem, requirere gratiam actualem voluntati impreffam, eamque interiori fuavitate demulcentem.*

Cum

Cum ergo gratia *medicinalis* ex Dechampſio ſit *jucunditas*, *ſuavitas*, *delectatio*, *caritas &c.* erit ergo gratia efficax jucunditas efficax, ſuavitas, delectatio, caritas efficax; qua ſane, cum non indiguerit creatura innocens, utpote ſana, indiget in hoc ſtatu creatura infirma; ergo &c. *Victricem delectationem* nobiſcum fatentur Suareſius, Vaſquez, aliique Congruiſtæ, licet non conveniant de modo, quo efficax dici debeat, num ex præſcientia conditionata, num ex abſoluta prædefinitione. Ubi notat Vaſqueſius, gratiam ab Auguſtino dici *victricem delectationem*, *eo quod vincat voluntatem*, *ſuperatis omnibus difficultatibus*; agnoſcunt ergo Congruiſtæ cum Auguſtino *victricem delectationem*, quam nobis vitio vertit Anonymus.

II. Thomiſtarum, qui, licet non conveniant an gratia ſit qualitas, aut motus indeliberatus, in eo tamen conveniunt, quod gratia efficax contrariam cupiditatem vincat, a nullo duro corde reſpuatur, atque operetur velle, & perficere, unde Maſſoulieus obſervat diſſ. 2. de Lib. q. 6., *frequentiſſimam eſſe apud Aug. eam phraſim, gratiam eſſe victricem delectationem, qua voluntas illecta, ſponte trahentem gratiam ſequatur:* eaque divina motione non lædi, ſed perfici libertatem, atque Auguſtini de victrici delectatione ſententiam, cum ſeverioris Theologiæ Thomiſticæ principiis adamuſſim convenire. Ubi nota: opus Maſſouliei a pluribus Theologis commendatum, peculiari Inquiſitorum licentia fuiſſe probatum.

Accedit Reginaldus, qui in lib. de Mente Conc. Trident. part. 1. c. 25. ait, ab Auguſtino *his verbis hanc gratiam circumſcribi: quæ eſt victrix delectatio ſupra ipſum liberum arbitrium, ſic dicta ab effectu, quia ejus vincit duritiam & reniſum, qua Deus operatur in homine ipſum velle occultiſſima, & efficaciſſima poteſtate, qua homines fiunt ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes &c., quæ flectit & inclinat voluntates, quas vult, cum*

 vult,

vult, & ubi vult &c. ergo, per Aug. victrix delectatio superat cordis duritiem, & contrariam concupiscentiam.

III. Adstipulantur Scotistæ. Nam Em. de Lauræa opusc. 3. ait: *Docet Augustinus, quomodo Deus per gratiam suam faciat nos operari bonum dando menti tam cœlestem delectationem, qua omnis terrena delectatio superetur.* Idem docet Macedo, qui in Cortina p. 20. ait, *efficacia gratiæ in propria virtute intrinseca ipsius gratiæ victricis sita est, cujus victoria in delectatione & suavitate consistit, opponitur suggestui & motui concupiscentiæ.*

IV. Consentiunt tum Augustiniani theologi, Gavardi (*a*), Piette (*b*), Clenaerts (*c*), nec non Van-Vauræus, Girken, & Norisius, de quo infra.

Propositio III. Sententia docens, sanctam delectationem gradus habere, ab errore Janseniano est immunis.

Prob. hæc Thesis a nobis pluribus Augustini ac rationum momentis, l. 14. diss. 2. c. 2. Prop. 3., & 4., quæ vide loco cit. Hinc Norisius in Calumnia sublata c. 3. ait: *Jam vero adjutorio sine quo non movetur voluntas ad eliciendos actus debiles, nempe desideria, conatus, orationes minus fervidas pro adimplendis mandatis, in ordine ad quorum executionem adjutorium sine quo non est tantum auxilium remotum, impetratorium tamen auxilii quo, sive gratiæ efficacis, atque victricis, qua sola mandata reapse implentur. Aug.* l. de Gr. & arb. 17. *scribit: Qui vult ergo facere Dei mandatum & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam: illa bona voluntas est ab adjutorio sine quo, non quo desiderium præcepti implendi excitatur, qui tamen motus est invalidus, nisi adjutorio quo roboretur;* constat ergo ex Augustino ac Norisio, gratiam modo parvam & invalidam,

(a) *Q. 2. de Gr. a. 1.* (b) *P. 3. c. 2.*
(c) *Cap. 2.*

dam, modo robustam & flagrantissimam caritatem inspirare; habet ergo gradus suos.

Idem docet Macedo in Scrinio c. 7., ubi ait: *Constat esse in nobis parvas quasdam, & infirmas voluntates bonas, quæ præsertim in peccatoribus inveniuntur, ac eorum pulsant voluntates, sed non movent efficaciter, quod est ipsum adjutorium sine quo non, cujus in hoc statu virtus est imminuta ratione naturæ corruptæ:* admittunt ergo *inefficacem* gratiam, atque gradus in eadem gratia Macedo, atque Norisius, quos frustra Jansenianis quis accenseret; ergo &c.

Ob. I. Augustinenses gratiæ efficaciam in delectatione relativa, non in absoluta constituunt. II. In delectatione inferioris gradus negant potentiam proxime expeditam, adeoque eorum *gratia inefficax* non est *sufficiens*, neque Molinistico sensu, neque Thomistico. III. Sufficientem gratiam e medio tollunt, quam proinde inefficacem vocant, non sufficientem; ergo &c.

R. neg. ant. Quod enim gratia constituatur in delectatione victrici *relative*, quæ robustioris caritatis gradu superet carnis concupiscentiam, orthodoxi plurimi, Norisius, Macedo, aliique viri Catholici docuere (*a*). Idem docuere etiam ex Thomistis cl. Gonzalez, qui 1. part. disp. 58. sect. 2. ait: *Non est verum, quod gratia, quæ aliquando est efficax, debeat esse efficax semper, & in quocumque supposito æqualiter tentato.* Hanc vero sententiam esse plurium Thomistarum docet Gravesonius diss. 16. de Myst. & annis Christi, ubi ait: *alii Thomistæ, qui volunt gratiam efficacem non distingui natura sua a gratia sufficiente, sed tantum penes intensionem graduum efficaciæ, quibus superat gradus malitiæ, docent illi Thomistæ in solius hominis culpa esse, quod gratia seipsa efficaci privetur...* *erit-*

(a) *Apud auct. Syst. vind. diss.* 4. c. 1. §. 2.

eritque gratia tantum ſufficiens, & inefficax, non quidem ex defectu ſui, ſed ex defectu voluntatis, quæ obſtinatione ſua magis obſiſtit, perinde ac, ſi lignum ignis non comburat, id non oritur ex parte ignis, ſed ex parte ligni, quod humiditate efficaciæ & vi ignis obſiſtit. Idem ſenſit Maſſoulieus quæſt. 6., eamque ſententiam cum communi S. Thomæ diſcipulorum ſententia convenire ſcribit, docens, *varios eſſe obſtinationis, & reſiſtentiæ gradus, varios item gradus divinæ gratiæ ac motionis:* unde infert, ea ratione efficacem & ſufficientem gratiam diſtingui, *ut efficax major ſit, ſufficiens minor, quæ reſiſtentiam voluntatis omnino non vincat.* Atque hanc ſententiam quam communi Thomiſticæ ſcholæ ſententiæ cohærere ſcribit, pluribus Angelici doctoris, aliiſque momentis confirmat, quæ fuſius proſequitur auctor loc. cit. Adde, Congruiſtas docere gratiam ſufficientem reddi efficacem, ſi conferatur in tali congruitate loci, temporis &c.; eſt ergo efficax relate ad ſubjecti diſpoſitiones, non abſolute etiam per Congruiſtas.

Ad II. prob. neg. ant. Demonſtrat enim Noriſius in *Calumnia ſublata* ex Suareſio l. 4. de Gr. c. 4., *auxilium illud, quod ſupponitur actu datum, eſſe proxime ſufficiens ad illam priorem diſpoſitionem, & reſpectu ulterioris actus eſſe tantum remote ſufficiens:* quod probat ex Auguſtino aliiſque Theologis, concludens: *Tranſgreſſorem legis reum eſſe peccati, licet caruerit gratia proxime ſufficienti, qua poſſet exequi mandatum.* Ea vero gratia etiam juſtos aliquando privari ex eodem Suareſio, ac Baſilio Poncio demonſtrat, iiſque orandum eſſe, ne tentationi ſuccumbant, hunc ſyllogiſmum conficiens: *Qui non habet potentiam proximam obſervandi præcepti, habet privationem auxilii proxime ſufficientis, ſed juſtus quandoque non orans non habet potentiam proximam obſervandi præcepti;* ergo &c. Idem probat ex PP. Africanis, atque ex aliis Auguſtini locis dicens, ab eo negari *homini-*

bus lapsis, qui cum effectu non perseverant, in pœnam peccati. Constat ergo, illud tantum per Suaresium, & Norisium esse auxilium proxime sufficiens, quod est efficax, ideſt effectum consequitur, adeoque viros hosce doctissimos insimulare, qui nostram sententiam Janseniani erroris insimulant. Laudat etiam Norisius pro sua sententia Macedo, Alvarez, Bellarminum, quorum testimonia fuse producit cl. auctor, ut ostendat, & recte a Norisio laudatos, & assertum illud: *Gratia sufficiens, prout ab efficaci distinguitur, non dat potentiam completam, & proxime expeditam*, imperite vellicatum a nonnullis tamquam Jansenianum.

Ad III. neg. ant. Gratiam enim sufficientem Thomistico sensu, attenta vi grammaticalis significationis, potius inefficacem esse appellandam, & *minus concrue vocari sufficientem*, doctissimi Thomistæ arbitrantur, teste Gonzalez, quorum sententia probatur a Medistis omnibus, item a Tournelyo, Norisio, Cumel, Lauræa, Macedo, Poncio, & Facultate Lovaniensi (*a*), quorum loca profert cl. auctor diss. 4. Syst. vind. c. 1.

CAPUT III.

De quinque Jansenii propositionibus.

QUINQUE propositiones Jansenianas *vel in libro Jansenii non reperiri, vel non in sensu ab eodem intento damnatas* quidam filii iniquitatis ex Brevi Alexandri VII. asserere non dubitarunt. Iis itaque revincendis proscriptas quinque propositiones Jansenii in ejus libro extare primo loco ostendemus. II. Eas ab Ecclesia jure proscriptas esse. III. Ab Augustini, ejusque discipulorum doctrina prorsus alienas demonstrabimus. Sit itaque

PROPOSITIO I. Affirmavit Jansenius: aliqua Dei præ-

(a) *Ap. Auct. diss. 4. Syst. vind. c. 1.*

præcepta hominibus justis esse impossibilia &c. Augustinus tamen, ejusque discipuli oppositum docent.

Prob. I. pars. Jansenius enim l. 3. de Gr. Christi c. 13. huic argumento: tam justis quam obcæcatis imponitur præceptum, quod si violetur peccant; ergo habent gratiam sufficientem, respondet, neg. cons. Quia sunt quædam præcepta, *quæ secundum statum, & vires sunt impossibilia, nec semper adest gratia, qua possimus.* Addit: *hanc impotentiam esse etiam in fidelibus & justis, etiam quando volunt præcepta facere.* Tandem concludit: *Nihil esse in doctrina Augustini certius, quam esse præcepta quædam, quæ fidelibus quoque, & justis volentibus & conantibus, secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deesse quoque gratiam, qua possibilia fiant*; ergo prima Propositio expressissimis verbis continetur in libro Jansenii, cui titulus *Augustinus.* Merito ergo damnata est hæc prior propositio tamquam temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata, & hæretica. Adversatur enim sacris literis, quæ jugum Domini *suave* prædicant, *& onus leve.* Adversatur Tridentinæ Syn., quæ vetat dicere, Dei mandata esse ad observandum impossibilia. II. Divinam legem exosam reddit, Deumque infidelem facit, & mendacem, contra ac scribit Apostolus: *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* III. Est anathemate damnata, & hæretica, utpote definitionibus Ecclesiæ Conciliorum, ac Summorum Pontificum contraria ac repugnans; ergo &c.

Prob. II. pars. Nam S. P. Serm. 191. de temp. ait: *Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt, impossibile aliquid a Deo esse præceptum.* Et de Nat. Gr. *Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* Et Ps. 145. *Non enim deseret opus suum, si ab opere suo non deseratur.* Et l. 4. Conf. ait: *Te nemo amittit, nisi qui dimittit.* Atqui per Jansenium

nium Deus ſubtrahit gratiam antequam deſeratur; ergo &c.

Prob. III. pars. Docent enim Auguſtinenſes, impoſſibilia non eſſe divina præcepta infidelibus & obduratis, licet gratia ſufficienti deſtitutis; ergo a fortiori negant, Dei præcepta eſſe impoſſibilia juſtis, qui, dum volunt & conantur illa adimplere, ſunt divina gratia ſuffulti. Docent quidem Theologi illi, deeſſe aliquando etiam juſtis gratiam per ſe efficacem, quæ dat potentiam *proxime expeditam* ad opus, verum audacter, & imperite velut aſſertores primæ propoſitionis Janſenii ea de re inſimulantur, ut loquitur Noriſius in *Calumnia ſublata.* Hanc enim potentiam proxime expeditam præter Noriſium, alioſque noſtrates, negant Suarez, Macedo, Alvarez, Bellarminus, aliique a Noriſio laudati, ut ſupra dictum eſt in reſponſione ad II. Non deſunt etiam, qui docent, nonnullos gratia ſufficiente deſtitui, pro qua ſententia ſtetiſſe Auguſtinum cenſet Rainaudus, & Vaſqueſius, nec non Proſperum, Fulgentium, & D. Thomam: & dubio procul eam tradidit Ledeſma, Lemos, Godoi, Gonet, Bannes, Alvarez, Gonzalez, & Duacenſis, & Lovanienſis Accademia, & Theologi noſtri Ordinis univerſi, ſed iſti a Janſeniano errore ſunt immunes; ergo & nos.

Neque Theologi illi, qui infidelibus, & obduratis ſufficientem gratiam negant nobiſcum, his aut converſionem, aut præceptorum obſervantiam impoſſibilem eſſe dixere: multo minus id affirmarunt de juſtis, de quibus præſertim loquitur prima propoſitio, & quibus, dum volunt & conantur divina implere præcepta, nos cum citatis theologis ſufficientem gratiam ſemper adeſſe catholice profitemur. *Quamvis enim gratiam non habeant infideles illi, poſſunt tamen illam recipere, & Deus poteſt illam conferre, quandiu ſunt in hac vita, & ideo dicuntur poſſe ſalvari.* Hinc, ut obſervat Lemoſius in Panopl. l. 4.: *Ut nihil præcipi dicatur impoſſibile, ſatis*

tis est, ut in Dei virtute ac bonitate sit paratum sufficiens auxilium, quo omnes possint salvari, licet de facto omnes non habeant. Idem tradit Alvarez, Sylvius, & Lovaniensis Facultas, quæ ait in Justif. censuræ c. 12.: *Ut homo possit converti, non requiritur ut habeat gratiam sufficientem eo ipso tempore, quo posse dicitur, sed satis est, si possit obtinere, ut homo dicitur posse manducare panem etiam cum panem non habet.* Vide diss. 4. Syst. vind. c. 1. §. 4.

Quæ cum ita sint, quis nostrum asserat, aliqua Dei præcepta esse justis impossibilia *conantibus & volentibus*, cum fateamur, omnia esse possibilia hominibus scelestissimis, qui nec volunt nec conantur. Quamvis enim justis non semper adsit potentia *proxime expedita* ad observanda præcepta, non tamen inde sequitur, iis conantibus & volentibus divina præcepta esse impossibilia, ut dictum est. Constat enim, Norisium a Janseniani erroris calumnia sese expurgasse feliciter, cum ad German. 15. ait, se locutum de illo adjutorio, quod habuit Adam, *proxime sufficiente*, & quod in hoc statu, *nisi* per novam virtutem augeatur & crescat, non est sufficiens *proxime*, sed tantum *remote.*

Addit Norisius, justum divina gratia excitatum, dum conatur divinum implere præceptum, posse per eam gratiam vires majores a Deo petere, quoniam gratia illa excitans ad bonum est proxime sufficiens ad orandum, nobisque cooperatur, ut petamus auxilium proxime necessarium ad implendum præceptum, dummodo non ponamus impedimentum superbiæ de propriis viribus præsumentes, ut Petrus. Quæ quidem Bellarmini, Suaresii, Poncii, Amici, Salmanticensium, Goneti, aliorumque explorata sententia est.

Objiciunt Janseniani I. Locum Apostoli: *Fidelis Deus* &c. non esse de omnibus omnino fidelibus accipiendum, alioquin nullus fidelis deficeret, quod experimento adversatur; ergo &c. II. Illud Tridentini, *Deus non deserit justificatos, nisi prius ab iis*

iis deseratur, accipiendum de subtractione justitiæ, nisi deseratur per inobedientiam; ergo non loquitur de subtractione gratiæ actualis. III. Illud Augustini; Deum non præcipere impossibilia &c. etiam Jansenius tradit l. 3. de Gr. c. 13. ubi ait: *Præcepta homini justificato non sunt impossibilia, eo quod jubendo Deus moneat petere quod non possis, & si exaudiat, adjuvat ut possis*, sed gratia orationis non datur omnibus; ergo nec potentia.

R. ad I. neg. ant. Locus enim Ap. de omnibus absolute pronunciatur, quod si Deus tentari eos patitur & cadere, facit ut bonus figulus, qui testam non tali igni imponit, ut infringi necesse sit, licet ob luti vitium sæpe scindatur. Ita Deus justum igni tentationis exponit, ut faciat cum tentatione proventum; proinde, si frangitur, aut vitium superbiæ est, aut malitia voluntatis. Ad II. neg. ant. *Deus* enim, ut ait S. P. *sanat, non solum ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus.* Sicut enim oculus corporis plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere, sic homo perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ adjuvetur, recte non potest vivere. docet ergo S. P. justum non deseri a Deo, nedum subtractione justitiæ habitualis, sed neque auxilii actualis, *sine quo* vivere nequit, nisi prius deseratur. Ad III. neg. maj. Jansenius enim ait, *si exaudiat adjuvat ut possis;* ergo non habet potestatem servandi mandata qui caret efficaci gratia orationis. Atqui justus, licet non oret, potest orare, & licet non habeat efficacem gratiam, habet sufficientem; ergo &c.

Ob. II. ex Aug. de Gr. & arb. *Ideo*, Deus, *jubet aliqua, quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus*; atqui justi debent petere, ut possint; ergo &c. II. S. P, l. 1. Retr. c. 22. ait: *In potestate hominis est mutare in melius voluntatem*, sed ea potestas non est *nisi a Deo*, quod probat ex sacris literis, *præparatur voluntas a Domino &c.*;

ubi ergo non eſt gratia efficax, nulla eſt boni poteſtas. Neque ad hoc ſufficit parva voluntas: nam per Aug. tunc ſolum quis *poterit facere Dei mandatum, cum magnam habuerit & robuſtam.* Unde Tr. 34. in Jo. ait S. P. *Conaris ambulare, & non potes.* III. de Petro ait S. D. *Quid eſt homo ſine gratia, niſi quod fuit Petrus cum negaret Chriſtum?* Caruit ergo Petrus gratia efficaci, ſine qua nihil poterat, ut oſtendit Arnaldus p. 1. Diſſ. quadripartitæ.

R. ad I. diſt. min. Juſti debent petere, ut poſſint potentia proxima, qua per victricem delectationem habeatur etiam poteſtas cum actu conjuncta, conc. potentia remota, quæ cum actu conjuncta non eſt, neg. Duplex eſt ergo poteſtas, remota nempe, & proxima; illa dat poſſe, ideſt conſtituit potentiam in actu primo, ut poſſit prodire in actum, ideſt ut poſſit, ex. gr. videre, ambulare &c. qualis eſt in homine videndi poteſtas, iſta facit, ut potentia exeat in actum, e. g. ut videat, ambulet &c. Conſtat autem plura requiri ad actum, quam ad potentiam, unde ex hac nequit deduci operatio, ita Alvarez diſp. 79. n. 2. Cajetanus, aliique. Porro Janſenius ſolam potentiam proximam veram eſſe poteſtatem agnovit, docens ſub gratia victrice, aut carnali delectatione, nullam eſſe libertatem arbitrii ad oppoſitum: ex qua doctrina 5. Propoſitiones originem habuere. Nos tamen dicimus, in eo, qui habet voluntatem parvam, eſſe potentiam maxime ſufficientem ad orandum, & remote ſufficientem ad præcepta ſervanda; quæ poterit proxime implere, dum per orationem obtinuerit magnam, & robuſtam voluntatem, ut conſtat ex verbis Auguſtini: nego tamen cum voluntate illa parva, & invalida ſtare impoſſibilitatem obſervandi præcepta; qua contraria voluntas ſemper relinquit potentiam ad oppoſitum.

Solvuntur ex dictis argumenta Arnaldi, quibus probare nititur, nullam eſſe abſque gratia efficaci pote-

poteſtatem boni operis. Si enim loquatur de potentia conjuncta cum actu, vera ſunt, ſi de potentia indifferente ad agendum, falſa ſunt. Addimus, S. D. demonſtrare contra Pelagianos, poſſibilitatem obſervandi divina præcepta non eſſe ex nobis, quod probat S. D. ex Eccleſiæ orationibus, atqui juſti habent ſæpe gratiam inſpirantem bonam voluntatem; ergo & poteſtatem, quæ non eſt ex nobis, ut Pelagiani ſomniabant. Ad II. R. ut ſupra ad primum. Ad III. retorqueo arg. Petrus enim per Aug. de propriis viribus præſumens obicem poſuit gratiæ tribuenti potentiam proximam ad orandum; ergo divina gratia non ipſum deſeruit, ſed ipſe ſuperbia tumidus *deſeruit*, *& deſertus eſt: per ſolum enim arbitrium, non addito Dei adjutorio, promiſerat, ſe pro Domino moriturum:* ait S. P. *Putabat enim ſe poſſe viribus naturæ, quod ſi velle ſentiebat viribus gratiæ*, ait noſter Deſirant in Theſ. Lovanienſibus; ergo &c.

Ob. III. Janſenius ſolam gratiam Moliniſtice ſufficientem excludit cum Thomiſtis, aliiſque; ergo &c. II. Ad præcepta implenda per Thomiſtas neceſſaria eſt gratia efficax, ſed hæc ſæpe juſtis ſubtrahitur, ergo &c. III. Non ait Janſenius, Dei præcepta eſſe juſtis impoſſibilia abſolute, ſed *ſecundum præſentes quas habent vires*, hoc eſt relate ad majores concupiſcentiæ gradus, ſed hæc noſtra ſententia eſt; ergo &c.

R. ad I. ex cap. 1. hujus Diſſert. in R. ad 3. Ad II. diſt. maj. Neceſſaria eſt per Thomiſtas gratia efficax, ut voluntas conſtituatur proxime potens in actu primo, neg. in actu ſecundo, conc. Plus enim requiritur ad actum, quam ad potentiam, ut ſup. dictum eſt. Ad III. neg. min. Diſtat enim ſententia noſtra toto cælo a Janſeniana. I. quia in victrici delectatione non conſtituimus gratiam ſufficientem, quæ dat poſſe, ſed efficacem, quæ cum actu conjuncta eſt. II. quia cum victrici delectatione non negamus, indifferentiam judicii, & po-

tentiam ad oppositum posse consistere, adeoque sub quacumque gratia aut cupiditate, bonum & malum in nostra est potestate: ut sæpe dictum est.

Ob. IV. Definitio Tridentinæ Syn. *Deus impossibilia &c.* ex Bellarmino, & Estio respicit Calvinianos, qui justis impossibilia esse putarunt Dei mandata, quod concupiscentia singula justorum opera inficiat, sed hoc non docuit Jansenius; ergo &c. R. dist. min. Hoc non docuit quoad operis infectionem, conc. quoad libertatis excidium, neg. Hac enim in parte utrique conveniunt, unde Trid. Synodus in Luthero & Calvino hæresim quoque Jansenianam confixit.

Ob. V. cum Anonymo: a Janseniano errore non recedunt, qui ajunt, mandata servari posse cum gratia gradibus superiore, licet enim ii gratias inferiores admittant, principium tamen duarum delectationum pro graduum superioritate invincibilium non deserunt, gratia enim gradibus inferior sufficientes vires non confert ad refrænandam concupiscentiam, & præcepta adimplenda; ergo &c.

R. neg. ant. Siquidem reprobatur a nobis 1. propositio. Quamvis enim requiramus gratiam efficacem, seu victricem delectationem, agnoscimus tamen in gratia parva potentiam possibilitatis, nec admittimus systema duarum delectationum invincibilium, sed duarum delectationum, quarum nec superior trahit necessitate ad agendum, nec inferior hæret necessario in parvo motu, quem excitat, ut alibi dictum est.

Propositio II. Asseruit etiam Jansenius: *interiori gratiæ* &c. contrarium tamen Augustinus, ejusque discipuli.

Prob. I. pars. Jansenius l. 2. c. 4. cum dixisset: adjutorium *sine quo*, si daretur in hoc statu, vel *nihil conferret*, vel pro *adjumento perniciem ferret*, ait: *Gratia vero lapsæ voluntatis nullo modo in ejus relinquitur arbitrio, ut eam deserat & arripiat, si voluerit*; ergo &c. Et c. 24. ait: *Augustinus*

nus gratiam Dei ita victricem statuit supra hominis arbitrium, ut dicat, hominem non posse resistere. Et c. 25. *Nulla medicinalis Christi gratia suo effectu caret.* Item l. 4. c. 1. *ex delectatione dilectio, ex dilectione naturali ordine operatio consequitur.* Hinc sequitur secunda Jansenii Prop. Nam adjutorio, *quo* sive efficaci numquam resistitur, sed per Jans. in hoc statu quælibet gratia est efficax; ergo ei nunquam resistitur. Merito ergo hæc secunda Propositio tamquam hæretica proscripta est a Rom. Pontificibus. Habetur enim Matth. 11. Bethsaitas & Corozaitas Christo vocanti non obtemperasse, qui tamen per Aug. *poterat credere*; ergo non erant interiori gratia destituti: nec credidisse, quia Deus *induratis cor lapideum noluit auferre* per gratiam efficacem. Act. 7. de Judæis obstinatis ait S. Stephanus, *vos semper Spiritui S. resistitis:* unde Trid. Syn. definit: *Liberum arbitrium divina gratia excitatum posse dissentire, si velit;* ergo &c.

Prob. II. pars. Aug. enim de Corr. & Gr. c. 11. loquens de adjutorio efficaci ait: *Nunc autem, quibus datur, secundum misericordiam datur, & tanto amplius datur, ut non solum adsit, sine quo permanere non possumus, sed etiam tantum, ut velimus;* ergo S. P. agnoscit in hoc statu, non solum adjutorium *quo*, sive efficax, ut velimus, sed etiam *sine quo*, sive sufficiens, ut possimus. Deinde S. P. admittit in hoc statu voluntatem parvam & invalidam, sed hæc non est gratia efficax, qua fit ut velit, quæque per Aug. est voluntas magna & robusta; ergo est sufficiens. Hanc parvam & invalidam voluntatem in se ipso expertus est S. P. initio suæ conversionis; agnovit & in Petro, de quo c. 17. de Gr. & arb. ait: *Caritatem Petrus nondum habuit, quando Dominum ter negavit, & tamen, quamvis parva, non deerat quando dicebat Domino: animam meam pro te ponam &c.* Deinde afferit S. P. in Ps. 124. quod cor aliquorum *fit durum adversus imbrem gratiæ, quod multi in vacuum*

gratiam recipiunt, & cum possint servire Deo, obediunt Diabolo; ergo per Aug. interiori gratiæ resistunt.

Prob. III. pars. De 2. 3. & 4. Jansenii propositione constat apud omnes, in eo sitam esse ejus hæresim, quod Janseniani negent auxilium sufficiens ab efficaci distinctum, & nolint sub efficaci auxilio libertatem agnoscere indifferentiæ, ut toties repetitum est. Constat etiam ex Prob. 3. Prop. 1. hujus capitis, immunes esse a Janseniano errore eos Theologos, qui in hoc statu gratiam sufficientem agnoscunt, quamvis afferant, eam non conferre potentiam proxime expeditam ad efficiendum opus: cum Theologi præclarissimi supra laudati doceant, illud esse auxilium proxime sufficiens dans potentiam completam in ordine ad actum, quo habito nullum aliud necessarium est, ut liberum arbitrium erumpat in actum; neque in hoc statu auxilium *sine quo non* esse sufficientem eo modo, quo erat in Adam, sed esse sufficientem *proxime*, ut ait Suaresius *ad primam dispositionem*, & respectu ulterioris actus, sufficientem esse tantum *remote*, sed hoc est secundam Jansenii propositionem rejicere; ergo &c. Si enim in hoc statu datur gratia remote sufficiens, quæ in nobis parvam & invalidam voluntatem producit, cui resistit concupiscentia, nec voluntatem inspirat validam & robustam, quæ proxime sufficiat ad implenda mandata, consequens est, dari in hoc statu interiorem gratiam, cui a voluntate humana resistitur. Atque hac ratione affictam sibi erroris Janseniani calumniam repulit Norisius ad German. 15. ubi ostendit, nos gratiæ debili, incongruæ, ac remote sufficienti resistere, cum Jansenius omnem gratiam incongruam rejecerit dicens: *Nullam gratiam actualem ab Augustino pro vera Christi gratia agnosci, nisi quæ agit & peragit effectum: omnem aliam ab ipso ad legem & doctrinam relegari*; ergo &c.

Ob. I. Ex Scripturis. Nam Ps. 13. habetur: *Deus omnia*

omnia quæcumque voluit fecit. Rom. 9. *Voluntati ejus quis resistit?* Adde gratiam efficacem commendari Ezech. 36. 1. Cor. 4. & alibi; ergo &c. II. Urgent ex Augustino notissimum discrimen inter gratiam Adami innocentis, & lapsi: prima enim dabat *posse*, hæc etiam *velle*; ergo &c. De hac etiam ait S. P. de Præd. SS. quod *a nullo duro corde respuitur.* Et l. de Gr. & lib. arb. ait: *Facit, ut velimus præbendo vires efficacissimas &c.* Idem docent S. Prosper, Fulgentius, aliique post exortam hæresim Pelagianam. III. Arguunt ex ratione. I. Ideo in hoc statu admittitur gratia sufficiens, quia dat posse, sed sola gratia efficax dat posse prodire in actum; ergo non datur. II. Janseniani cum Thomistis negant gratiam sufficientem Molinistice, & cum Molinianis docent, gratiam sufficientem sensu Thomistico non esse revera sufficientem. Sicut ergo isti, ita nec Janseniani ea de re reprehendi debent. Plura de hoc argumento Blasius Paschalis in Ep. provinc.

R. ad I. & II. neg. cons. Ex iis enim locis sacræ Scripturæ & Augustini probatur tantum gratia efficax, non excluditur sufficiens, quæ ex aliis Scripturæ, & Augustini locis ostenditur. *Si enim dixisset Jansenius, gratiæ interiori efficaci non resisti, nihil a fide dixisset alienum*, ait Franc. Wanrast. Sed ad singula R. Thomistæ: distinguendo duplicem voluntatem, antecedentem & conditionatam, & consequentem & absolutam. Illa sufficientem, hac efficacem gratiam conferri docent, atque illi non huic resisti a voluntate. Vid. c. 1. l. 5. Nos duplicem illam voluntatem exposuimus respectu connotatorum, quatenus voluntas Dei semper est efficax respectu alicujus effectus, ut cum vult redemptionem omnium, efficaciter vult impositionem ordinis, præparationem mediorum, qua omnes salvi fiant: sed non semper est efficax, relate ad effectum ulteriorem, ob malitiam humanam, quo pacto non vult reproborum salutem, quoad ordinis

nis executionem. Omnis ergo voluntas eſt efficax, relate ad aliquem effectum, non tamen relate ad opus, quod impedit parva voluntas. Gratia ergo inſpirans voluntatem parvam eſt efficax hujus reſpectu, ſed reſpectu, ex. gr., converſionis eſt tantum ſufficiens, & redditur efficax, dum impetratur magna & robuſta. Ad III. diſt. min. Gratia ſufficiens non dat poſſe ab actu ſejunctum, neg. cum actu conjunctum, conc. Vide quæ ſupra diximus ad primam propoſitionem Janſenii. Ubi nota, nos cum Noriſio potentiam proxime expeditam illam vocare, quæ, ut ponat actum, gratiam uberiorem non poſtulat, quam habuit Adam cum adjutorio *ſine quo*, & homo infirmus cum adjutorio quo, ſive cum gratia efficaci, unde ſancti, ut in bono opere poſſint perdurare, licet habeant gratiam ſufficientem, non habent ſemper proximam perſeverandi potentiam. Hinc ſcholarum diſtinctio: potentia alia eſt expedita ab omni impedimento *impotentiæ*, alia eſt expedita ad omni impedimento *nolentiæ*: prima eſt cum gratia ſufficiente, alia cum gratia efficaci.

Ad argumentum Paſchalis, qui grammaticalem quæſtionem cum theologica confundit, R. aliud eſſe verbo contendere, aliud dogmate. Docet Janſenius, ſub victrici delectatione nullam in homine remanere potentiam ad oppoſitum; ergo ſub gratia parva, premente perverſa cupiditate, non eſt propria poteſtas recte operandi, & ſub gratia magna non eſt poteſtas peccandi: Nihil tale docent neque Mediſtæ, neque Thomiſtæ, qui ſub eorum gratia ſive verſatili, ſive prædeterminante veram potentiam ad oppoſitum uno ore prædicant.

An vero gratia ſufficiens Thomiſtice ſit vere & proprie ſufficiens, non opus eſt definire. Inefficacem vocat cl. Auctor, eo quod non inſpirat voluntatem robuſtam, quam inſpirat gratia efficax. Negant Mediſtæ, eam eſſe vere ſufficientem, quia non complectitur totum id, quod requiritur, ut

actus

actus ponatur: queis videtur conſentire Noriſius, qui negat, ſine adjutorio efficaci dari potentiam proxime expeditam ad perſeverandum. Huic accedunt Cumel, de Lauræa, Macedo, Poncius, Clenaertius, & Lovanienſes: qui docent communiter, gratiam *inefficacem* non eſſe ſufficientem, ſi τὸ *ſufficiens* accipiatur grammaticaliter; non deſunt tamen rationes & exempla, quibus gratia inefficax vere ſufficiens probari poſſit. I. Quia plura neceſſaria ſunt ad actum, quam ad potentiam, ut patet exemplo oculi, qui poteſt videre, licet, ut actu videat, neceſſaria ſit lux. Ita ſufficiens eſt gratia quælibet, licet minima, quamvis requiratur gratia prædeterminans, ut ad actum reapſe applicetur; ſive ergo dicas gratiam, quæ opponitur efficaci, *ſufficientem*, ſive *inefficacem*, parum refert, dummodo fatearis contra Janſenium interiorem aliquam gratiam, cui etiam in hoc ſtatu reſiſtitur.

Propositio III. Janſenius etiam aſſeruit: ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiri libertatem a *neceſſitate*, ſed ſufficere libertatem a *coactione*, ſed oppoſitum docent Auguſtinus, ejuſque diſcipuli.

Prob. prima pars. Nam l. 6. de Gr. c. 6. ait: *Duplex neceſſitas ex Auguſtino, coactionis, & ſimplex, ſeu voluntaria: illa non hæc repugnat libertati.* Et l. 7. 19. *Nulla neceſſitas actibus liberis formidanda eſt, ſed ſola vis, coactio, & neceſſitas violentiæ.* II. L. 6. de Gr. c. 7. Libertatem merendi & demerendi in viatoribus comparat libertati Dei, *qua peccare, injuſtus eſſe &c. non poteſt.* Et c. 8. comparat voluntati beatorum, qua Deum amant, *ſublata omni indifferentia contrarietatis, & contradictionis.* Affert etiam exemplum Chriſti, qui promeruit ſine *indifferentia ad non peccandum.* III. Fluit hæc propoſitio ex principiis duarum delectationum, quibus neceſſario quiſque ad bonum, aut ad malum abripitur ergo tam meritum, quam demeritum non alia ratione liberum dicitur, niſi quia

est voluntarium; merito ergo ut *hæretica* hæc propositio proscripta est. Cohæret enim Baji, Lutheri, & Calvini erroribus a Tridentina Synodo Sess. 6. c. 4. & 6. proscriptis.

Prob. secunda pars. Nam S. P. l. 6. Oper. imper. n. 2. liberum arbitrium, cujus proprietas est mediorum electio, negat liberum habere motum, *nisi potestatem habeat motum suum cohibendi.* Et l. 3. de lib. arb. c. 3. negat esse peccatum, *unde non est liberum abstinere*, negat hominem in hac vita mortali *non posse resistere gratiæ*; ergo &c. Negat permanere meritum, vel demeritum ex electione mediorum, vel opus quodlibet retributione dignum, aut pœna. Vide c. 2. & 3. l. præcedentis.

Prob. tertia pars. Nam ex dictis facile potest intelligi, ab Augustinianis theologis *libertatem indifferentiæ* in hoc statu sub gratia victrici totis viribus cum Augustino, aliisque Ecclesiæ Patribus propugnari (1), neque unam tradi viam, sive rationem conciliandæ libertatis cum ipsa gratia. Nullum denique ab iis meritum agnosci, vel demeritum, absque ea indifferentiæ libertate, quam denegare præcipuus est Janseniani erroris character, ut cap. I. hujus dissertationis ostensum est. Vide Auctorem T. 3. a pag. 265. ad 299.

Propositio IV. Asseruit etiam Jansenius, Semipelagianos admisisse prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, & in hoc fuisse hæreticos, quod vellent, eidem gratiæ humanam volun-

(1) Liberum arbitrium a Patribus constitutum non aliud fuisse, quam ipsum liberum arbitrium *indifferentiæ* non diffitetur Beausobrius, qua de re ab Historico-critico alibi laudato acriter insimulatur. Quod an jure factum sit, an injuria ad calcem hujusce capitis planum fiet, ubi de vera sanctorum Patrum sententia circa libertatis indifferentiam in hoc statu, tum de Historico-Critici censura disputabimus.

voluntatem posse resistere, sed oppositum docent Augustinus, ejusque discipuli.

Prob. prima pars. Nam Jansenius l. 8. de H. P. c. 6. ait: *Indubitatum esse, quod Massilienses veram, & internam actualem gratiam ad fidem, quam humanæ voluntatis adscribunt viribus, necessariam esse fateantur.* En primum quartæ propositionis membrum: Subdit: *In hoc Massiliensium error situs est, quod aliquid primævæ libertatis reliquum putant, quo sicut Adam, si voluisset, poterat perseveranter operari bonum, ita lapsus homo saltem credere posset, si vellet, neuter tamen absque interioris gratiæ adjutorio, cujus usus, & abusus relictus esset in uniuscujusque arbitrio, & potestate.* Et l. 2. de gr. c. 12. Semipelagianos vocat *gratiæ medicinalis destructores*, quia admittebant adjutorium Dei, quo possent credere & orare, si vellent, & ipsum velle & nolle in eorum relinqueretur arbitrio. Merito ergo hæc propositio tamquam *falsa* (1) & *hæretica* proscripta est. *Falsa*, quia Semipelagianos interiorem illam gratiam non admisisse constat. *Hæretica* vero, quia dogma fidei est definitum sess. 6. c. 4. Trid. Syn.; posse liberum arbitrium dissentire gratiæ excitanti, ac moventi. Quamvis enim non desint theologi, qui tenent, Semipelagianos ad initium fidei admisisse auxilium indifferens, stat tamen

(1) Si accipiatur hæc IV. propositio de gratia *reparatoris*, itaut sensus sit, Semipelagianos admisisse prævenientis gratiæ Christi necessitatem ad singulos actus, falsissima est; & pluribus Augustini locis supra laudatis refellitur. Si vero accipiatur de gratia *conditoris*, itaut sensus sit, Semipelagianos gratiam *conditoris* ad singulos actus agnovisse, hæc sententia a pluribus piis; doctisque theologis defenditur; qui putant, in sententia Jansenii Semipelagianos admisisse interioris gratiæ Christi necessitatem, quod falsum est.

men æquitas cenfuræ, vel quia non omnes Semipelagiani hoc auxilium admiferint, tefte Goneto, unde univerfaliter falfa eft, vel quia utraque nota ad poftremam propofitionis partem, *& in hoc erant hæretici*, referenda fit.

Prob. fecunda pars. Conftat enim ex Auguftino lib. de Præd. fanctorum c. 3. & ex Ep. 227. ad Vit. 9. & alibi, Semipelagianos non admififfe ad initium fidei neceffariam effe gratiam prævenientem, quæ tangit cor hominis, ut innotefcat quod latebat, & fuave fiat, quod non delectabat: fic enim gratiam definit S. P. l. 2. de pecc. mer. 17. Id autem nos oftendimus in diff. de Hiftoria Semipelagiana c. ultimo; ergo prior propofitionis pars opponitur Auguftino. Nec minus eidem opponitur fecunda, ut enim fupra vidimus difputantes de libertate, conftat ex Auguftino, poteftatem agendi, vel non agendi, & libertatem a neceffitate ad naturam liberi arbitrii neceffario fpectare; ergo &c.

Prob. tertia pars. Ex fupradictis, & ex c. 5. l. 15. conftat, Auguftinenfes theologos nufquam docuiffe, Semipelagianos ad initium fidei veram gratiam agnoviffe, quæ ad illuminationem mentis addit infpirationem dilectionis per fubminiftrationem Spiritus fancti, quod Auguftiniani theologi probant ex epiftola Hilarii, ex Auguftino de Præd. fanctorum c. 3. ex D. Profp. in carm. de Ingr. & ex aliis locis compluribus; ergo hac etiam in parte a Janfenio recedunt.

Propositio V. Afferuit etiam Janfenius: Semipelagianum effe dicere, Chriftum pro omnibus omnino hominibus mortuum effe, aut fanguinem fudiffe. Auguftino vero, ejufque difcipuli oppofitum docent.

Prob. prima pars. Janfenius enim l. 3. de Gr. c. 21. fcribit I. *omnibus illis, pro quibus Chriftus fanguinem fudit, fufficiens auxilium donari, quo non folum poffint, fed etiam reipfa velint*; ergo per Janfe-

Janſenium pro iis Chriſtus non eſt mortuus, quibus non datur gratia efficax, qua non *ſolum poſſint, ſed etiam velint.* II. ait ibidem, non cohærere Auguſtino: *ut Chriſtus vel pro infidelium, vel pro juſtorum non perſeverantium ſalute mortuus ſentiatur. Ex quo factum eſt, ut non magis Patrem pro liberatione ipſorum, quam pro diaboli deprecatus fuerit.* Sed Chriſtus nullo modo eſt diaboli redemptor; ergo nec juſtorum non perſeverantium. III. ait: *Nec enim juxta doctrinam antiquorum pro omnibus Chriſtus mortuus eſt, cum hoc potius tamquam errorem a fide abhorrentem doceat eſſe reſpuendum.* Et ibidem hoc dogma *machinam* vocat *a Semipelagianis introductam.*

Merito ergo hæc propoſitio damnata eſt tamquam falſa, temeraria, ſcandaloſa, impia, blaſphema, contumelioſa, divinæ pietati derogans, & hæretica. *Falſa* quidem, quia opponitur veritati ſcripturarum, traditionis, & ſanctorum Conciliorum. Nam 2. ad Timoth. 2. habetur: Chriſtum dediſſe *redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Athan. de Incarn. ait: *Mortuus eſt ad omnium redemptionem.* Idem docent Cyrillus, Nazianzenus, Optatus, Ambroſius, Proſper, S. Leo &c. III. Trid. Syn. ſeſſ. 6. c. 3. ait: *Ille pro omnibus mortuus eſt.* Vide Auctorem. Dicitur etiam *temeraria*, adverſatur enim doctrinæ Eccleſiæ, qua Jeſus vocatur *Redemptor omnium, ſalutis humanæ ſator, orbis redempti conditor &c.* Janſenius autem eum *puſilli electorum gregis ſalvatorem* appellat; ergo &c. Eſt etiam *ſcandaloſa*, quia ſternit viam ad dubitandum de fide reſurrectionis mortuorum, quæ ex Chriſti redemptione pendet, per *quem omnes vivificabuntur, ſicut in Adam omnes moriuntur.* Periclitatur etiam ſpes Chriſtiana, quæ per Auguſtinum Pſ. 148. innititur Chriſti ſanguine, qui ex Apoſtolo *pro impiis mortuus eſt.* Sic enim erigimur ſpe, quod nobis, quamvis ſceleſtiſſimis, ſanguis ejus applicabitur. Labefactatur caritas: quæ ex Apoſtolo *urget* nos,

nam

nam *Deus proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ex iis, quæ dicta ſunt conſtat etiam, hanc propoſitionem eſſe *contumelioſam, impiam*, & derogantem divinæ pietati, extenuat pretium Chriſti ſanguinis, magnum redemptoris opus imminuit, & ſalvatoris meritum, cruciatus, obedientiam, orationem, & vulnera parvi pendit. Eſt denique hæretica, utpote ſcriptoribus, Patribus, Conciliis, & Eccleſiæ doctrinæ contraria; ergo &c.

Prob. II. pars. Nam S. P. l. 20. de C. D. c. 6. demonſtrat I. ex verbis Ap. 2. Cor. 5. *Si unus pro omnibus mortuus eſt*: ab omnibus contrahi originale peccatum, ſicut pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: *Omnes itaque mortui ſunt in peccatis, & pro omnibus mortuis vivus mortuus eſt unus.* Et l. 6. contra Jul. 4. *Nega igitur Chriſtum etiam pro parvulis mortuum, quia ſi Chriſtus pro ipſis mortuus eſt; ergo & ipſi mortui ſunt.* II. ſi Chriſtus pro ſolis prædeſtinatis mortuus eſt; ergo nec pro parvulis, nec pro infidelibus, nec pro obduratis, nec pro juſtis non perſeverantibus mortuus eſt Chriſtus, ſed per Aug. Chriſtus mortuus eſt pro his omnibus; ergo &c. De parvulis conſtat ex ſupradictis, de infidelibus ait in Pſ. 61. *Expandens manus ſuas ad populum incredulum dixit ſitio, ipſos enim ille ſitiebat.* De Obduratis Tr. in Jo. 36. *Venit Chriſtus primo ſalvare, poſtea judicare in pœnam, qui ſalvari noluerunt.* De juſtis non prædeſtinatis ait: illud Ap. *Peribit infirmus, propter quem Chriſtus mortuus eſt.* Vid. ep. 15. 137. & 180. ergo &c. III. Cum Aug. Serm. 382. expreſſe doceat, Chriſtum in Cruce pro Judæis oraſſe, itaut clamaret, *Pater ignoſce*, quomodo Janſenius aſſerit, docuiſſe Auguſtinum, Chriſtum non oraſſe pro reprobis, ſicut nec pro diabolo; ergo &c.

Prob. III. pars. docent enim Auguſtiniani Theologi, non ſolum pro prædeſtinatis, ſed etiam pro reprobis Chriſtum mortuum eſſe, ac pro eorum ſalute

lute Patrem oraſſe, ſanguinem obtuliſſe, inſtituiſſe ſacramenta, ac remedia peccatorum, quamvis gratiarum applicatio non omnibus occulto Dei judicio adhibeatur, ex quo etiam poſt redemptionem peractam, communis eſt omnibus natura, non gratia. Ita cum Noriſio docent Auguſtiniani Theologi omnes, tum veteres, cum recentiores ab auctore noſtro producti diſſ. 4. c. 1. §. 6. Syſtem. vind. Quamvis enim gratiam ſufficientem non omnibus conferri putemus cum Lemoſio, Goneto, Zumel, Bannes, Jo. a S. Thoma, Soto aliiſque D. Thomæ diſcipulis ab auctore cit. loc. fuſe productis, quos ſequitur Lovanienſis, & Duacenſis Academia, quibus adde ex Scotiſtis Macedo & Lauræa, ex noſtratibus Gavardum, Cabalieu, Rolliers, Clenaertium, alioſque complures; non inde tamen ſequitur, ab iis negari, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe. Ut enim notat Noriſius l. 2. Hiſt. Pelag., ſi hæc theſis Janſenii ita explicetur, ut homines reapſe futuri ſint participes gratiæ datæ per Chriſtum, non univerſe vera judicatur, etenim plerique Theologi parvulos in uteris matrum decedentes, nullam Chriſti gratiam participare exiſtimant. Profert etiam Noriſius auctoritatem P. Macedo, qui in Scrin. c. ult. ait: *Multum intereſſe inter redemptionem univerſalem, & gratiam univerſalem, nam ut Chriſtus ſit mortuus pro omnibus ſatis eſt obtuliſſe mortem ſuam pro omnibus humana voluntate, quæ ſi non acceptaretur a Patre, non ſequebatur ex ea gratia univerſalis, quæ ex divina voluntate pendebat.* Unde etſi Chriſtum fateamur omnium eſſe Redemptorem, non inde infertur omnibus gratiam conferri; ergo &c.

AP-

APPENDIX

CAP. PRÆC.

Ubi Hiſtorico - Critici cenſura adverſus Beauſobrium, ac germanus SS. PP. ſenſus circa libertatem expenditur.

Cenſet laud. Auctor diſſ. 6. de *Beauſobrii mendaciis in his, quæ ad libertatem in Manichæorum ſententia pertinent*, n. 19., ſolemniter eum fuiſſe mentitum, dum ait: PP. Eccleſiæ docuiſſe, Adamum cum quadam æquilibrii ſpecie bonum inter, & malum fuiſſe creatum: *Mendacium* 3.: *PP. arbitrati ſunt, primum hominem creatum fuiſſe in quodam æquilibrio bonum inter & malum; mentitur* 3., inquit, *Beauſobrius, nam primus homo in prima ſui origine, & in ſtatu innocentiæ .... magnam ad bonum inclinationem in ſeipſo ſentiebat. Quare æquilibrium inclinationis bonum inter & malum, quo nec in bonum nec in malum, aut in utrumque æque inclinaret, in homine innocente non fuit.* Quod probare nititur ex l. 11. de Corr. & gr., ubi ait S. P. A.. Adamum *habuiſſe magnam gratiam, ſed diſparem*, nimirum a noſtra, *quodque in illo beatitudinis loco ſua ſecum pace fruebatur.* Unde concludit: *Itaque, Auguſtino teſte, gratia Adami in primo innocentiæ ſtatu gratia pacis fuit, qua nihil in malum, quo cum pugnaret, inclinabatur, maxime vero in bonum, in quo quieſcebat, propendebat.* Hæc Hiſtorico-Criticus. Sed fallitur vir cl., qui ex nimio æſtu Beauſobrii confutandi, ipſum Beauſobrii locum non recte conſuluit. Hæc enim habet Beauſobrius ib. *Le libre arbitre, que les Peres etablirent, eſt celuyd' indifference. Ils ſuppoſerent, que le premier homme fut creé dans une ſorte d' equilibre, entre le bien & le mal, ce que les Manichéens rejettoient pour diverſes raiſons.* Non eſt ergo *æquilibrium inclinationis*, quod Beauſobrius

ait,

ait, fuiſſe in ſtatu innocentiæ conſtitutum ab eccleſiæ PP., non enim ita deſipuit, ut PP. eam calumniam impingeret, ab iis nempe negatam fuiſſe gratiam originalis juſtitiæ, quæ Adæ naturæ ſuperaddita eum ad bonum inclinaret. Omnes quippe Eccleſiæ Patres in Adamo innocente gratiam pacis agnovere, qua ab origine ipſa ferebatur in bonum. Nuſpiam vero aſſeruit Beauſobrius, PP. in Adamo innocente *æquilibrium inclinationis* agnoviſſe, adeoque neque in hac parte mentitus eſt. Reapſe fatetur Beauſobrius, PP. in Adamo innocente illud agnoviſſe æquilibrium, quod Manichæi negabant, ſed hi ex Beauſobrio ipſo c. 3. negabant in Adamo *æquilibrium inclinationis ad malum*, docentes, ante motum partis adverſæ ejus animam ſummam lucis & boni copiam habuiſſe, quæ minimam quantitatem malignæ portionis vincebat, ut ex Aug. de moribus Man. c. 19. perſpicue demonſtrat Beauſobrius; excluſit ergo ab anima Adam, ante peccatum æquilibrium inclinationis ad bonum, & malum, ex quo pars lucis maxima ad bonum impellens non poſſit in æquilibrio conſiſtere cum minima ad malum impellente.

Præterea Manichæi contendebant, animam, *ante commixtionem cum adverſa ſubſtantia* non potuiſſe malum admittere, cum natura ſua neceſſario ferretur ad bonum; ergo nulla inclinatio ad bonum & malum, ſed ſola atque abſoluta ad bonum neceſſitas in ea locum habuit. PP. ergo non pugnarunt cum Manichæis, ut ab innocentiæ ſtatu *inclinationis æquilibrium* auferrent, cum ipſi tanta vi illud eliminarent, ut ipſam quoque indifferentiam, non diffitente Beauſobrio, prorſus excluderent. Non ergo mentitur hac in parte Beauſobrius affirmans, eccleſiæ PP. conſtituiſſe in eo innocentiæ ſtatu æquilibrium indifferentiæ a Manichæis denegatum. Nam & ipſe Hiſtorico - Criticus non diffitetur, *indifferentiæ æquilibrium in eo ſtatu*

primi hominis donum fuiſſe. Sed in eo ſplendide hallucinatur Beauſobrius, ubi docet, *libertatem indifferentiæ* eſſe perfectum inter bonum malumve æquilibrium, itaut neque ad bonum, neque ad malum inclinet. Ex quo erroneo principio neceſſario ſequitur, in ſtatu naturæ lapſæ, juxta Auguſtini ac Trid. principia, ſublatam eſſe & prorſus extinctam indifferentiæ libertatem. Auguſtinus enim & Trid. Synodus perſpicue docent, Adæ culpa liberum arbitrium amiſiſſe æquilibrium inter bonum & malum, cum exinde infirmum, attenuatum, & ad malum proclive remanſerit. Ita Beauſobrius, Auguſtinum a Trid. doctrina ad Manichæorum dogmata declinaſſe contendit.

Sed plane luſit operam. Falſum eſt enim, libertatem indifferentiæ conſiſtere in æquilibrio voluntatis inter bonum, & malum. Licet enim ex Adæ culpa humanum arbitrium amiſerit æquilibrium, quod habuit in ſtatu naturæ innocentis, remanſit tamen integra libertatis indifferentiæ eſſentia, tum a coactione immunis, tum a neceſſitate. Ubi nota: Hiſtorico-Criticum id in Beauſobrio reprendere quod culpa vacat, ubi vero fraus latet, ejuſque mendacium, non ſolum non accuſat, ſed eum defendit, ejuſque principiis innixus ſtatuit eſſentiam *libertatis indifferentiæ in æquilibrio, idque non ſingulare primi hominis in ſtatu innocentiæ donum fuiſſe, ſed commune omnium hominum beneficium eſſe etiam in ſtatu naturæ lapſæ* confidenter pronunciat. Fallitur tamen vir cl. Libertas quidem indifferentiæ commune eſt, & eſſentiale creaturæ rationalis beneficium, æquilibrium vero non item. Hoc enim ſingulare fuit, & proprium arbitrii hominis ſani in ſtatu innocentiæ, in quo a Deo conditus fuit: nunc autem Adami culpa amiſſum eſt. Remanſit tamen infirmum arbitrium & ad malum proclive, una cum vera poteſtate activæ indifferentiæ ad boni malique ele-

electionem. Nec te moveat, quod Historico-Criticus arbitrium indifferentiæ describens ait, *illud nec in bonum nec in malum irresistibiliter impelli*, quibus verbis solam *irresistibilitatem*, *seu antecedentem voluntatem excludere voluisse* videri posset, quæ revera libertati opponuntur. Non ita est. Sed ea ambigua, atque ænigmatica locutione absurditatem suæ opinionis abscondere curavit. Non enim libertatem, neque indifferentiam activam ibi describit, sed purum putumque æquilibrium, quo quis nec in bonum, nec in malum irresistibiliter impellitur, & sensus est, sublato æquilibrio humanam voluntatem irresistibiliter in bonum, aut in malum impelli, adeoque ad salvandam in homine lapso libertatem, præter indifferentiam activam, etiam æquilibrio opus esse.

Sed hæc doctrina nova est, eaque apud ipsos Molinianos, qui olim nec æquilibrii nomen admittebant, ab annis circiter 50. cœpit obtinere. Hinc plura æquilibrii genera, *inclinationis* nempe, *facilitatis virium, & potestatis*: deerat indifferentiæ æquilibrium, atque istud a Beausobrio mutuum accepit Historico-Criticus in definitione libertatis indifferentiæ, sed hoc æquilibrium nil aliud est, nisi æquilibrium potentiæ ac virium æqualium Augustini aliorumque PP. doctrinæ e diametro oppositum, quodque ab ipso Aug. validissime fuit impugnatum. Distinxit enim S. D. statum naturæ innocentis, & lapsæ: atque in eo quidem homini æquilibrium concessit, in hoc vero negavit. Convenit in eo cum Pelagianis, in hoc vero ab iis omnino recessit. *Vult Julianus*, ait S. D. l. 3. Imp. num. 110., *quod tam liberum sit Deo obedire, quam diabolo.* R. S. P. *Verum dicis, hoc est liberum arbitrium, tale omnino accepit Adam, sed quod datum est a conditore, & a deceptore, vitiatum, utique a Salvatore sanandum est.* Et n. 117.: *Cur tu adminicula gratiæ supponis bonæ voluntati, cum voluntas mala nullo nitatur adminiculo, ut ma-*

mala sit? An hic libra tua, quam conaris ex utraque parte per æqualia momenta suspendere, ut voluntas, quantum est ad malum, tantum etiam sit ad bonum libera, vergendo in unam partem te indicat delirantem. Constat autem, ex primo Aug. loco describi æquilibrium potestatis & virium æqualium tam ad bonum, quam ad malum, sive æquilibrium libertatis, & indifferentiæ: *tam liberum*, inquit, *Deo obedire, quam diabolo*, sed hoc æquilibrium concedit Juliano S. P. in statu naturæ innocentis, negat in statu naturæ lapsæ; ergo æquilibrium indifferentiæ potestatis, & virium æqualium in statu naturæ lapsæ non est Augustini, sed Juliani doctrina.

Quod quidem ex suis principiis fateri cogitur Historico-Criticus, postquam negavit, Augustinum, aliosque PP. in statu innocentiæ æquilibrium inclinationis admisisse. Unde sic arguitur: Augustinus concedit Pelagianis aliquod æquilibrii genus in statu naturæ innocentis, sed hoc per Historico-Criticum non est æquilibrium inclinationis; ergo erit æquilibrium *indifferentiæ potestatis*, & *virium æqualium*, sed hoc negat S. D.; ergo S. D. negat in hoc statu æquilibrium *indifferentiæ possibilitatis*, & *virium æqualium*. In secundo testimonio Augustinus ostendit periisse æquilibrium, ex Pelagianorum principiis, qui præter legem, & doctrinam, atque revelationem, interiorem quoque illuminationem & ipsam interiorem gratiam voluntatis ad bonum *facilius* agendum admittebant, quibus momentis hominis voluntas ad bonum inclinatur; fatebantur ergo Pelagiani, non habere hominem in hoc statu æquilibrium *inclinationis* & *facilitatis*, cum aliunde dicerent, eum nullo indigere adminiculo, sed sua sponte ad malum inclinari; ergo æquilibrium a Pelagianis admissum erat æquilibrium indifferentiæ potestatis, ac virium æqualium, quod S. D. eorum delirium appellat. Libra enim in æquilibrio non est,

eſt, quæ momentis indiget, ut inclinet in bonum, cum ex adverſo propendeat in malum.

Hinc Auguſtinus, aliique PP., ut Pelagianos revincerent, non impugnarunt indifferentiam, quæ juxta catholicam doctrinam eſt ſemper eſſentialis hominis libertati in quovis ſtatu, ſed impugnarunt ſolummodo æquilibrium indifferentiæ, quod eſt *poteſtatis & virium æqualium* tam ad bonum quam ad malum in hoc ſtatu naturæ corruptæ. Poſito namque hoc æquilibrio neceſſario conſequitur, liberum hominis arbitrium non eſſe viribus *attenuatum* & inclinatum, atque concupiſcentiam, non inclinare ad peccatum, contra decretum Trident. Synod., imo contra apertum Pauli teſtimonium. Neque vires attenuatæ dici poſſunt, neque inclinari arbitrium, ſi hujus lances in æquilibrio relinqui aſſeramus.

Fallitur etiam Hiſtorico-Criticus Beauſobrium de mendacio redarguens, ex quo aſſeruerit, *ignorantiam, & concupiſcentiam animam impedire, ne uſum faciat ſuæ libertatis.* Cujus rei rationem proferens n. 22. laud. diſſ. ait: *Nec ignorantia, nec difficultas impedire animam poſſunt, quominus malo culpæ reſiſtat, ſi velit, nec impedire poſſunt, quominus velit.* Quod enim ignorantia ac difficultas neceſſitare non poſſint hominis libertatem verum eſt, quod vero impedire, aut difficilem reddere uſum non poſſint falſiſſimum eſt. Criticus autem neceſſitatem cum obſtaculo ac difficultate confundit. Quare duo illa loca eodem n. 22. ab Aug. deprompta demonſtrant utique, voluntatem in peccando neceſſitate cogi non poſſe, minime vero eam in uſu ſuæ libertatis impedimentum & difficultatem non experiri. Neminem latet quot ea de re argumenta produxerit S. P. adverſus Pelagianos, ut impedimenta & difficultates oſtenderet, quas ignorantia, & concupiſcentia Adæ culpa in ejus poſteros invexere. *Ipſa eſt*, ait S. P. A. l. 3. Oper. imper. c. 87.: *quæ homi-*

nem stimulat ut amet, quod amare non debet. Et l. 4. c. 41. *Urget & compellit hominem facere malum.* Et l. 2. de Nupt. c. 34. eam vocat *vitium, & languorem* naturæ peccato corruptæ. *Languor, quo bene vivendi virtus periit, non est utique natura, sed vitium.* Reapse concupiscentia perpetuum homini bellum indixit, ad malum inclinat, & sanctos ipsos ad lacrymas, gemitusque compellit. Idem de ignorantia judicium esto. Ex quibus constat, Augustino ac Patribus adversari, qui ait, ignorantiam & concupiscentiam nullam in hoc statu humanæ libertati difficultatem, aut impedimentum afferre, sive spectetur relate ad facultatem, aut potentiam, sive relate ad ejus exercitium & usum. Sic enim Adæ noxa nullum quoad vires attulisset homini damnum, adeoque illæsus adhuc *vigor ille maneret,* qui fuit in statu naturæ integræ contra apertam Prosperi, & Augustini sententiam. Asserit quidem Historico-criticus, ignorantiam, & concupiscentiam pœnam esse scribens; *Libertatem animæ in hoc statu non esse libertatem carendi pœna.* Verum, cum pœna ista non noceat, nec primo vigori intellectus, nec primis viribus voluntatis, neutri difficultatem, aut impedimentum ferens, fictitia potius pœna dicenda esset, quam vera. Reapse ignorantiam, & concupiscentiam eo sensu pœnam vocat Criticus, non quod intellectum obcæcaverint, aut voluntatem labefactaverint, sed pœnam dicit tantum extrinsece, & per accidens, prout etiam nunc extant in homine lapso donis gratuitis originalis justitiæ destituto. At non ita sane Bellarminus, qui l. 5. de Amiss. gr. c. 13. testatur, affirmari ab Augustino concupiscentiam nedum pœnam esse, sed etiam in se & absolute malam, cum vitium naturæ sit, semper tendens & inclinans ad malum.

Fallitur tandem Historico-criticus putans, impedimenta, & difficultates boni usus arbitrii ab *ignorantia excæcante,* & *dif-*

difficultate cruciante profectas, ut loquitur S. P. A., resistendi libertatem adimere. Hæc enim libertas remanet in homine, sed ea libertate numquam bene uti poterit, nisi a Christi gratia præveniente adjuvetur. Ceterum non in eo erravit Beausobrius, ex quo asseruerit, concupiscentiam animam impedire, ne anima sua libertate, sive, ut ipse ait, *sua potestate* utatur, sed quia Manichæis doctrinam tribuit, quæ Augustini est, & scholarum catholicarum, qua de re Augustinum velle cum Historico-critico defendere contra Beausobrium, non est ipsum defendere, sed est ipsum Augustinum victum exhibere Beausobrio.

CAPUT IV.

Diluuntur sophismata Adversariorum adversus universorum redemptionem.

NOT. I. Christum, licet pro omnibus mortuus sit, specialiter tamen pro aliquibus mortuum esse, quibus fidei, sanctitatis, & perseverantiæ beneficia conferuntur; habetur enim Jo. 17., Christum specialiter pro electis orasse: *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi;* & 1. Tim. Christus dicitur *Salvator omnium, maxime fidelium.* II. ex Trid. sess. 6.: *Pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt.* III. S. P. Ps. 87. ait: *Solis prædestinatis ejus bona opera profuisse.* Et Tr. 25. in Jo., eum a Patre traditum scribit pro *prædestinatis, justificatis, glorificatis.* S. Prosp. obj. 9. *Cum rectissime dicatur pro totius mundi redemptione crucifixus; potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit.* IV. Accedit ratio, quia non omnes, qui vocantur, sunt electi, cum tamen electi simus in Christo ante mundi constitutionem; non ergo Christus pro omnibus mortuus est, ut singulis eadem gratia conferatur, alias peculiaris Christi erga electos benevolentia in hac sententia dignosci non posset.

Si quæras, cur Chriſtus pro omnibus mortuus, aliquibus tantum paſſionis ſuæ fructum applicare voluerit, & gratiam perſeverantiæ conferre? R. Cum Auguſtino. *Quibus deeſt pœna peccati eſt, quibus datur ſecundum gratiam datur, non ſecundum debitum:* ut enim ait S. Proſper obj. 7.: *Confitendum eſt, & miſericorditer eum dediſſe, & juſte non dediſſe, quod non dedit. Inſcrutabilia enim ſunt judicia ejus*, ait Apoſtolus.

Not. II. Docent Moliniſtæ, Chriſtum ita mortuum eſſe pro omnibus, ut ſingulis applicentur remedia ſufficientia, quibus poſſint bene operari, & ſi bene operaturi prævideantur, etiam congrua. Quæ ſententia ab iis non probatur, qui gratiam per ſe efficacem propugnant. Deinde hæc illatio, Deus voluit dare Chriſtum redemptionem pro omnibus; ergo omnibus præparavit ſufficientia remedia per Chriſtum, negatur *tamquam non diſſimilis* Maſſilienſium objectis a Lovanienſibus, & Duacenſibus, in quorum ſententia: *Chriſtus Redemptor eſt omnium quoad pretii ſufficientiam; non eſt autem Redemptor omnium ſecundum efficaciam, quia non omnibus per eum datur, ut credant.* Tandem Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, dogma fidei eſt, gratiam omnibus conferri, eſt quæſtio adiaphora; ex quo ergo Chriſtus pro omnibus mortuus ſit, non ſequitur omnibus gratiam eſſe collatam.

Not. III. In ſententia Thomiſtarum, qui antecedentem, & conſequentem in Deo voluntatem diſtinguunt; fatemur Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe voluntate antecedenti, cujus effectus eſt inſtitutio cujuſdam ordinis, complectens cauſſam, & remedia. Ita per D. Th. 3. p. q. 49. art. 1. *Chriſtus ſua paſſione nos a peccatis liberavit cauſſaliter: ſicut ſi medicus faciat medicinam, ex qua poſſint quicumque morbi ſanari.* Non eſt tamen mortuus, quoad voluntatem conſequentem, cujus effectus eſt ordinis executio, ſive applicatio remedii, quo ſenſu *Paſſio Chriſti*, ex D. Thoma ibidem,

ſorti-

sortitur effectum suum in iis, quibus applicatur per fidem & caritatem, & per fidei Sacramenta, & ideo damnati in inferno effectum ejus percipere non possunt. Ex qua doctrina tria sequuntur. Primum ad generalem illam voluntatem sat est, quod Christi passio præcesserit ut caussa universalis, seu remedia instituerit, nec opus est, ut reapse applicentur, aut gratiam, aut caritatem a singulis actu participari. II. Ut quis dicatur redemptus, debet esse in statu, quo possit conjungi cum Christo, ut infideles, aut conjungatur actu, ut justi. III. Non omnes fuisse voluntate consequenti redemptos æqualiter, quia non omnibus æqualiter ejus passio applicatur, unde locum Apostoli: *Vult omnes homines salvos fieri*, explicat S. P., *pro generibus singulorum*, & aliquando affirmat, Christum orasse tantum pro ovibus suis, eo quod iis tantum applicentur remedia salutis.

Not. IV. Hanc veram esse, cum de voluntate salvandi omnes, tum de omnium redemptione doctrinam. Et prob. I. ex Ap. Rom. 3. ubi de Christo ait, *quem proposuit nobis propitiationem per fidem, in sanguine ipsius*; ergo Christus est propitiatio omnibus proposita, sed quæ per fidem & gratiam applicatur nobis ad percipiendum fructum ipsius, ut ait S. Th. q. 49. art. 1. ergo aliud est ad numerum redemptorum spectare, aliud fructum redemptionis percipere. Hinc Trident. Syn. sess. 6. c. 3. ait: *Etsi pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii tantum, quibus communicatur*. idem tradit Catechismus Romanus. Eadem est perpetua S. P. August. & Prosperi doctrina. Hinc petitur ratio theologica: nam ideo Adam universam naturam infecit, quia omnes ab eo carnaliter generantur; ergo hominibus non convenit redemptionis *proprietas*, nisi spiritu regenerentur in Christo; missis ergo variis ea de re scholarum opinionibus, dicimus, juxta sensum Conci-

liorum, ac Patrum; omnes homines a Chriſto redemptos, quatenus propoſita eſt omnibus propitiatio per fidem in ſanguine ejus, quatenus ſua paſſione inſtituit cauſſam, & pretium obtulit noſtræ liberationis, & hæc eſt voluntas antecedens, quæ connotat ordinis inſtitutionem. Pro generibus autem ſingulorum Chriſtus eſt mortuus, quatenus applicatur paſſio Chriſti, aut per fidem, aut per caritatem, aut per ſacramenta, quatenus non omnes mortis ejus beneficia percipiunt, quatenus ad multos tantum fructus redemptionis pervenit, & fructus mortis Chriſti electi ante mundi conſtitutionem percipiunt, atque hæc eſt voluntas conſequens connotans remedii applicationem.

Ob. I. Matth. 26. habetur: *Hic eſt ſanguis novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur.* Joan. 17. *Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt.* Hebr. 9. *Chriſtus ſimul oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata;* ergo &c. R. neg. conſ. His enim locis, ut ait Catechiſmus Romanus, *cum de fructibus paſſionis ſermo eſſet, recte factum eſt,* ut *pro univerſis non diceretur.* Atque huc ſpectant verba Apoſt. *Chriſtus ſemel* &c., & Joan. 17. *pro eis rogo* &c. Poſſumus etiam *multos* accipere pro omnibus cum Auguſtino l. 3. contra Julianum c. 3. ut illud Rom. 5. *Unius delicto multi mortui ſunt;* quo ſenſu Chriſtus mortuus eſt pro multis, ideſt pro omnibus quoad remedii inſtitutionem, & ad pretii oblationem, quia pro omnibus crucifixus eſt.

Ob. II. S. P. Tr. 1. in Joan. illud Joannis: *Eſt propitiatio pro peccatis totius mundi;* nomine totius mundi Eccleſiam deſignari docet, & Tr. 100. ait: *pro mundo non rogat, neque enim qui ſit prædeſtinatus ignorat.* Et de Adult. conjug. 15. *Non omnis, qui homo eſt, ſanguine Chriſti redemptus eſt;* ergo per Auguſtinum non pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.

R. diſt. conſ. Chriſtus non eſt omnium redem-

ptor,

ptor, mediator &c. quoad oblationem pretii, institutionem remedii, & Sacramenti virtutem, neg. quoad passionis fructum, applicationem remedii, & redemptionis proprietatem, conc. Solutio patet ex dictis.

Inst. S. P. l. 21. de C. D. 24. ait, quod si Ecclesia *nosset, qui sunt prædestinati in ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso*, ergo neque oravit Christus, cui cognitus est numerus reproborum.

R. Missis variis doctorum opinionibus, quas vide apud auctorem. Neg. cons. Ecclesia enim non oraret pro dæmonibus, atque damnatis, quia, cum viatores non sint, nec Christo uniuntur, nec sunt in potentia, ut Christo uniantur, atqui viatores omnes, aut habent, aut possunt habere partem in præparatione, aut exhibitione remedii, quia vel sunt uniti Christo, vel possunt uniri; ergo Christus pro iis & oravit, & mortuus est, quantum ad communem caussam pertinet, atque pro ipsis pretium obtulit, & remedia salutis instituit, alias non esset mediator Dei & hominum, medicus, & reparator. Ita S. Th. 3. p. q. 8. 3. Christus ergo, etsi nosset, plures esse prædestinatos ad mortem, eos tamen moriendo redemit, quia, *quantum in medico est, sanare venit ægrotum*. Ecclesia vero non orat, ut instituantur, sed ut applicentur remedia salutis, ut qui stant non cadant, & iniqui convertantur, superfluum vero esset pro iis orare, quos certo nosset, cum diabolo esse cruciandos, adeoque non pro iis oraret.

Inst. Non videtur hæc responsio cohærere cum iis, quæ supra diximus, Christum pro crucifixoribus orasse clamando, *sitio*, & dicendo, *pater ignosce illis*; ergo falsa est. R. neg. ant. Christus enim in ea universali prece complexus est singulari affectu, quos ex amicis amicos futuros esse prænovit; atque ita, cum oraret pro omnibus, solvens pretium, & instituens remedia, quantum ad horum applica-

tionem,

tionem, oravit pro solis prædestinatis, quibus ea profuere, ut ait S. Prosper ad Obj. Gall. & S. Th. 3. p. q. 21. a. 4. ubi ait, omnem Christi orationem fuisse exauditam, & omnem voluntatem ipsius fuisse impletam.

Ob. III. Eo sensu Christus pro omnibus mortuus est, quatenus una cum Patre vult omnes homines salvos fieri: sed hæc voluntas exponitur ab Augustino de generibus singulorum; ergo &c. II. Hæc voluntas est in Deo metaphorice; ergo non proprie. III. quia non omnibus conferuntur auxilia sufficientia; ergo &c. IV. Christus est Redemptor omnium, quoad solutionem pretii, vel quoad ejus applicationem, sed primum non negat Jansenius, secundum est falsum; ergo &c.

R. dist. min. Exponit quoad applicationem mediorum & donum perseverantiæ, conc., quoad remedii institutionem &c. neg. Solutio patet ex dictis. Eodem modo. R. ad II. Ad III. neg. cons. Nam conferre gratiam &c. non spectat ad rationem universalem redemptionis, quæ sita est in valore pretii, & institutione remedii, ubi locum habet voluntas antecedens, sed spectat ad applicationem, in qua locum habet voluntas consequens. Ad IV. dist. min. Jansenius non negat sufficientiam pretii, negat tamen institutionem remedii, & caussæ liberationis, exhibitionem hujus pretii, & præparationem mediorum conc., secus, neg. Jansenius ergo eandem esse caussam reproborum viatorum, ac diaboli impie affirmavit, atqui, licet ad eorum redemptionem habeatur pretii sufficientia, non habetur tamen institutio remedii, & caussæ liberationis; ergo pro reprobis viatoribus Christus per Jansenium mortuus non est: sicut ex quinta damnata propositione evincitur.

LIBER XVIII.

De variis ſcholarum opinionibus circa gratiam.

SCHOLARUM placita circa gratiam ita expendemus, ut proſcriptos errores execrantes, ab Auguſtini doctrinis, ne latum quidem unguem recedamus. Eſt autem hujus libri duplex diſſertatio. Prior neceſſitatem, poſterior vero gratiæ collationem ipſam complectitur.

DISSERTATIO I.

De gratiæ neceſſitate.

GRATIÆ neceſſitatem ad legis notitiam, ad opus moraliter bonum, ad præcepta ſervanda, ad vitanda peccata, atque ad perſeverantiam breviter hoc loco monſtrabimus.

CAPUT I.

De gratiæ neceſſitate ad cognoſcendum verum naturale, ſive ad legis notitiam.

VERITATES naturales, aliæ ſpeculativæ ſunt, aliæ practicæ, iſtæ in operatione vel praxi, illæ in veritatis contemplatione verſantur. Ea vero operatio, ſi ſpectet ad officia virtutum, illius cognitio dicitur *moraliter practica.* Dicimus ergo, poſſe quemlibet hominem hanc veritatem etiam practicam, puta: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*, aſſequi per lumen rationis, dummodo a ſenſuum illecebris ad lumen indefectibile attendat, nec omnia abſque ſpeciali dono attingere poſſe confidat, quod S. Proſper docet in epigrammate:

Scrutari legem poſſunt utcumque quieti,
Si mundi a ſtrepitu libera corda vacent.

PROPOSITIO I. Poteſt quis veritatem naturalem nedum ſpeculativam, ſed etiam practicam ſine gratia attingere, dummodo a ſenſuum fallaciis ſe ſe ad intimam veritatis claritatem convertat.

Prob.

Prob. I. pars. I. Naturaliter enim, ac sola visibilium contemplatione, aut conscientia præcipimus unum esse Deum conditorem universorum; animam esse immortalem &c. II. Constat per Aug. l. 1. ad Simpl. *Bonum ingenium, ac honestas disciplinas ante gratiam salutarem comparari*; ergo &c. III. Christus mortuus est, ut justificemur, non ut philosophi, & mathematici fiamus; ergo ad hoc non opus est gratia Christi. IV. Dæmones absque ulla gratia sunt sapientia naturali ad miraculum exornati; ergo &c. V. Peccato Adæ lumen rationis extinctum non est, licet vulnus contraxerit; ergo &c.

Prob. II. pars. I. Ex Aug. l. 1. de Trin. 13. *Quidquid prudenter, fortiter, & juste agimus, non ad sapientiam, sed ad eam pertinet scientiam, qua in evitandis malis, bonisque appetendis actio nostra versatur.* Et Beda in 2. Rom. ait: *Manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit, quod tibi non vis alteri ne feceris:* ergo etiam veritas practica naturaliter cognoscitur. Prob. II. Ratione. Hæc enim legis naturæ principia nequeunt invincibiliter ignorari; ergo &c. Deinde sola natura duce plurima naturæ legi conformia tradidere Cato, Tullius, Seneca, Plato &c. ergo &c.

Prob. III. pars. Constat enim, Atheos, sensuum fallaciis abreptos divini numinis existentiam negasse, Epicureos animorum immortalitatem, Politicos proximorum necem intentasse ad proprium commodum; recte ergo monet Prosper, ut a *mundi strepitu corda vacent.* Dixi naturalem hominis facultatem non posse in hoc statu singulas veritates *collective* acceptas attingere. Ut enim ait S. P. l. 1. Retr. c. 9. *ad miseriam justæ damnationis pertinet ignorantia, & difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis suæ*, unde Eccles. 8. habetur: hominem *non posse invenire rationem eorum, quæ fiunt sub Sole.* Recte Olympiodorus in Catena

na Græc. PP. ait : *Nullus ſapiens perfecte poteſt univerſi cognitionem aſſequi.*

Propositio II. Ut mens piis ſtudiis intenta juvetur ad æternam vitam requiritur gratia.

Prob. ex Ap. 1. Cor. 1. *In gratia Dei, quæ data eſt vobis divites facti eſtis in omni ſcientia*, & 2. Cor. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis*; quæ verba exponunt PP. de cogitatione recti operis. Hinc. Pſ. 118. Pſaltes Regius ſic Deum orat : *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam.* Et Conc. Mil. c. 4. ait : *Donum Dei eſt ſcire quid facere debeamus*, & Arauſ. II. c. 9. *Divini eſt muneris cum recte cogitamus.* Et S. P. l. 6. contra Julianum c. 6. *Accepimus ſpiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus, quæ a Deo donata ſunt*; ergo &c.

Ob. I. contra 1. Propoſ. Si quis naturaliter veritatem percipere poſſet, docti homines gloriari poſſent contra imperitos, ſed hoc adverſatur Apoſtolo qui ait 1. Cor. 4. *Quis te diſcernit?* ergo &c. II. Falſum eſſet quòd ait Apoſt. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis.* III. Fruſtra intellectum poſceremus cum Pſalmiſta ; ergo &c. IV. Falſo diceret S. P., ignorantiam gratia ſanari, aut Gregorius hominem naſci cæcum. V. Si gratia non opus eſſet ad aliquas veritates ; ergo neque ad omnes.

R. neg. min. Apoſtolus enim loquitur de fide, & aliis gratiæ donis, in quibus nemo diſcernitur donis naturæ bonis ac malis communibus. Ad II. neg. ant. Loquitur enim Apoſtolus de ſancta cogitatione ad virtutem trahente, quam ſine gratia habere non poſſumus. Ad III. neg. ant. Orando enim non poſcimus cognitionem ſterilem & inflantem, ſed quæ ſit lucerna *pedibus noſtris in via mandatorum.* Ad IV. neg. ant. Auguſtinus enim & Greg. hominem cæcum vocant, quia ſola natura nequit dirigere greſſus ſuos. Ad V. neg. ſequelam maj. quæ eſt prorſus inepta, ac ſi dicas : poteſt

quis

quis infirmus ambulare, ergo currere. Nequit ergo homo rerum omnium ſcientiam ſibi comparare ob virium imbecillitatem, & rerum amplitudinem.

CAPUT II.

An ad peragendum opus moraliter bonum neceſſarium ſit gratiæ adjutorium.

NOT. I. Cenſent noſtrates ferme omnes Greg. Ariminenſis, Gaſpar, Caſalius, Noriſius, Manſo, Wanroy, Guerrero, quibus ſubſcribunt Macedo, Bona, Alexander, Ubigant, La-Croix, aliique, poſſe hominem abſque ſpeciali gratia bonum agere *ex objecto*, ac ſpectato virtutis officio, ſi vero finis inſpiciatur, negant hujuſmodi opus bonum eſſe, quod in Deum non referatur: hanc enim conditionem operi nulla ex parte vitiato neceſſariam eſſe propugnant ut ſit undequaque bonum.

Not. II. Neceſſitatem gratiæ ad omne opus bonum morale nullo vitio infectum Vaſqueſius, Ripalda, Poncius, aliique defendunt; imperite ergo hæc ſententia veluti Bajana, aut Queſnelliana traducitur tum ob eximios viros ſupra laudatos, tum ob maximam hos inter & Novatores diſcrepantiam. I. enim fatentur ii, ſine vitio eſſe in quovis improbo appetitum beatitudinis. II. Negant motus indeliberatos imputari ad damnationem. III. Admittunt actualem gratiam ſine remiſſione peccatorum, cum hanc negent Novatores. IV. tandem contra Bajum etiam ab infidelibus ac perditiſſimis hominibus, aliquid boni interdum fieri per gratiam affirmant; ergo &c.

Not. III. Docet Vaſqueſius, ad bona opera moralia ſpeciale auxilium gratiæ requiri, ſed hanc gratiam naturalem eſſe, licet indebitam, & ex Chriſti meritis provenientem, qua in re a Suareſio reprehenditur, quaſi gratiam Pelagianam admiſerit, ſed plane injuria. Cum enim honeſtam cogitationem ob Chriſti merita inſpirari deſerte pronunciet, ſuperna-

pernaturalem gratiam, & a Pelagiana diversam agnoscit. Naturalem autem vocat, quatenus cogitatio congrua præveniens opera bona, puta stipem pauperi erogandam, non proponit objectum supernaturale, sed intra naturæ ordinem amandum, aut fugiendum honesto fine, quod in hoc statu fieri nequit sine gratia: quo sensu cl. Scholasticos veram Christi gratiam naturalis ordinis propugnasse docet Bas. Poncius.

Not. IV. Censent Thomistæ communiter, teste Goneto, cum Soto, Bellarmino, Suaresio &c., honestam cogitationem moralem excitantem voluntatem ad opus, non alium exigere Dei operantis concursum, præter eum, qui naturali providentiæ lege cuique præsto est. Ajunt enim, opera moralium virtutum seipsis in Deum ultimum finem referri per relationem sibi intrinsecam. Pauci tamen hanc arbitrio facultatem, sed gratiæ in arduis operibus tribuunt.

Not. V. In tanta opinionum varietate memoria repetendum est, legem incommutabilis veritatis, qua quisque judicat de objectis, non esse speciem a sensibus haustam, sed Deum ipsum: ut ait S. P. de ver. Rel. c. 30. *Hæc lex, cum sit incommutabilis, mens vero mutabilitatem pati possit erroris, satis apparet, supra mentem nostram esse legem, quæ veritas dicitur. Nec ambigendum est, Deum esse;* ergo vitiosum est quidquid ab ea lege deflectit. *Vitium* enim per August. ibidem c. 20. *est voluntas ea faciendi, quæ vetat summa veritas.* Nam si mens hanc veritatem in se, ut in patria, respiceret, non fieret vitiosa, quia nulla apparentium bonorum deciperetur imagine; ergo per August. vitium est, quando anima a bono æterno ad temporale deflectit, a summo ad infimum. Id vero in hoc statu corruptæ naturæ facile evenire explicat S. P. cap. 21. quia: *Temporalium specierum multiformitas, ab unitate Dei hominem per carnales sensus diverberavit, & mutabili varietate multiplicavit ejus affectum.*

Hæc eſt per Auguſt. origo vitiorum. Erit ergo ex oppoſito virtus, cum humanum opus intimæ ac ſummæ veritati erit conſentaneum. Nam per Auguſt. l. 5. de C. D. 12. *non eſt vera virtus, niſi quæ ad eum finem tendit, ubi eſt bonum hominis, quo melius non eſt*, ſicut enim virtus in eo non eſt, qui ab alio deprimitur, ſic non erit in animo, dum ab æquali vel inferiori dejicitur. His prænotatis ſit

Propositio. Plerumque impii bonum gerunt, quod majori vitio obruitur, quodque ad ſalutem, ſine Dei gratia non prodeſt, quod vero bonum ſine gratia vitio non careat, pluribus momentis oſtendunt Auguſtini diſcipuli.

Priores duas partes c. ſeq. oſtendemus, tertiam vero, nimirum gratiam eſſe neceſſariam ad omne opus bonum etiam ordinis naturalis, ut ſit bonum undequaque, probant noſtrates 1. ſcripturis ex 1. Joan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere*, & ex Arauſ. II. c. 22. *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium, & peccatum*; quidquid ergo boni facit homo a Deo eſt.

R. Adverſarii, ſenſum ſcripturæ, & Concilii eſſe, *omnino nihil boni ſine gratia, quod ad pietatem pertinet, veramque juſtitiam fieri poſſe*, ut explicat S. P. de Gr. 26. Idem docet Arauſ. II. & PP. Concilii Carth. in ep. ad Zoſimum. Deinde ſine Deo moralia opera non peraguntur, requiritur enim concurſus ſupremæ cauſſæ in ordine naturalis providentiæ. Sed contra inſtant Noſtrates. Nam inter veram juſtitiam, & vitium, per Aug. non datur medium, ſicut non datur inter incommutabile bonum, & temporale, in quod vitioſum opus refertur, ut ait S. P. l. 4. contra Jul. c. 3. ſi ergo nequit homo ſine gratia facere aliquid ſpectans ad veram pietatem, nec poterit facere aliquid bonum undequaque. II. S. P. & Milev. Synodus ajunt, hominem non habere de ſuo, niſi mendacium, & peccatum, ſed opus moraliter bonum, non eſt peccatum; ergo ſine gratia fieri nequit. *Si ergo*, ait S. P. Tr. 5. in Jo. *qui loquitur mendacium de ſuo loquitur, qui*

loqui-

loquitur veritatem de Deo loquitur. Nemo ergo de suo habet bonum aliquod, etiam morale, ideſt a veritatis regula non deflectens. Ad alterum ſic urgent noſtrates: Naturalis concurſus non deeſt homini mentienti, & peccanti, nec tamen quis recte diceret, neminem ſine Deo peccare, aut mentiri non poſſe; ergo his verbis, *ſine me &c.* oſtenditur concurſus ſupernaturalis, ut PP. & Concilia exponunt contra Pelagium.

Prob. II. Noſtrates ex Auguſtino ep. ad Hilar. 89. ubi ait: *Liberum arbitrium deſertum divino adjutorio, quantalibet ſcientia legis excellat, nullo modo habebit juſtitiæ ſoliditatem, ſed inflationem ſuperbiæ*, & Serm. 13. de Verb. Ap. *Prorſus*, ait, *ſi adjutorium Dei defuerit, nihil boni agere poteris;* ergo &c. R. Adverſarii: liberum arb. nihil poſſe ſine gratia, in ordine ad juſtificationem, & vitam æternam. Sed contra. Nam per Auguſt. opus ſine gratia habet inflationem ſuperbiæ; ergo non eſt undequaque bonum. Deinde, ſi poſſumus abſque gratia bonum naturalis ordinis inculpate agere, poſſumus etiam ſervare naturæ legem, ac Deum diligere, & ſic conſequi vitam æternam, juxta Evangelium Matth. 19.: *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata;* erit ergo vita æterna alia a regno Dei.

Prob. III. Noſtrates hanc ſententiam ratione Theologica. Non eſt enim opus undequaque bonum, quod in Deum, ut in finem non refertur, ſed nequit opus ad Deum referri ſine gratia, ad hoc enim requiritur, ut diligatur Deus amore benevolo, & efficaci ſuper omnia, quod fit cum ad eum actus ſinguli referuntur, nequit autem Deus ſic diligi abſque gratia; ergo &c. Prob. maj. ex Aug. l. 19. de C. D. 25. ubi ait, *virtutes, cum ad ſeipſas referuntur, non virtutes eſſe, ſed vitia:* adeoque virtutes Romanorum, a Juliano commendatas, utpote a fide & caritate disjunctas, philautiæ vitio fuiſſe corruptas. 2. virtus non ab officio, ſed a fine di-

ſcernitur, finis vero creaturæ rationalis nullus eſt, niſi Deus. R. Adverſarii: ad opus bonum morale ſat eſſe, ſi ad ultimum finem referatur *negative*; ideſt non tendat ad finem inhoneſtum, cum ipſa moralis virtus intrinſeca ſui bonitate in Deum ultimum finem referatur, quæ doctrina poteſt admitti, ait Noriſius (1), quia S. P. ait virtutes gentilium vitiari, quod ii apud ſe, vel apud alios gloriam quærerent. Sed contra, ajunt Noſtrates, *admitti poteſt*; ſed eam non eſſe Auguſtini ex eo probant, quod S. P. inflatam eſſe doceat virtutem, ſi referatur ad ſe ipſam. Deinde S. P. non ſolum Epicureos redarguit, qui finem in voluptate conſtituunt, ſed etiam philoſophos, qui virtutem *propter ſeipſam putant appetendam*. III. Ad opus bonum morale non ſat eſt, ſi referatur ad finem per rectitudinem intrinſecam, quia hæc bonitas phyſica eſt, non moralis, & opus bonum ex officio, & perverſum ex fine, puta eleemoſynæ erogatio ad inanem gloriam, dici nequit bonum undequaque: quia *bonum ex integra cauſſa*, ibi autem eſt intentio perverſa; ergo &c. His argumentis, aliiſque ſententiam ſuam tuentur noſtrates.

Ob. I. Adverſarii ex ſcripturis illud Ap. Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt*, quem locum eſſe accipiendum *de gentibus fidei gratiam non habentibus* conſtat ex damnata propoſitione 22. Baji, item ex 25. *Omnia opera infidelium ſunt peccata*, & ex 27. *Liberum arbitrium ſine adjutorio Dei nonniſi ad peccandum valet*. R. Noſtrates ex Aug. l. 4. contra Julianum, a quo hic locus eidem objicitur, Apoſtolum loqui de

(1) Hanc doctrinam ſpeculative admitti poſſe, utique non diffitetur Noriſius, practice tamen & reapſe vix fieri poſſe putat vir cl. ut qui ad finem ultimum, ſaltem virtualiter non refert opus bonum, illud aut philautiæ vitio, aut terrena cupiditate contaminari non ſinat.

de gentibus ad fidem converſis, & τὸ *naturaliter* accipiendum per oppoſitionem ad Legem Maſaicam, non ad gratiam. Baii propoſitiones proſcriptæ ſunt, quod ille ſolam gratiam habitualem, vel certe juſtificantem agnoſceret, & nullum in peccatore opus admitteret, quod peccati macula intrinſece non vitietur (1). Sed contra. Nam per Auguſtinum, & Proſperum docent, a gentibus plura naturaliter fieri ſecundum juſtitiæ regulam, laudabilia, quia detrita in eis omnino non eſt Dei imago; nec rationis lumen extinctum. Articulus autem Baji 27. non relate ad alios ejus errores, ſed propter falſitatem, obviumque verborum ſenſum proſcriptus eſt; ergo &c.

Ob. II. Ex Patribus, Origenem, Chryſoſtomum, Hieronymum, Gregorium &c. qui docent, gentiles philoſophos ex viribus naturæ potuiſſe caſtos eſſe, liberales &c. Laudant etiam Auguſtinum, qui inter amorem perfectum ad ſalutem adducentem, & perverſum a divina & humana lege damnatum, enumerat honeſtos amores, licitos, & natu-

(1) Putabant Lutherani, omnia infidelium opera eſſe peccata *mortalia*. Hinc theologi Catholici hanc ex adverſo theſim opponebant: *Falſum eſt, omnia opera infidelium eſſe peccata mortalia.* Ita Jo. Maria Veratus Ferrarienſis Carmelita in Apol. operis inſcripti: *Diſputationes adverſus Lutheranos.* Venetiis an. 1544. Talis eſt ſenſus Prop. in Bajo damnatarum, ut conſtat art. 20. de quo infra. Ubi nota: ad hoc ut opus ſit bonum etiam ratione finis, non opus eſſe relatione actuali, ſed virtualem ſufficere, atque utriuſque omiſſionem eſſe per ſe culpam venialem, non mortalem. Qui ergo ob venialem culpam, Catholicorum ſententias vellicare non verentur, videant, quam præter rem Bajano felle illas aſpergant.

naturæ conſentaneos; ergo &c. Unde S. Th. 1. p. q. 109. ait, poſſe hominem etiam in hoc ſtatu aliquod bonum agere. R. Noſtrates: plura fieri ſine gratia, quæ bona ſunt quoad *ſubſtantiam*, non quoad *modum*, & relate ad ultimum ſinem: ita S. P. ex dictis. Aug. ergo l. cit. diſtinguit in honeſtis amoribus amicitiam rationis, qua diligimus hominem propter fidem, & mutuam benevolentiam; ſicut ergo filios, & amicos, quos hac ratione diligimus, volumus eſſe incolumes, ita qui intelligit, quænam ſit vera ſalus, debet illam amare in ſe, & in amico; ſi enim hanc veram ſalutem deſeramus amando creaturam, nos fieri adulteros probat ibi S. P. ergo &c. D. Thomas autem loc. citato expreſſe docet, non poſſe hominem lapſum agere totum bonum, ſibi connaturale, ut in nullo deficiat, adeoque poſſe bonum moraliter operari ait, *quoad ſubſtantiam*, non *quoad modum*. Unde negat, actum eleemoſynæ eſſe homini connaturalem, *in quantum inducitur ex caritate, quæ mentem hominis Deo unit*; ergo per D. Th. ad opus undequaque bonum, ideſt quoad ſubſtantiam & modum, gratia & caritate opus eſt, *quæ mentem hominis Deo unit.*

Ob. III. Ex ratione. I. enim obſtetricibus Ægyptiis, Cyro, Romaniſque moralium virtutum mercedem Deus reddidit temporalem. II. Quia nec lumen rationis, nec liberum arbitrium eſt prorſus extinctum, ut Bajus docuit; ergo &c. III. Auguſtinus ep. ad Evod. virtutes Gentilium imitandas proponit; ergo bonæ ſunt. IV. Gratia opus eſt ad luctam ſuperandam inter rationem, ac ſenſum: ſed hæc lucta non eſt, ex. gr. in amico redamando, debito reddendo uxori &c. ergo &c. V. Ad opus moraliter bonum ſat eſt, ſi non referatur in pravum finem; ergo &c.

R. Noſtrates: aut ea bona opera facta non eſſe abſque gratia, aut ideo iis redditam eſſe mercedem *temporalem*, quod bona eſſent ex officio, non *æter-*

æternam, quia non essent bona undequaque. Ad II. dist. ant. Non est extinctum quoad officia virtutum, conc. & licet non sit extinctum, est tamen infirmum, debilitatum, & invalidum quoad finem, ut sint bona undequaque, neg. Ad III. dist. ant. Proponit quoad officium, conc. quoad finem, neg. Alias fas esset operari ob inanem gloriam, ut gentiles, quos ibi reprehendit S. P. Ad IV. dist. min. Non est hæc lucta relate ad objectum honesti operis, conc., relate ad finem, neg. Terrena enim cogitatio aggravat animam, ne sursum ascendat. Ad V. dist. ant. Ad opus bonum, quoad substantiam, conc. ad opus bonum undequaque, neg. Sequitur ex dictis, eum, qui operatur ob ingenitam ideam honestatis, agere posse opus bonum, & vitio destitutum, quia vitium non est, nisi a voluntate faciendi, quod vetat æterna lex veritatis, quæ non est in homine lapso omnino detrita; adeoque menti potest exhibere opus honestum: neque ad hoc opus est gratia fidei. Concedimus ergo virtutes esse superbas, si referantur ad se ipsas, negamus tamen ad se ipsas referri, si fiant ob ingenitam rationem honestatis; hæc enim ratio, cum sit una, summa, & immutabilis, ipse Deus est intime nobis præsens, non ut speciale objectum, sed ut universalis regula veritatis. Atque opera huic regulæ consentanea, etsi in Deum non referantur *explicite*, *implicite* referuntur, quia intentione animi opera illa fiunt ob intimam legem honestatis, quæ implicite est ipse Deus, quod sufficit ad opus bonum morale ordinis naturalis.

Hæc tamen licet *speculative* vera sint, practice tamen dicimus, nusquam hominem lapsum agere convertendo se ad illam intimam legem, absque philautia, ideoque opus bonum quodlibet fieri ex gratia. Nil est enim ait S. P. l. 4. contra Julianum c. 3. *rationali mente præstantius, unde fit conseq., ut mens bona magis sibi placeat, quam quælibet alia creatura, & per hoc tumescit tipho, & morbo inflationis*

tionis extollitur. Ut enim in praxi opus honeſtum ſit, non debet a ſumma lege deflecti, atqui homo ſine gratia magis delectatur ſeipſo, quam ſummo bono, prævalet enim rationi concupiſcentia, cui per Auguſtinum ſine gratia ſuccumbimus; ergo licet ſpeculative poſtrema ſententia vera fortaſſe eſſe poſſit, practice tamen veriſſima eſt altera. Verum hæc non ita rigide tenenda eſt, ut vitioſum illico dicatur opus, quod explicite non refertur in Deum.

CAPUT III.

Quid ſentiendum ſit de infidelium operibus?

SOLVITUR hoc dubium a D. Proſpero ſequenti epigrammate:

Quamvis multa homini, poſt vulnera prima ſuperſint,
Quæ vitam hanc faciant laudis habere decus,
Si tamen ingenio claro, & probitatis amori
Fons deſit fidei ſubdita corda rigans,
Cunctarum frugum marceſcit inutile germen,
Nec fruitur vero lumine falſus honor.

PROPOSITIO I. Plura fiunt ab infidelibus, quæ ex officio laudem merentur, nec ratione operis ſunt peccata.

Prob. I. Ex c. 7. ſeſſ. 6. Trid. Syn. ubi habetur: *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, eſſe peccata, anathema ſit.* Et ex Conſtantienſis ſeſſ. 15. damnatum eſt aſſertum Wiclefi: *Omnia peccatoris opera ſunt peccata.* Damnatus eſt etiam 25. Baji art. *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & philoſophorum virtutes ſunt vitia.* Differt autem Wiclefus, & Calvinus a Bajo in eo, quod illi etiam juſtorum opera ob concupiſcentiæ labem vitiata eſſe cenſeant, non Bajus. Prob. II. ex Patribus. Baſilius Hom. in 1. Prov. ait: *Sunt & apud nos virtutes ſecundum naturam.* Nazianzenus Or. 31. ait: *Alii natu-*

naturæ indole ad virtutem tendunt. S. P. de Sp. & Lit. 27. ſcribit: *Etiam impiorum quædam facta vel legimus, vel novimus, quæ ſecundum juſtitiæ regulam merito laudamus. Quia non adeo in anima imago Dei detrita eſt, ut nulla in ea lineamenta remanſerint.* Et S. Proſper contra Coll. c. 22. *Si enim nec ad iſta terrena vigeret ingenium, non vitiata eſſet, ſed extincta natura.* Prob. III. rationibus Auguſtini. 1. enim Gentilis non punietur propter morales virtutes, ſed potius minori afficietur ſupplicio, pœnas pendens infidelitatis, & vitiorum. *Minus enim Fabricius, quam Catilina punietur, non quia iſte bonus, ſed quia ille magis malus*, ait S. P. l. 4. contra Julianum c. 3.: ſed opus, quo majus ſupplicium effugimus, non eſt peccatum; ergo &c. 2. Virtutes ſupernaturales habent retributionem ſempiternam; ergo quæ habent temporalem mercedem ſunt virtutes bonæ moraliter, nec ſunt peccata: adeoque virtutes Romanorum, quibus Deus ſummum imperium contulit, ſecundum ſe bonæ erant, licet ex pravo fine vitiatæ. *Deus enim*, ait S. P. ep. 5. ad Marcell., *ſic oſtendit in opulentiſſimo Imperio Romanorum, quantum valerent civiles etiam ſine vera religione virtutes.* 3. Obſtetrices Ægyptiæ Exodi 1. mercedem receperunt, quod Hebræorum pueros non præfocarint. Hinc Hieronymus ait: *Etiam Ethnicos, ſi quid boni fecerint, non abſque mercede Dei judicio reperiri.*

Propositio II. Virtutes infidelium philautiæ vitio plerumque labefactantur.

Prob. I. Scripturis. Nam Matth. 6. 23. habetur, *ſi oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit*, atqui per Auguſt. l. 4. contra Jul. 3. hic oculus eſt intentio, *qua facit quiſque quod facit*; ergo opera infidelium, quæ ut plurimum prava intentione fiunt, ſunt germina infecta. Prob. conſ. Nam infidelium intentio ut plurimum ad deorum cultum, aut ad inanem gloriam refertur: eſt enim infidelis *arbor mala*, non prout homo eſt, ſed qua-

tenus in se malam voluntatem habet, a qua peccata, veluti a radice, nascuntur, qua ratione quisque per Aug. *arbor mala est, & bonos fructus facere non potest.*

Prob. II. ex Aug., qui l. 5. de C. D. c. 12. ait, Romanos, qui amore laudis *multa alia vitia comprimebant*, vera virtute non claruisse: non enim est vera virtus, *nisi quæ ad eum finem tendit, ubi est bonum hominis, quo melius non est.* Si qui autem fuere gloriæ contemptores, ii bestias superarunt, sive crudelitate, sive luxuria; ergo &c.

Prob. III. ratione Aug. Non enim officiis, sed finibus virtutes a vitiis discernuntur, alias veræ virtutes agnoscendæ essent in avaris, *cum pro acquirenda pecunia sæva, atque aspera multa fortiter tolerant &c.* atqui virtutes tali fine turpes atque deformes veræ virtutes censendæ non sunt; ergo nec nfidelium virtutes.

Propositio. III. Quæ sine gratia fiunt, cum nihil conferant ad veram pietatem, nequeunt inter veras virtutes numerari.

Prob. ex Aug. contra Pelagianos. Nam l. 4. contra Jul. c. 3. docet, Dei gratiam necessariam esse, non solum ad perfectionem, sed etiam ut talis gratiæ opitulationem mereamur, alias posset quis gloriari in libero arbitrio, *eoque modo gratia jam non sit gratia, quia non est gratuita.* Demonstrat, non esse in infidelibus veram sapientiam & justitiam, quia inde superbia recedunt, quo appropinquant intelligentia; tum quia, si per naturam habeatur vera justitia, Christus gratis mortuus esset, ac per naturam compararetur Dei regnum, quod justitiæ tribuitur. Et n. 18. virtutem definit per ordinem ad salutem; ergo quod fit sine gratia virtutem stoicam, & a recto fine deviam appellat. Et n. 33. ait: *Illud opus bonum sine Dei gratia nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum Dei regnum perduci*; ergo virtutes infidelium, quæ

ad Dei regnum non perducunt, veræ virtutes non ſunt.

Propositio IV. Nihil boni infideles patrarunt ſine gratia, non tamen eis neceſſaria fuit fides habitualis, aut remiſſio peccatorum.

Prob. I. pars iis argumentis, quibus divinæ gratiæ neceſſitas probatur ad opus undequaque bonum. Deinde ex eodem c. 3. contra Jul., ubi ait S. P., *Ipſa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipſorum eſſe, ſed illius, qui bene utitur malis.* Et ep. 130. continentiam Polemonis *non humano operi* tribuendam putat, *ſed divino:* idque probat ex verbis ſapientiæ: *Nemo eſſe poteſt continens, niſi Deus det;* ergo non recte exponitur de gratia ordinis naturalis, quod ſcribit S. D. de caſtitate Polemonis.

Prob. II. pars I. Scripturis, quæ commendant Publicani humilitatem Luc. 18., eleemoſynas Cornelii act. 10., & ubique peccatores ad pœnitentiam hortatur. II. ex definitionibus Eccleſiæ allatis in prob. I. Prop. III. Ex Aug., qui de Præd. Ss. c. 7. ait: Cornelium recte operatum, *antequam in Chriſtum crederet.* Et ep. ad Xiſtum ait: *Fidem impetrare remiſſionem peccatorum.* IV. ratione. Qui enim nititur redire ad gratiam, Deum orat, confitetur peccata &c., & tamen ſæpe contingit, ut nondum adeptus ſit remiſſionem peccatorum; ergo &c.

Ob. I. Locum Apoſtoli Rom. 14.: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, atqui infideles fide carent; ergo quod ab iis ſit eſt peccatum. R. diſt. maj. *peccatum eſt*, ideſt opera infidelium ut plurimum philautiæ vitio corrumpuntur, conc. maj. Patet ex Prop. 2., hoc eſt nullus infidelis, antequam Chriſto ſe devoveat, & *habituali* fide exornetur, poteſt recte operari, ſive per gratiam actualem, vel per lumen honeſtatis ingenitum, neg. Diſt. etiam min. Infideles carent fide *habituali* cum gratia ſanctificante conjuncta, quam ſolam veram gratiam Bajus agnovit, conc., carent, cum recte operantur, gratia fidei actualis, & ingenito rationis

nis lumine, in quo idea honeſtatis, veritatiſque refulget, neg. Nam in infidelibus imago Dei non eſt omnino detrita, ut 1. Prop. dictum eſt, adeſſe etiam illis quandoque cognitionem veri Dei, gratia inſpiratam teſtatur S. P. c. 7. de Præd. Ss. de Cornelio ſcribens: *Nec tamen ſine aliqua fide donabat, & orabat.* R. II. diſt. maj. *Peccatum eſt*, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, & operibus ſine gratia factis ineſſe nequit vera ratio virtutis ad ſalutem conducens, conc., ſecus, neg. Vid. Prop. 3.

Ob. II. Matth. 7. habetur: *Non poteſt arbor mala &c.*, ſed infidelis eſt arbor mala; ergo &c. R. diſt. min. Eſt arbor mala, dum habet malam voluntatem, conc., dum hanc malam voluntatem Dei gratia depellit, neg. Vid. 2. Prop.

Ob.III.Ad Tit. 1. habetur: *Omnia munda mundis, immundis autem nihil eſt mundum;* ergo &c. R. neg. conſ. Non eſt enim immunda voluntas, quæ honeſta cogitatione dirigitur, unde retorqueo argum. Juſtus, licet mundus, non omnia recte agit, ſed ſæpe in venialia prolabitur; ergo etiam infidelis interdum ex gratia virtuoſe operatur, ſicut arbor ſilveſtris, cui bonus ramus inſeritur, fructus bonos facit.

Ob. IV. Quod fit ſine caritate per Aug. perverſum, & inordinatum eſt, ſed quod agunt infideles ſine caritate fit; ergo &c. Prob. maj. ex Aug. de Gr. & lib. arb. 18.: *Quidquid fit, ſi fiat ſine caritate, nullo modo fit bene*, & de Gr. 26.: *Ubi non eſt dilectio, non recte opus bonum vocatur.* R. diſt. maj. Quod fit ſine caritate ſaltem *actuali*, conc., quod fit ſine *habituali*, neg. Nam S. P. præter *habitualem*, etiam gratiam *actualem* agnoſcit, eamque fatemur præceſſiſſe in Centurione, aliiſque infidelibus; ergo noſtra ſententia a Bajana, quæ ſolam gratiam habitualem admittit, quam longe abeſt.

CA-

CAPUT IV.

De gratiæ necessitate ad observanda præcepta decalogi.

PRÆCEPTA Dei dupliciter spectari possunt, nimirum quoad substantiam, hoc est ratione officii, & *quoad modum*, *sive ut oportet*, idest sine ullo pravo aut inanis gloriæ, aut voluptatis fine. Sit itaque

Propositio I. Gratia Dei necessaria est ad servanda mandata Dei, *ut oportet.*

Prob. I. ex dictis, Mandatum enim servat *ut oportet,* qui facit opus rectæ rationi consentaneum, sed hoc, saltem in praxi, nequit fieri sine gratia; ergo &c.

Prob. II. auctoritate Conc. & PP. Milev. c. 4. ait: *Si quis dixerit, eandem gratiam per J. Christum non præstare, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere valeamus, anathema sit.* PP. Concilii Carth. urgent Pelagianos asserentes, *ad Dei mandata complenda solam sibi humanam sufficere posse naturam;* quod probat orationibus ecclesiæ, quibus intellectum, & caritatem postulamus. S. P. de Gr. c. 26. ait: *Etsi Dei mandatum videtur aliquando non a diligentibus, sed a timentibus fieri, tamen, ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur;* ergo &c.

R. aliqui: Concil. Milev. & PP. loqui de gratia *ad facilius*, non ad *simpliciter* operandum, aut ad præcepta servanda in ordine ad vitam æternam. Sed utraque responsio falsa est. Prima ab errore Pelagiano non distat, & exploditur a Milev. Synodo, quæ c. 5. ait: *Qui dixerit gratiam dari, ut facilius possimus &c.*, *anathema sit;* secunda, quia non servantur inculpate mandata, nisi inanis gloria abscedat, quod fit per gratiam. Deinde PP. Carth. probant, non posse hominem propria voluntate sine gratia Dei legem implere, sive naturalem, sive scriptam, quia vincere legem capti-

vantem in lege peccati munus eſt gratiæ, de qua ait Apoſt. Rom. 8. *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram*; ergo ſpiritus adjuvat, non ſolum, ut in vitam æternam nitamur, ſed etiam, ne opus legis pravo fine inquinetur.

PROPOSITIO II. Non poſſumus ſine gratia carnales vincere ſenſus, & Deum ſuper omnia diligere.

Prob. prop. & explicatur. Dum quærimus, an ſine gratia ſervare poſſimus primum legis præceptum, *diliges &c.* non loquimur de Amore Dei ſub communi ratione boni; ſic enim amor inditus & naturalis eſt, neque eſt materia præcepti. Nec quærimus, an amare poſſimus Deum, ut auctorem ſupernaturalium donorum fidei, ſpei, & caritatis, atque ut eſt trinus in perſonis, quæ omnia conſtat, longe vires mentis excedere. Nec quæritur, an homo auctorem ſuum ſine gratia diligere poſſit amore concupiſcentiæ, non per ſeipſum, ſed ob proprium commodum: nam hoc pacto non Deo delectamur, ſed nobis ipſis. Quæritur ergo: an Deus amari poſſit ſuper omnia, ut impleatur primum legis præceptum, quoad ſubſtantiam & modum, hoc eſt, ut ametur Deus amore benevolo & per ſeipſum, ut finis, non ut medium. Nam, ſi Deus diligatur propter aliud, non diligitur ſuper omnia: ut enim ait S. Bern., *quidquid propter aliud amare videaris, id plane amas*, ſed non poſſumus Deum amare propter ſe ſine gratia; ergo &c. Prob. min. ex PP., & ratione. 1. enim S. P. l. 4. contra Jul. 3. ait: *Amor Dei, quo pervenitur ad Deum, non eſt niſi a Deo.* Et de Gr. & Arb. 18.: *Unde eſt nobis caritas Dei & proximi, niſi ex ipſo Deo.* Item D. Th. 1. 2. q. 109. hom. 9.: Homo *in ſtatu naturæ integræ Deum diligebat ſuper omnia, ſed in ſtatu naturæ corruptæ homo ſequitur bonum privatum, niſi ſanetur per gratiam Dei.* 2. Accedit ratio. Tunc enim Deus diligitur propter ſeipſum, quando recte utimur creaturis, & omnia ad ipſum,

non ad privata bona referimus, ut docet S. P. & D. Th., sed sine gratia non recte utimur creaturis, ut patet ex dictis; ergo &c.

Prob. II. ex sacris litteris. Nam Rom. 5. habetur: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S., qui datus est nobis.* Et 1. Jo. 4. *Caritas ex Deo est.* Milev. Synodus c. 4. *Utrumque Dei donum est, & scire quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus.* Arauf. II. c. 25. ait: *Donum Dei est diligere Deum,* & Trid. Sess. 6. c. 3. ait: *Si quis dixerit, sine præveniente S. S. inspiratione hominem credere, sperare, & diligere, sicut oportet, anathema sit.* Item S. P. ep. 107.: *Liberum arbitrium,* ait, *ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Accedit ratio: creatura enim diligens Deum super omnia, ut auctorem naturæ, habet bonam voluntatem, sed hæc habetur ex gratia per Aug.; ergo &c.

R. Adversarii: loca producta de Deo auctore supernaturali esse accipienda, unde Trid. Syn. habet, *ut oportet*: hinc patet, ipsum loqui de caritate, quæ ad justificationem disponit. Sed falsa est hæc responsio. Nullibi enim apud Aug. aliosque de auctore supernaturali sermo est, nec intelligi potest, cur Pelagiani acutissimi dialectici gratiam necessariam negaverint, ut animus in Deum auctorem supernaturalem trahatur; illi ergo cohærenter loquendo, sicuti ad servandam legem naturalem possibilitatem naturæ, ita ad legem evangelicam donum supernæ illustrationis requirebant. Cum ergo S. D. gratiam propugnat ad diligendum Deum, & implenda mandata, loquitur etiam de lege naturali singulis hominibus amorem creatoris præcipiente. Deinde amor Dei, ut est naturæ auctor, licet non sit supernaturalis, quoad substantiam; est tamen talis, quoad modum, quia voluntas infirma magis ad bona sensibilia, quam ad summum protendit. Tandem S. P. l. 4. contra Jul. loquitur de amore creatoris, sed creatorem esse Deo con-

convenit ut est auctor naturæ; ergo, si gratia est amor creatoris, & bona voluntas, quæ non convertitur ad creaturas, a gratia est etiam quilibet amor Dei super omnia.

Idem dicendum de testibus scripturarum, & Concil. I. enim absolute affirmant: caritatem esse donum Dei. II. Jo. ep. 1. ostendit, caritatem esse ex Deo, quia nos diligimus invicem, hæc vero quoad objectum naturalis est: ergo &c. III. Diligere Deum *ut oportet*, est donum gratiæ, ut Trid. definit, sed amor Dei, ut auctoris naturæ, est amor *ut oportet*; ergo est donum gratiæ. Min. certa est, nam amor *ut oportet* est, cum bene utimur creaturis, & convertimur ad illud quod summe est, atqui id facimus, si diligamus Deum ut creatorem omnium; ergo &c. Reapse S. P. c. 25. Ench. ait, Dei mandata fieri *ut oportet*, cum *referuntur ad diligendum Deum & proximum propter Deum*; ergo, si diligatur Deus propter Deum, diligitur *ut oportet*.

Quod addunt: Concilia loqui de caritate, prout ad justificationem perducit, id sententiam nostram confirmat. Nam amor castus, *ut oportet*, justificationis principium est, & ad vitam perducit, ut dictum est Prop. I. sed talis est ex dictis amor Dei, ut naturæ auctor; ergo &c. Deinde perfecta est contritio, si detestemur peccatum, ut offensam Dei summe boni, atqui Deus, ut auctor naturæ potissimum est summum bonum; ergo &c. III. Peccatum per Augustinum est aversio a Deo, & conversio ad creaturas; ergo ad justificationem disponitur, qui avertitur a finito bono, & convertitur ad summum bonum: sed per amorem Dei auctoris naturæ, si gratuitus sit & super omnia, a creaturis ad summum bonum convertimur; ergo per eum ad justificationem disponimur.

Tournelyus, aliique mediam sententiam tenent, docentes, posse hominem lapsum, sine gratia speciali, Deum diligere, ut auctorem naturæ amore imper-

imperfecto & inchoato, non perfecto & super omnia. Verum, si amorem dixeris imperfectum, per quem creaturis Deus postponitur, nec amor Dei est, ut Bernardus docet, nec rectus est, sed inordinatus: si imperfectum dicas, qui nullam creaturam Deo præfert, sed ab his abstrahit, hic amor, saltem in praxi, non datur, cum magis trahat nos sensibilium appetitus, ut ait S. P. A., quam incommutabile bonum. Tournelyus autem gladio suo jugulatur. Is enim profert inter alia argumenta canonem 25. Arausicanum, quem contra Suaresium fatetur, de Deo auctore naturæ exponendum, sed canon iste non distinguit inter amorem Dei inchoatum & perfectum, sed absolute ait: *Prorsus donum Dei est diligere Deum, & nemo habet quidquam boni, nisi illi datum fuerit desuper;* ergo quilibet amor Dei super omnia, etiam inchoatus ex Deo est. Reapse Semipelagiani ab ea Synodo damnati, uti pium aliquem affectum, ita initium fidei ajebant esse ex nobis; declaravit ergo hæc Synodus cit. canone, neminem posse sine gratia præveniente, aut diligere Deum *sicut oportet*, aut credere in Deum aut operari propter Deum; sed ex gratia est fides, non solum perfecta, sed etiam inchoata, ut statuit cum Augustino hæc sancta Syn. c. 5. & 6. ergo ex gratia est caritas etiam inchoata. Vide S. P. de Gr. & arb. 19.

Ob. I. Deut. 30. habetur: *Mandatum hoc non supra te est, nec procul positum, ut facias illud.* If. 44. de Cyro habetur: *Omnem voluntatem meam complebis.* Mar. 10. de præceptis legis quidam ait Christo: *Magister hæc omnia servavi a juventute mea;* unde *Jesus intuitus dilexit eum.* Et Paulus ad Phil. 3. ait: se ante conversionem justitiam, quæ in lege est servasse sine querela; ergo sine gratia legem servavit.

R. neg. conf. Ad I. dicitur mandatum *prope*, & *in corde*, quia in cordibus nostris diffunditur caritas, & *ibi est fides, quæ per dilectionem operatur,*

ait S. P. q. 54. in Deut. Ita etiam accipitur hic locus Rom. 10. *Quid dicit ſcriptura? prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo; hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus, quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo credideris, ſalvus eris, corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Dicitur etiam, *prope nos,* ideſt opera præſcribens rationali naturæ conſentanea, ſi vitium, quod contra naturam eſt, ſanetur per gratiam. Ad II. R. I. diſt. ant. *Complebis,* quoad Judaici populi libertatem &c. conc. quoad Dei legem, neg. Fuit enim Cyrus idololatra, antequam Aſtiagem oppugnaret. R. II. diſt. ant. *Complebis* per gratiam, conc. ſine gratia, neg. Habetur enim: *Ego ſuſcitavi eum ad juſtitiam, & ad omnes vias ejus dirigam.* Ad III. R. Jeſum dilexiſſe in eo homine, de quo Marcus, pium vitæ æternæ ſtudium, & fidem in Chriſtum verſ. 17. expreſſam: cum enim Judæus eſſet, præceſſit in eo fides mediatoris implicita, & gratia, qua præcepta legis implevit, licet ob immoderatum amorem divitiarum videatur, legem a juventute ſervaſſe, quoad ſubſtantiam operis, non quoad finem. Idem de Apoſt. in Ep. ad Phil. dicendum eſt, unde habetur in Græc. ἄμεμπτος *ſine querela.* Eſt enim ἄμεμπτος *ſine expoſtulatione judicii*, legem ergo ſervavit, quoad ſubſtantiam Apoſtolus, non quoad modum, legem enim fuiſſe tranſgreſſum ſerviendo *deſideriis*, & *voluptatibus variis* Apoſtolus ipſe teſtatur ad Tit. 3.

Ob. II. Locum Ap. Rom. 2.: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis ſunt faciunt;* ergo &c.

R. I. diſt. ant. *Naturaliter faciunt*, hoc eſt ſine lege Moſaica legem ſervant per gratiam Chriſti, conc., *naturaliter;* hoc eſt naturæ inſtinctu, neg. Loquitur enim Apoſtolus per Auguſtinum de gentibus, ad fidem converſis, quas Judæi aſpernabantur ob circumciſionis defectum; clamat ergo Apo-

ſtolus,

ſtolus, juſtos eſſe apud Deum non auditores, ſed factores legis, quia etiam gentes, *quæ legem*, Moſaicam, *non habent*, præcepta implere poſſunt, & licet carne incircumciſi, poſſunt circumcidi ſpiritu, & Judæi eſſe in abſcondito. Tales enim fuere, per Chryſoſtomum & Hieronymum, Melchiſedech, Job, Ninivitæ, Cornelius &c. Hinc S. P. l. 4. contra Julianum c. 3. ait: *Ideo dicuntur naturaliter, quæ legis ſunt facere, quia ex gentibus venerunt ad Evangelium, non ex circumciſione, cui lex data eſt, & naturaliter, quia ut crederent ipſa eſt in eis per Dei gratiam correpta natura.*

R. II. Si de infidelibus accipiatur, diſt. ant. Naturaliter faciunt legem, quoad ſubſtantiam, conc., quoad modum, neg. Non enim in iis ita detrita eſt Dei imago, ut ait S. P. A., ut ejus nulla lineamenta remanſerint. Verum quoad finem mandata Dei ſine gratia impleri non poſſe docet ibi S. P. A. dicens, quod ſine gratia, ſi diſcutiuntur, quo fine virtutes gentium factæ ſint, *vix inveniuntur, quæ juſtitiæ debitam laudem defenſionemve mereantur:* unde S. P. ibidem ab iis, qui ſecundum juſtitiæ regulam opera exercent laudabilia, & recto fine gratiam non excludit, ut c. 3. dictum eſt. Verum in his Chriſti gratiam, & fidem aliquam non præcedere, fruſtra ex hoc loco quidam deducere moliuntur. I. Quia S. P. l. 4. contra Julianum c. 3. hæc Gentilium opera gratiæ deputat. II. Quia ibidem docet, quævis infidelium opera ſine gratia, etſi officio ſint bona, habere tamen peccatum ſibi conjunctum ob pravam intentionem operantium, qui aut dæmonibus, aut humanæ gloriæ deſerviunt, dum opera ſua in Deum tanquam in ultimum finem humanarum actionum referre prætermittunt, nec in Domino, ſed in ſeipſis gloriantur. Hac ſecunda reſponſione ſolvuntur aliorum Patrum ſententiæ, qui enim locum Ap. de infidelibus exponunt, aut *officia* laudarunt, aut gratiam non excluſerunt: nam

parentes colere, non pejerare &c. non vituperatione, sed laude dignum est.

Inst. damnata est propositio 22. Baji: *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Ap. Rom.* 2. *Gentes, quæ legem non habent* &c. *intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus;* ergo &c. R. I. Cum Vasquesio, Propositionem 22. damnatam esse ob acerbitatem censuræ, *cum* alioquin ea propositio in se inspecta *sit sententia Augustini, & omnium Patrum,* & ab ipso Toleto probata, qui in caussa Baii a Romano Pontifice Lovanium missus fuerat. Reapse cum S. P. August. doceat, quod etiamsi Apostolicum testimonium de infidelibus accipiatur, stat adhuc discrimen inter legem & gratiam, indeque constat, propositionem Baji, quæ illam interpretationem, insimulat Pelagianismi, esse falsam, & acerbissimam. R. II. Propositionem 22. in sensu Baji esse nedum falsam, sed etiam hæreticam. Significat enim, Infideles sine gratia habituali, & caritate justificante, quam solum Bajus agnovit, & sine qua omnia opera Infidelium censuit esse peccata, non posse naturalem legem servare.

Ob. III. Damnata est Propositio Baji 34. quæ habet: *distinctio illa duplicis amoris naturalis, quo Deus amatur ut auctor naturæ, & gratuiti, quo amatur ut beatificator, vana est & commentitia;* & 36. quæ ait: *Amor naturalis &c. ex sola philosophia cum injuria Crucis Christi defenditur;* ergo potest sine gratia amari Deus ut naturæ auctor.

R. I. neg. cons. Recte enim illæ propositiones proscriptæ sunt. I. enim datur amor naturalis cuique inditus ad beatitudinem, non a gratia, sed a natura, nec meritorius, sed indeliberatus & necessarius. II. Datur amor naturalis etiam deliberatus, quoad objectum, eoque vere diligitur Deus ut auctor naturæ, licet non habeat rectitudinem finis, si Deus non diligatur propter se. III. Datur Amor Dei auctoris naturæ undequaque bonus, qui non est a gratia habituali, quam solam agnovit Bajus, sed

ſed a gratia actuali: ex qua prava Baji doctrina ſequeretur, quæcunque fiunt ab homine nondum juſtificato, eſſe peccata; merito ergo propoſitiones 34. & 36. proſcriptæ ſunt. R. II. cum Vaſqueſio: *Propter acerbitatem, & audaciam*, ut declaravit Pius V. plures Baji Propoſitiones fuiſſe proſcriptas: præſertim vero 34. quam tamen quoad doctrinam intrepide defendit Bellarminus l. 6. de Gr. & arb. 7. docens cum Auguſtino: *Non poſſe Deum, niſi ope ejus diligi, neque ut auctorem naturæ, neque ut largitorem gratiæ, neque perfecte, neque imperfecte, ullo modo*; ergo &c.

Ob. IV. ratione. I. Præcepta decalogi ſunt proportionata viribus naturæ; ergo &c. II. Poteſt homo ſine gratia Deum cognoſcere; ergo & amare; connaturale enim eſt homini diligere ſummum bonum, ſi illud mente percipiat. III. Naturaliter diligimus creaturas; ergo & Deum. IV. Poteſt homo ſine gratia Deum glorificare: nam Rom. 1. reprehenduntur gentes, quia *Deum non glorificaverunt*; ergo &c. V. datur amor ſine gratia inchoatus, qui nec ordinatur ad æternam beatitudinem, nec poſitive Deum præfert bono creato.

R. Ad I. diſt. ant. Sunt proportionata, quoad officia, & objecta: conc. quoad modum & finem, ſubdiſt. Si vitium naturæ ſanetur per gratiam, conc. ſecus, neg. Proportionata eſt enim oculis lux ex Auguſtino, & tamen ægris odioſa eſt.

Ad II. R. I. neg. ant. Nulla enim cognitio ſive naturalis, ſive practicæ veritatis a gratia disjuncta poteſt animum noſtrum ad pia ſtudia inflammare: ſic enim per Auguſtinum inflat, non ædificat, non vitio ſcientiæ, ſed animi, juxta illud: *Video meliora proboque, deteriora ſequor.*

R. II. neg. conſ. ut enim docet S. Th. 1. 2. q. 109. *Magis eſt natura humana corrupta, quantum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri*, quia peccatum a voluntate proxime procedit; non enim peccat quis malum cognoſcendo,

ſed bonum male appetendo. Licet ergo ſit nobis connaturalis dilectio, non eſt tamen naturæ corruptæ connaturalis ordo debitus dilectionis, *cum in hoc ſtatu appetitus voluntatis rationalis ſequatur bonum privatum, niſi ſanetur per gratiam.* Ad III. R. Vel enim creaturas diligimus propter ſeipſas, vel propter Deum. Si primum, fruimur creaturis, & amor caſtus non eſt, nec amans proficit, ſed deficit. Si ſecundum, dilectio ex Deo eſt, nec ſine gratia haberi poteſt, ut docet S. P. de Gr. & arb. 18. Ad IV. neg. ant. Non enim glorificant Deum, ſicut Deum, qui illum creaturis omnibus non præferunt. Eſt ergo vera interpretatio, Gentiles Philoſophos Dei notitiam habentes illum non glorificaſſe, ſicut Deum, quoniam *evanuerunt in cogitationibus ſuis; & ſervierunt creaturæ potius, quam creatori*: unde gratia Dei, qua abuſi ſunt, juſto Dei judicio privati, libere traditi ſunt *in deſideria cordis eorum.* Vid. Aug. de Natura, & Gr. 22. Ad V. neg. ant. Nam, ſi amor ille inchoatus bono mutabili non hæreat, eſt a Chriſti gratia, *nec initium ejus ex nobis, ſed, ſi caritas eſt, tota nobis ex Deo eſt.* Ita S. P. l. 2. ad Bonifacium c. 9.

CAPUT V.

De gratiæ neceſſitate ad vitanda peccata, tentationeſque vincendas.

POSSE hominem aliquo modo ſine gratia recte operari, & tentationem aliquam levem ſuperare, inſpecta ſubſtantia operum, & officio virtutum, tam verum eſt, quam poſſe impleri ſine gratia aliqua præcepta, & plura ab infidelibus fieri, quæ in ſe vituperari non poſſunt, ut ſupra dictum eſt. At undequaque ſine ſpeciali gratia nullum peccatum, aut tentatio etiam minima ſuperatur. Sit itaque

Propositio. **Nemo poteſt abſque gratia aut peccatum vitare, aut tentationem undequaque ſuperare.**

Prob.

Prob. I. Scripturis. Nam Sap. 8. legimus: *Nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det*, Rom. 8. *In his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos*, ideſt *cum viribus a Deo datis gratuito amore*. Matth. 6. jubemur orare: *Ne nos inducas in tentationem*; ergo &c.

Prob. II. ex definitionibus Eccleſiæ. Innoc. in Reſcr. ad Conc. Carth. *Niſi gratia in nos deſcendat, nequaquam terrenæ labis vincere conamur errores*, & ad PP. Milev. ait: quod homo gratia *privatus neceſſe eſt diaboli laqueis irretitus occumbat*. Arauſic. II. c. 9. ait: *Divini muneris eſt, cum & recte cogitamus, & pedes noſtros a falſitate, & injuſtitia continemus*. Et c. 22. *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium, & peccatum*. Prob. III. ex Aug., qui Ep. 106. ait: *Ex adjutorio Dei noſtram provenire victoriam*. Et Pſ. 18. *Deo deſiſtente ab adjutorio, laborare potes, vincere non potes*. Et Serm. 9. de Div. c. 9., *ſine dubio vinceris, ſi illum adjutorem non habueris*. Prob. IV. ratione. Aut vincitur peccatum Dei amore, aut ſine honeſto, aut vitioſo, ſi hoc, vitium vitio pellis. Honeſtus finis ſine gratia, ſaltem in praxi, non datur, nec Dei amor, ut ſupra oſtendimus; ergo &c.

R. Adverſ. valere hæc omnia de victoria tentationum, quæ ſpectat ad veram juſtitiam. Sed contra. Requiritur enim gratia, non ſolum ut vincamus, ſed ne ipſi vincamur, aut vitia aliis vitiis pellantur, alias vitia vincemus more Romanorum, in quibus *vicit amor Patriæ, laudiſque immenſa cupido*. Quod alii addunt, gratiam neceſſariam eſſe ad facilius vincendum, ſupra refutatum eſt.

Ob. I. Damnata eſt Baji Prop. 27. *Liberum arbitrium ſine gratia, nonniſi ad peccandum valet*. Et 29. *Fures ſunt & latrones, qui dicunt, tentationi ulli ſine gratiæ adjutorio reſiſtere hominem poſſe*, & Queſnelliana 38.: *Peccator non eſt liber, niſi ad malum ſine gratia liberatoris*, & 39. *Voluntas, quam*

gratia non prævenit, est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum; ergo &c.

R. neg. conſ. Quamvis enim propoſitiones illæ ſpeciem veritatis exhibeant, & ſenſum catholicum habere poſſint, jure tamen in ſenſu ab auctoribus intento, *reſpective* tamquam falſæ, ſcandaloſæ, & hæreticæ proſcriptæ ſunt. Vide R. ad III. obj. cap. præc. Mirum proinde eſt, juſtiſſima hac damnatione quoſdam abuti ad criminationem Auguſtinianæ doctrinæ, cum conſtet, nullam tentationem, nec levem, ſine gratia ſuperari non poſſe, Bellarminum, Toletum, Vaſqueſium, alioſque docuiſſe.

Ob. II. S. P. de pecc. mer. 22. quærit: *Unde ſit, ut homo magna ex parte ad virtutes provectior eo loco ſit, ubi ei prædicari gratia chriſtiana non poſſit?* Et l. 1. de C. D. 23. Marci Reguli, & l. 5. c. 12. virtutes inclytas Romanorum commendat; ergo &c.

R. neg. conſ. Probat enim inde S. P. gratiam fidei chriſtianæ non rependi virtutibus humanis, addens conſulto, *ex magna parte*, ne putes, victorias libidinum, aliaſque virtutes in illo homine bonas eſſe undequaque, regulam autem, & virtutes Romanorum commendat, ratione officii, non finis, unde illis temporalem redditam eſſe mercedem ſcribit, non æternam, ut alibi dictum eſt.

Quæres: an juſtus gratia ſanctificante exornatus actuali indigeat, ut peccata declinet? R. affirmative: id enim c. 6. l. 14. prob. 2. invicte probatur, & a Syn. Arauſ. c. 10. expreſſe definitur: aſſerit enim juſtis, ac ſanctis divinum auxilium ſemper eſſe implorandum.

CAPUT VI.

Omnia venialia peccata devitare eſt divinæ gratiæ ſingulariſſimum privilegium.

NOT. I. Quamvis magna ſit in multis ſanctis excellentia, ut ait D. Proſper in epigramm. tamen ob corporis ægritudinem, & pugnam, quam internis movent exteriora, nunquam ita perfecta

capitur

capitur victoria, itaut discordibus motibus rationis, ac sensuum, non excitetur quædam noxia delectatio deliberata, & servetur in excellentia sanctitatis plena, perfectaque justitia.

Not. II. Posse hominem justum ad aliquod tempus omnia venialia peccata vitare. Non enim semper appetitus in actus deordinatos prorumpit, nec semper occurrunt occasiones peccandi, præsertim ubi flagrantissima caritas animum inflammat. Sunt qui hoc tempus adeo coarctant, ut, *septies in die*, justum cadere putent ex Prop. 24. Sed ibi *septies* pro *crebro*, & *sæpe* positum est, ut Ps. 11. & 118. Deinde S. P. 11. de C. D. 31. hunc locum *non de iniquitatibus*, *sed de tribulationibus intelligi voluit*, habetur enim: *Septies cadet justus & resurget*, *idest quoties ceciderit*, *non peribit*. Nam vox hebr. נפל *Naphal*, ubi opponitur verbo קום *chum* surgere de calamitatibus hujus vitæ accipiendum est, ut notat Calmet, aliique.

Not. III. Non comprehendi in hac assertione B. V. de qua S. P. A. *propter honorem Domini*, *nullam voluit habere quæstionem* (1) *cum agitur de peccatis.*

(1) Observat vir cl. Camillus Blasius Patritius Auximas Epist. 25. de Immac. Concept. SS. Virg. laudata Augustini verba etiam de *immunitate B. V. ab originali noxa* accipi posse. Subdit enim S. D. *Scimus enim, quod ei plus gratiæ collatum fuerit, ad vincendum* OMNI EX PARTE *peccatum, quod concipere meruit eum, quem constat, nullum habuisse peccatum.* Ubi non est prætereundum, inquit cl. Scriptor, collatum esse B. V. ratione maternitatis divinæ plus gratiæ ad vincendum peccatum, non quomodocumque, sed omni ex parte, quod non solum actuale, sed etiam originale complectitur, utpote quod nedum propagatur in propria specie, sed juxta com-

catis. Nam B. V. hoc ex *Dei privilegio speciali* fuisse concessum *tenet Ecclesia*, ut definit Trident. Syn. Sess. 6. c. 23. Unde, si quæras: an B. V. recitaverit orationem illam: *dimitte nobis &c.* R. Potuisse nomine totius Ecclesiæ. Quidam nostri ævi oratores idem tradunt de D. Jo. Baptista, verum cum S. D. & Trid. Synodus solam B. V. excipiant, vel iis non subscribendum ducimus, aut id miraculo adscribendum.

PROPOSITIO. Nemo vitare potest peccata quæque venialia in tota vita, nisi speciali Dei privilegio.

Prob. I. Scripturis. Paral. 26. *Non est homo, qui non peccet.* Eccles. 7. *Non est homo justus in terra, qui non peccet.* Jac. 3. *In multis offendimus omnes,* Jo. Ep. 1. c. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus:* quæ omnia ad viros sanctissimos pertinere constat ex verbis generalibus, ex can. 6. Synodi Milev. ex Aug. de Nat. & gr. c. 35. Prob. II. ex oratione Dom. *Dimitte nobis debita nostra*, qua etiam viri Ss. quotidie utuntur, quæ oratio non solum humilis est, sed etiam vera, ut statuit Trid. Syn. sess. 6. III. Ex PP. Nam Aug. de pecc. m. l. 2. c. 7. ait: *Quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, ideo misericordia Dei opus est, & Propheta cum diceret, tu dimisisti impietatem cordis mei, continuo subjunxit: Pro hoc orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno; non ergo omnis peccator, sed omnis sanctus, vox enim sanctorum est: Si dixerimus quia peccatum non habemus &c.* Et de Nat. & gr. c. 36. ait: *Hac ergo Virgine* (Maria) *excepta, si omnes sanctos possemus interrogare, utrum essent sine*

---

communem PP. & Augustini sententiam, etiam influit in actuale, unde recens cl. scriptor scholæ Augustinianæ ait, *B. V. totam pulchram esse, non in parte, sed in toto, & maculam peccati in ea non extitisse sive mortalis, sive venialis, sive originalis.*

ſine peccato, una voce clamaſſent, ſi dixerimus &c. An illud humilius reſponderent, quam verius, ſi verum dicerent haberent peccatum, quod faterentur, ſi mentirentur haberent peccatum, quia veritas in eis non eſſet. Et de Don. perſ. contra Pelagium ſtatuit, *in quantacumque juſtitia, ſine qualibuſcumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere.* Prob. IV. ratione. Proſperi in epigr. Quandiu enim mens corpore gravatur, ſenſus rationi bellum cient: ita perpetuis concupiſcentiæ fluctibus jactatur, quorum dum unum comprimit, & frangit, alter inſurgit, & quatit animum. Ut ergo devitet omnia peccata, debet ratio ſingulis momentis circumſpicere, & fluctus concupiſcentiæ reprimere, ſed hoc eſt ſpecialiſſimum gratiæ beneficium; ſi ergo magna eſt gratia, quæ cordis duritiem frangit, major, quæ diu perſeverat, maxima erit quæ per totam vitam a levibus etiam culpis præſervat.

Ob. I. Jobi 1. legitur: *Non eſt illi homo ſimilis, juſtus, verus Dei cultor, abſtinens ſe ab omni opere malo.* De Zach. & Eliſabeth habetur Luc. 1. *Erant autem juſti ambo incedentes in omnibus mandatis.* Joan. 3. *Qui natus eſt ex Deo peccatum non facit, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt;* ergo &c.

R. neg. conſ. Duplex enim perfectio eſt, una ſecundum vitæ hujus modum, quo licet ſine aliquo nævo eſſe non poſſimus, tamen remediis ſpiritualibus vulnera noſtra curamus; ſecunda eſt perfectio patriæ, ubi nullis peccatis ac vitiis carnis obnoxii erimus, nullaque iis curandis indigebimus medicina. Plures ergo in hac vita priorem perfectionem habuere, in qua juſtus accuſator eſt ſui, & quotidie orat: *dimitte nobis debita noſtra.* Jobum itaque laudari ait S. P. de pecc. mer. 6. comparatione aliorum, qui erant in terra: Zachariam quoque pro ſuis delictis hoſtias obtuliſſe docet ib. & hominem ex Deo natum non peccare, quia pecca-

tum

tum oritur ex vetusta nativitate, per quam dum vivimus peccatis sumus obnoxii. Nemo quidem peccat in quantum gratia spirituali regeneratur, & est in Christo nova creatura, nondum tamen transiit in novitatem perfectam & consummatam.

Ob. II. Præcipitur a Deo, qui impossibilia non jubet, *mandata custodiri nimis:* oramus etiam Deum, ut dirigat *sensus & actus nostros, ut ad nullum declinemus peccatum;* ergo &c.

R. Posse utique hominem in hac vita esse sine peccato per Dei gratiam, sed non potentia proxima, & conjuncta cum actu, nisi gratia sit specialis: sicut potest quis per gratiam sufficientem servare mandata, non tamen servabit, nisi auxilium sit efficax; sufficit autem potentia etiam ab actu sejuncta, ut dicatur, Deum impossibilia non jubere, & sit culpabilis transgressio. Ita S. P. de pecc. mer. c. 6. Cur autem ad hoc singulari gratia opus sit, ratio est, quia simul præceptis omnibus negativis, & positivis tenemur obstricti, simul internis, & externis pugnis impetimur, & plura vitanda sunt, cupiditas, ambitio, & motus quilibet inordinatus. Adjuti ergo divina gratia possumus quodlibet in individuo peccatum vitare, tentatorem fugare, motum comprimere, id tamen non consequimur plena victoria, itaut nec levi culpa in certamine maculemur. Hoc sensu admitti potest vulgaris distinctio, qua docemur *collective* omnia peccata venialia vitari non posse, posse tamen *distributive*. Falsum est tamen, quod aliqui docent, idest non dari præceptum, nec adesse liberum arbitrium omnia collective venialia vitandi, nam controversia inter Cælestium, & Aug. erat, num in hoc infirmitatis statu possit homo vivere absque peccato, & collective vitare omnia, itaut nullum committat adversus præceptum illud vitandi. Vid. S. P. de Perf. just. c. 8.

CA-

CAPUT VII.

De necessitate specialis gratiæ ad perseverandum.

NOT. I. Non loquitur S. P., ut ipse monet c. 1., de ea perseverantia, qua justus continens est aliquandiu, sed esse desistit, sed de ea loquitur, de qua Matth. 10. habetur, *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* De hac ergo propria perseverantia duplex gratiæ munus distinguimus, nempe exteriorem dispositionem providentiæ, & interiorem sanctæ dilectionis inspirationem. Et illa quidem specialis erga electos providentia maxime vigilat, ut instante animæ transitu, tentationes removeantur, ne justus succumbat, & varii vitæ casus ita dirigantur, ut mors animum dividat, dum gratia justificationis hunc ornat. Mors enim adveniens, dum justis sanctitas adest, summum est divinæ providentiæ beneficium, quod divina præscientia, & voluntate conferendæ beatitudinis caussa disponitur. Interna autem sanctæ dilectionis inspiratio, adeo robusta, ut concupiscentiæ motus, omnesque tentationes, quæ in morte sunt vehementiores propulset, iis maxime necessaria est, qui ægritudine anxia, & acerba agunt animam, & cum hoste diu luctari debent, majorem etiam postulant, dum longum, ac truce martyrium subeunt, vel satanæ insidiæ majores accedunt. Habet ergo donum perseverantiæ gradus plures, & magis in uno, quam in altero splendet, licet in omnibus sit singulare beneficium. Duo hæc perseverantiæ donum complecti ex scripturis S. P. ostendit. Primum l. de Præd. Ss. c. 14. ex illo Sap. *Raptus est &c.*, quod S. P. dictum putat, *secundum pericula vitæ hujus.* Secundum de interiori gratia probat S. P. pluribus script. locis, addens c. 14. de Præd. SS., justis illis, *qui bonos mores usque ad diem vitæ hujus ultimum servant, non in suis meritis, sed in Domino esse gloriandum, quoniam ipse in quantacum-*

tacumque vitæ longitudine custodit justum, ne malitia &c.

Not. II. Pelagianos docuisse, posse hominem perseverare usque in finem sine gratia per liberum arbitrium. Semipelagiani vero, qui electionem secundum propositum ab Augustino traditam ægre ferebant, docuerunt, a nobis esse initium fidei, ex cujus præscientia sufficientem gratiam Deus largiretur; cui si liberum cooperaretur arbitrium, dona adderet ampliora, adeoque improbarunt divisionem gratiæ in eam, quæ dat posse perseverare, & in eam, quæ donat ipsam perseverantiam. Sit itaque

Propositio. Finalis justorum perseverantia est speciale Dei donum.

Prob. ab Aug. c. 2. de Don., perf. ubi profert illud Ap. Phil. 1.: *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo*, atqui fides ad initium salutis spectans est donum speciale gratiæ; ergo & passio, quæ spectat ad finem. Addit illud Jer. 32. *Timorem Domini dabo in cor eorum, ut a me non recedant*; ergo non recedere a Domino, idest perseveranter ei adhærere, donum Dei est. Laudat etiam S. D. verba Psalmistæ *Fiat manus tua super filium hominis, quem confirmasti*, sed hic homo est Christus, cujus meritis membra ejus permanent; ergo confirmari in gratia est opus dexteræ Domini.

Prob. II. S. P. a c. 3. ad 6. ex orationibus Ecclesiæ; frustra enim petimus, quod in nostra est potestate, atqui perseverantiam petimus in oratione dominica, in qua petimus 1., *ut nomen Dei sanctificetur* in nobis perseverantia, per quam vivificatio gratiæ perficitur, ut quod esse cœpimus, nunquam desinat. 2. *Ut adveniat regnum ejus*, nempe ut veniat nobis, quod confertur sanctis perseverantibus usque in finem. 3. *Ut ne nos inferat in tentationem*, nempe ut accepta gratia perseverantiæ sanctitatem servemus. Idem de aliis petitionibus

nibus probat S. P. concludens, *quod si alia documenta non essent, hæc oratio dominica nobis ad caussam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret.*

Prob. III. ex Conciliis, ac PP. Arausic. II. c. 10.: *Adjutorium Dei etiam Ss. semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.* Trid. c. 16. Sess. 6., *si quis dixerit justificatum sine speciali Dei auxilio in accepta justitia perseverare posse, anathema sit.* Idem tradit S. P. (*a*), S. Prosper (*b*), Gregorius Mag. (*c*), & D. Thom. (*d*).

Prob. IV. rationibus Augustini. I. est ex c. 8. de D. Pers. *Ex duobus enim piis cur huic donetur perseverantia, illi autem non donetur, inscrutabilia sunt judicia Dei:* atqui donum illud, quod inscrutabili Dei judicio uni confertur, non alteri, beneficium est, non commune, sed speciale; ergo &c. Adde quod Christus, licet pro omnibus mortuus sit, & sanguinem fuderit, quoad oblationem pretii, & remedii institutionem; specialiter tamen oravit & mortuus est pro ovibus suis, ne quis eas raperet de manu ejus; ergo &c. II. petitur ex divina dispositione, per quam *sic Deus*, ex Aug., *ordinavit angelorum, & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset arbitrium, deinde quid gratiæ beneficium:* unde primo homini sano dedit perseverantiæ potestatem, infirmo vero perseverantiam ipsam largitur: de qua noluit Dominus gloriari sanctos suos, nisi in ipso, qui eam infirmis servavit, ut ipso donante invictissime quod bonum est vellent, & hoc deserere invictissime nollent, atque hoc est donum perseverantiæ prædestinatis misericorditer præparatum. Unde donum gratiæ fuit perseverantia angelorum, sed non

(a) *L. de Don. Pers., de Prædest. sanct. c.* 14., *de Corr. & Gr. c.* 8., 9., & 12. *&c.*
(b) R. 6. *ad Cap. Gall., ad Obj. Vinc.* 14.
(c) *L.* 23. *Mor.* (d) 2. 2. *q.* 137.

non ſpeciale. Idem docet D. Thom. 2. 2. q. 137. & alibi.

III. ratio petitur ex parvulorum perſeverantia, tum ex iis, qui ante graves tentationes obeunt, tum denique ex iis, qui in acerrimum veniunt vitæ diſcrimen. De parvulis, præter ſap. locum, *raptus eſt &c.* hæc habet S. P. Ep. ad Paul. *Plerique accepto in illa ætate ſacramento, cum pertinerent ad vitam æternam, ſi continuo ex hac vita migrarent, ſinuntur creſcere, & nonnulli etiam Apoſtatæ fiunt. Unde? niſi quia non pertinent ad illam prædeſtinationem.* Et de Corr. & Gr. c. 8. poſt ea verba, *raptus eſt &c.* ait: *Cur ergo hoc tam magnum beneficium aliis dat, aliis non dat Deus, apud quem non eſt acceptatio perſonarum? Sicut ergo fateri coguntur, donum Dei eſſe, ut finiat homo vitam iſtam, antequam ex bono mutetur in malum: ita donum Dei eſſe in bono perſeverantiam fateantur nobiſcum, & cur aliis detur, aliis non detur, dignentur ignorare nobiſcum.* Quod etiam valet de adultis, qui poſt acceptam juſtificationem ſtatim moriuntur, de quibus ait, *donum Dei eſſe perſeverantiam, cum vitæ hujus, quando voluerit, ipſe det finem: quem ſi dat ante imminentem lapſum, facit hominem perſeverare uſque in finem.* In iis vero, qui divina ope indigent *contra tentationum impulſus*, perſeverantia cenſenda eſt amplius gratiæ beneficium, de quo ait S. P. *illam difficilius perſeverantiam, iſtam facilius eſt habere, ſed cui nil difficile eſt, facile eſt utramque donare.*

Ob. I. S. P. de Nat. & Gr. 26. ait: *Sanat Deus, ut præſtet etiam ne peccemus*; ergo juſtus per gratiam habitualem habet perſeverandi adjutorium. 2. ex Trid. Syn. Seſſ. 6.: *Deus juſtificatos non deſerit, niſi prius deſeratur*, ſed ſi juſtus per *habitualem* gratiam, & ordinaria auxilia perſeverare non poſſet, deſereretur a Deo, ante quam ipſe deſereret; ergo &c.

R. ad I. neg. conſ. Non enim Deus ordinem ſanandi

nandi accipit ab *ægroto*, ait S. P., nec solum sanat, ne ulterius peccent, si velint, sed præparat etiam voluntatem, ut velint non peccare, & sint perseverantes in finem. Ad II. neg. min. Qui enim non perseverat usque in finem prius deserit Deum: *Hi ergo, qui non pertinent ad prædestinatorum felicissimum numerum*, ait S. P. de Corr. c. 13., *pro meritis justissime judicantur: aut enim jacent sub originali peccato, aut per liberum arbitrium alia addiderunt, aut gratiam suscipiunt nec perseverant, deserunt, & deseruntur.*

Ob. II. Caussa, cur multi non perseverent ex libero arbitrio petenda est; ergo &c. R. I. neg. ant. Si absolute sumatur: non perseverantia enim in non renatis infantibus est pœna peccati, sicuti in baptizatis perseverantia est sine usu arbitrii. R. II. neg. cons. Nobis enim imputatur non perseverantia, quia libere peccamus: Deo autem perseverantia, quia ipse præparat voluntatem, & vires præbet efficacissimas.

Ob. III. Justus, ut filius Dei adoptivus, jus habet ad gloriam; ergo ad perseverantiam. R. dist. ant. Habet jus remotum, si perseveret, conc. *proximum*, itaut actu glorificetur, nisi perseveret, neg. *Qui enim perseveraverit usque in finem salvus erit*, ex Matth. 10. Si vero dicas: non negari media necessaria ad finem iis, qui ad eum jus habent. R. Ex dictis, non negari media sufficientia, sed ponentibus obicem justo Dei judicio negatur gratia efficax, qua actu perseverent.

Inst. Justis una cum caritate habituali alias virtutes largitur Deus, ergo & perseverantiam. R. neg. cons. Indiget enim homo, præter habitum supernaturalium virtutum, *gratuito auxilio Dei conservantis ipsum in bono, usque ad finem vitæ, quo protegatur contra tentationum impulsus*, ut sup. dictum est.

Ob. IV. Potest justus ad breve tempus sine speciali gratia vitare peccatum mortale; si ergo in eo

ſtatu moriatur, perſeveravit uſque in finem: atqui ex generali providentia poſſunt illi naturales cauſſæ mortem inferre; ergo non erit in eo caſu perſeverantia donum gratiæ ſpecialis. R. neg. ſubſ. Quod enim juſtus rapiatur, *ne malitia* &c., non cauſſis naturalibus tribuendum eſt, ſed ſpeciali Dei gratiæ, ut ſupra dictum eſt. Ut enim ait Apoſt. Rom. 5.: *Electi abundantiam gratiæ accipientes in vita regnabunt per unum J. Chriſtum.* Et S. P. A. de Corr. & Gr. 12.: *Primo homini datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret ut perſeveraret. Nunc vero ſanctis prædeſtinatis non tantum tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale, ut perſeverantia ipſa donetur.* Eadem habet S. Th. 1. 2. q. 109. a. 1.

DISSERTATIO II.

De variis theologorum placitis circa gratiam ſufficientem.

DE gratia ſufficiente quæremus hoc loco. I. An omnibus conferatur. II. An detur parvulis vita functis in utero matrum. III. An infidelibus. IV. Tandem an obduratis peccatoribus præſto ſit.

CAPUT I.

An gratiæ ſufficientis auxilia omnibus conferantur?

NOT. I. Controverſiam hanc non moveri de juſtis, quibus ſufficientem gratiam adeſſe profitemur. Nec de exterioribus gratiis, ut ſunt exemplum Chriſti, prædicatio Evangelii, ſaltem exhibita, inſtituta ſacramenta, ac parata omnibus medicina. Nec diffitemur, haberi veram gratiam ſufficientem ſine efficaci, ut alibi oſtendimus. Quærimus ergo, num reapſe auxilia ſufficientia ſingulis hominibus, non ſolum parata ſint & exhibita, ſed etiam in quavis circumſtantia collata? In hac ſententia verſantur Molina, Vaſquez, Suarez, Valen-

tia,

tia, Dechamps, & Bellarminus, quibus accedunt plures Thomistæ, Avila, Alvarez, Gotti, Benitez, Salmanticenses: & qui omnibus adesse putant gratiam orationis, qua petere possint auxilium sufficiens, ut in sua Instr. past. Lucionensis Antistes, Le-Moine, Tournelyus &c. Laudatur etiam pro hac sententia Norisius, sed is gratiam orationis, quæ adest omnibus justis, non adesse infidelibus propugnavit, nec justo semper tribuere potentiam proxime expeditam ad orandum contendit.

Not. II. Oppositam sententiam tradi ab Augustino, Fulgentio, Prospero, ac D. Thoma, ejusque discipulis celebrioribus, non diffitentibus Raynaudo, & Vasquesio. Fatentur etiam Salmanticenses defendi a Ledesma, Godoy, Gonzalez, Bannesio, Gonetto, quibus accedunt Lemos, Gonzalez, & auctor Hist. de Auxiliis. Negant denique auxilium sufficiens omnibus indiscriminatim conferri, præter Augustinianæ scholæ Theologos, Lovaniensis, & Duacensis Accademia, Abulensis, l'Herminier, Juenin, aliique.

Not. III. Non deesse, qui sententiam nostram ad Jansenianam accedere dictitant. Sed licet Jansenius infideles, & obduratos carere interdum gratia docuerit, distat tamen a catholicorum opinione decretum Jansenianum. Is enim, ut alibi ostendimus, nec gratiam sufficientem ab efficaci distinctam agnovit, nec indifferentiæ libertatem: utrosque peccare docens in eo, quod vitare non possunt. Nos vero nullum peccatum admittimus sine indifferentia activa liberi arbitrii, & plures esse gratiæ inspirationes, quibus resistitur. Sit itaque

Propositio I. Deus pro omnibus & singulis remedia salutis instituit, paravit, exhibuit, & quantum est ex se, nulli denegat gratiam.

Prob. I. scripturis. Sap. 12. *O quam bonus est Domine spiritus tuus in omnibus.* Ezech. 18. *Numquid voluntas mea est mors impii, & non ut convertatur a viis suis, & vivat?* 1. Tim, 2. *Vult omnes*

homines ſalvos fieri. Ep. 1. Joan. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.* Prob. II. ex Conc. Senonenſi: *Gratia ſemper eſt in promptu, nec momentum prœterit, in quo non ſtet ad oſtium, & pulſet.* Et Trid. ſeſſ. 6. c. 11. *Deus impoſſibilia non jubet;* ergo &c. Prob. III. ex PP. Innoc. ad PP. Carthag. *Deus quotidiana præſtat remedia.* S. Leo ſer. de Paſſ. ait: *Inſtat præcepto, qui præcurrit auxilio.* S. P. Tr. 12. in Jo. *Quantum in medico eſt, ſanare venit ægrotum.* Prob. IV. ratione, quia Deus pro omnium ſalute tradidit Filium ſuum; ergo &c.

Propositio II. Non eſt de fide, auxilium omnibus exhibitum, ac præparatum omnes reapſe recipere.

Prob. I. Ex confeſſione adverſariorum. Hæc enim *opinio probabiliſſima*, & ſatis communis inter graves Theologos cenſetur a Salmanticenſibus. *Ad errorem Janſenii minime pertinere, compertiſſimum* putat Maſſoulieus. *Catholicos DD. de juſtis convenire, non de aliis*, affirmat Em. Gotti. Benitez hanc ſententiam probat, & argumentis illuſtrat. Vaſqueſius ait, *de mera ſcholæ quæſtione, non de fide moveri quæſtionem.* Prob. II. auctoritate clar. Virorum, Lemoſii, Banneſii, Ledeſmæ, Goneti, Duacenſis, & Lovanien. Accademiæ, Driedonis, Gregorii, Noriſii, Abulenſis &c.

Prob. III. Hanc quæſtionem ſpectare ad fidem non evincitur ex ſcripturis: quibus probatur tantum, Deum omnibus opem ferre, ſed plura extant loca, ubi minitatur, ſe ablaturum ſepem vineæ producenti labruſcas, deſerturum Babylonem &c. Plura etiam de exterioribus gratiis, de efficacia remedii, de auxiliorum præparatione accipienda ſunt. Neque probatur ex traditione. Stant enim pro hac ſententia S. P. A., Proſper, Fulgentius, Gregorius Mag., Bernardus, & D. Thom. Neque ex voluntate Dei ſalvandi omnes, Nam ea volun-

tas est antecedens, non consequens: atqui ex voluntate antecedenti in singulos actualis gratia non derivatur, sive eam dicas voluntatem signi, non beneplaciti, sive eam explices, relate ad universum humanum genus, non ad individua, sive nobiscum ejus effectum asseras institutionem ordinis, non consecutionem. Atqui ad voluntatem antecedentem sat est, si remedia sint instituta, & auxilia parata, quod etiam sat est ad communem omnium redemptionem, ut ostendimus cap. 4. de H. Jans.; ergo hæc questio ad fidem non spectat.

Propositio III. Non est necessaria ad imputationem peccati actualis gratiæ inspiratio.

Prob. I. Sufficit ad merendum, vel demerendum libertas indifferentiæ, *quoad exercitium*, nec requiritur, *quoad specificationem*, sed sat est, si adsit libera potestas agendi, vel non agendi id, quod opere ipso exercetur: hæc autem potestas reperitur etiam in iis, qui carent gratia sufficienti; ergo possunt vere peccare. Prob. min. Extat in nobis liberum arbitrium ad malum sine gratia: non enim ad hoc, vel illud bonum voluntas est naturaliter determinata; ergo libere peccat. II. Salvatur per D. Thom. in Christo libertas, ex quo ejus voluntas, *licet sit determinata ad bonum, non est tamen ad hoc vel illud bonum;* ergo salvatur etiam in homine gratia destituto, quia licet sit determinatus ad malum, non est tamen ad hoc, vel illud. III. Damnati, ac dæmones per Bellarminum, & Estium *vere peccant, quia multa faciunt, quæ possunt non facere*, licet gratiam habere non possint; ergo a fortiori peccant mortales, qui illam habere possunt. IV. Theologi cl. Jansenianos refellunt hoc argumento: licet nihil boni possimus sine gratia, habemus tamen in malis faciendis libertatem; ergo ex privatione gratiæ non infertur peccandi necessitas. Qua responsione facilius eorum ora obstruuntur, quam si respondeas, gratiam adesse singulis, quia hoc in controversia est. *Quid enim?* ait Pe-

tavius l. 4. de Op. ſex dierum: *Non ſaltem eo ipſo habet* (voluntas) *indifferentem motionem, quod vel in malis unum optare poteſt e pluribus, vel cum iſtis naturalia bona comparare? quod ad libertatem ſufficit;* ergo alieni a gratia libere peccant.

Prob. II. ex Patribus. Nam Auguſtinus, objicientibus Pelagianis excuſationem eorum, qui ajunt: gratiam non accepimus, non reſpondet, eſſe inexcuſabiles, quia adeſt unicuique ſufficiens auxilium; ſed R. Ep. ad Xiſtum verbis Ap. *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Et l. 1. Op. imp. n. 98. ait: Deum ad peccata non cogere, quia *homo & peccare, & non peccare poteſt, ſed alterum horum non facit, niſi adjutus a Deo.* Et qu. 50. in Deut. ait: *Si adjutorium Dei deſit, non ideo excuſabile eſt vitium;* quæ verba non de *habituali* gratia, ſed de *actuali*, debent accipi ad ſervanda præcepta neceſſaria, alioquin inepta eſſet ad objecta Pelag. & Maſſil. S. P. A. reſponſio, ut obſervat Van-roy, & Lemoſius. Eadem docent S. Proſper (*a*), Fulgentius (*b*), & D. Thomas (*c*).

Prob. III. Ex doctrina Lovanienſium. In Juſtif. habetur, *Ut homo poſſit converti, non requiritur, ut habeat gratiam ſufficientem eo tempore, quo poſſe dicitur, ſed ſat eſt, ſi obtinere poſſit: quomodo dicitur homo poſſe manducare panem, etiam cum panem non habet, nec unde ſibi panem comparet.* Atque hæc eſt potentia *remota.* Hinc S. Th. 1. 2. q. 109. ait, illud non eſſe impoſſibile quod poſſumus cum auxilio divino. Nec dicas, id illuſórie dici, ſi hoc deſit auxilium, deeſt enim libere ponentibus impedimentum, cum ſimus etiam ſine gratia liberi ad malum, ut dictum eſt.

Prob. IV. Ratione. Vel enim de infidelibus *negative*, vel de infidelibus *poſitive*, vel de fidelibus loquimur. Primi, cum laborent ignorantia invincibili,

(a) *Carm. de Ingr. c.* 32 (b) *De Ver. præd. c.* 20.
(c) *Apud Lemoſ. Panopl. c.* 14.

cibili, tenentur ad solam legem naturalem servandam, ad hoc autem, aut gratia indigent, vel non. Si non indigent ad legem, cur indigent ut peccatum imputetur? Si indigent, non ponant obicem, & gratia non deerit. Si infideles sunt *positive*, vocati sunt & renuerunt; ergo jure repelluntur. Si sint fideles non possunt dicere *non accepimus*; ergo ut sint inexcusabiles, non requiritur actualis gratia: sed sat est, si vel collata fuerit aliquando, vel caussa cur non detur ex ipso sit repetenda: habeatque libertatem indifferentiæ.

Propositio IV. Fideli, nisi ponat obicem, adest gratia orationis, non tamen infideli.

Prob. propos. ex Augustino de Gr. & lib. arb. 16. *Ipsa est fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.* Et ep. ad Asselicum: *Utilitas legis est, ut homines de sua infirmitate convincat, & gratiæ medicinam implorare compellat;* ergo &c. Hinc Trident. Syn. Aug. verba: *Deus impossibilia non jubet* &c. suis decretis consecravit, qui ergo *voluerit, & non potuerit*, ait S. P. de Nat. & gr. 15. *oret ut habeat tantam voluntatem.* Ex his constat I., non habere infideles gratiam ad orandum: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt*, ait Ap. Rom. 10. II. Fideles non semper propriam infirmitatem agnoscunt, *& ista implicati superbia ad gratiam non convertuntur juvantem*, ait S. P. contra duas ep. Pel. l. 3. c. 7. ergo &c.

Propositio V. Nemo absque gratia per se efficaci habet potentiam orandi conjunctam cum actu.

Prob. I. Ex dictis. Nemo enim, ut Norisius ostendit, in Calumn. subl. c. 3. (1) sine gratia per se

(1) De Norisii mente circa gratiam orationis, an scilicet efficacem, an vero sufficientem dumtaxat gratiam necessariam admiserit ad orationem minus fervidam, infra erit sermo in Appendice hujus capitis.

ſe efficaci poteſt præſumptionem vitare, & concupiſcentiam reprimere. *In infirmitate* enim, ait S. P. de Corr. c. 2. *propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat.* Prob. II. Nam argumenta, quibus neceſſitas gratiæ efficacis oſtenditur, valent etiam de gratia ad orandum. Habetur Rom. 8. *Nam quod oremus ſicut oportet neſcimus, ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarr., quia gemendi inſpirat affectum*, ait S. P. ep. ad Xiſtum. Et Eccleſia orat: *Fac ea, quæ tibi ſunt placita poſtulare. Aperi Domine os meum* &c. Hinc S. P. ibidem etiam de oratione ait: *Adjutorium Spiritus ſancti ſic expreſſum eſt, quod ipſe facere diceretur, quod ut faceremus facit.* Et Fulgentius l. 2. de Ver. prædeſt. c. 4. ait: *Non poſſumus petere, niſi Deus in nobis operetur & velle.* Eadem habet S. Proſper contra Coll. 23. Prob. III. Si enim id poneremus ſine gratia, unum ab alio diſtingueret oratio ſua, & præparatio gratiæ efficacis, non eſſet ex prædeſtinatione inſcrutabili, ſed ex præſcientia orationis, quod Auguſtinianum de gratia ſyſtema funditus evertit; ergo &c.

Propositio VI. Probabilior ſententia eſt, auxilia ſufficientia, quibuſdam aliquando eorum culpà deeſſe.

Prob. I. Nam gratia ſufficiens donum eſt; ergo Deus non eſſet iniquus, ſi illam ſingulis denegaret: alias non eſſet gratia, ſed debitum. *Dando enim quibuſdam quod non merentur, profecto gratuitam ſuam gratiam eſſe voluit: Non omnibus dando, quid omnes mereantur oſtendit*, ait S. P. de Don. Perſ. c. 11. Nec dicas: debitam eſſe gratiam ſufficientem, ſuppoſito legis præcepto, ut imputetur ad culpam tranſgreſſio; nam Adæ peccatum non exemit hominem ab obſervantia legis naturæ ſemper obligantis, ut obſervat Noriſius, & tamen ipſe omne jus ad gratiam amiſit. II. S. P. de Corr. & gr. c. 11. ait: *Nunc autem quibus deeſt*

tale

tale adjutorium (sine quo) jam pœna peccati est; quibus autem datur, secundum gratiam datur; ergo deest nonnullis adjutorium, *sine quo*, impii, aut infideles non convertuntur; de hoc enim ibi disputat S. P. adversus Adrumetinos.

PROPOSITIO VII. Qui non adjuvatur a Deo queri debet de prava sua voluntate.

Probatur I. Etenim Deus, quantum est ex se, gratiam largitur omnibus, ut patet ex Prop. I. II. S. P. de Pecc. mer. l. 2. c. 17. ait: *Ut homines non adjuventur in ipsis caussa est, non in Deo.* III. S. Th. lib. 3. contra Gent., & 1. 2. q. 112. art. 3. ait: *Defectus gratiæ prima caussa est ex nobis, sed collationis prima caussa est ex Deo, secundum, illud Os. 13. Perditio tua Israel, tantummodo ex me auxilium tuum.* Dices: Obicem gratiæ non ponere nemo potest sine gratia; ergo &c. R. Hanc objectionem esse Pelagii, eamque l. 1. ad Bonif. c. 2. ita solvit S. P.: *Liberum arbitrium in peccatore non periit, ut per illud peccent, qui cum delectatione peccant. Unde Ap. Cum essetis*, inquit, *servi peccati, liberi fuistis justitiæ. Liberi ergo a justitia non sunt, nisi arbitrio voluntatis, liberi autem a peccato non sunt nisi gratia Salvatoris*; ergo sine gratia habetur liberum arbitrium sufficiens ad peccandum, licet sine gratia non sufficiat arbitrium ad illud vitandum, & faciendam justitiam; quia sine gratia habet quisque circa actus peccati liberam optionem, ut docet S. Thomas, & propos. 3. nos supra ostendimus. Constat ergo, majores nostros æquissimam tradidisse doctrinam, licet opposita sit probabilis.

Ob. I. Ezech. 33. habetur, Deum omnes hortari, *ut ad illum convertantur.* Prov. 1. *Clamitare in capite turbarum, & in foribus portarum proferre verba sua*, & Apoc. 3. habetur: *Sto ad ostium & pulso.* Tim. 1. *Vult omnes homines salvos fieri.* Et 2. Petr. 3. *Nolle aliquos perire.* 2. Cor. 5. *Pro omnibus filium suum tradidisse.* Jo. 1. ait: *Illuminat*

omnem

omnem hominem, & Pf. 18. *Nemo fe abfcondet a calore ejus*, If. 5. *Quid debui facere vineæ meæ?* Et Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos.* Sed, nifi daret fingulis gratias fufficientes fruftra clamaret, pulfaret, nec illuminaret &c. ergo &c.

R. I. Deum, quantum in fe eft, gratiam fingulis paraffe, exhibuiffe, & conferre etiam petentibus, & volentibus, adeoque reluctantiam, cæcitatem &c. ex arbitrio pendere. Cum enim præcedat in omnibus lumen rationis; & libera optio malorum, habetur plena poteftas ad malum, licet ad bonum neceffaria fit gratia. Infuper fpeciale adjutorium elargiri omnibus fecundum diftributionem *accommodam*, aliquibus enim non prædicari Evangelium Spiritu fancto prohibente, derelinqui Babylonem; feptem auferri vineæ, excæcari impios ne videant, ex fcripturis manifeftum eft. III. Oftendit Fulgentius de Incarn. & gr., τὸ *omnes*, non femper fingulos defignare, ut illud Joelis: *Effundam fpiritum meum fuper omnem carnem, & prophetabunt*: nec tamen finguli prophetarunt. Et illud Pf. 85. *Omnes gentes venient* &c. nec tamen omnes gentes ad fidem venere: ita *vult Deus omnes falvos fieri* &c. nec tamen omnes reapfe falvantur.

R. II. Ad I. dift. ant. Hortatur per fe, neg. per Prophetam, conc. Habetur enim: *Tu ergo fili hominis dic ad domum Ifrael*: adeoque de folis fidelibus, & de folis gratiis exterioribus locus ille accipi debet, nam per gratiam internam loquitur Deus fubminiftratione Spiritus fancti, nec folum invitat, fed etiam infpirat fuavitatem. Ad II. R. Commendari fapientiam Dei in mundi opificio, in promulgatione legis, & Prophetarum oraculis. Ad III. R. ibi de ovibus prædilectis fermonem inftitui, nec opus effe, ut Deus pulfet fingulis momentis. De voluntate Dei falvandi omnes alibi dictum eft, & locus Jo. 1. de naturæ lege, ac rationis lumine, quod omnibus affulget, exponi debet cum D. Th. juxta illud Pf. 4. *Signatum eft* &c. *Si ipfe*

est lumen, ait S. P. in Ps. 103. *si ab ipso recesseris, nec in lumine eris, & quid de te sequetur? quod dixit de impiis: Fiat via illorum tenebræ.* Rem explicat S. Thomas exemplo solis, *qui licet quantum est de se omnia corpora illuminet, si quod tamen impedimentum inveniat, relinquit illud tenebrosum: ita Deus lumen gratiæ interius non immittit illis, in quibus obstaculum invenit.* Isaias, & Matthæus loquuntur de Synagoga Judæorum, & sententiæ nostræ vim addunt. Ille enim ait: *Auferam sepem ejus*, hic vero, *Relinquetur domus vestra deserta;* ergo &c.

Ob. II. Ex definitionibus Ecclesiæ. In cap. *Firmiter* habetur Lapsum *per veram posse semper pœnitentiam reparari.* Trid. Synodus sess. 6. ait: *Deus sua gratia semel justificatos non deserit:* Senonensis ait: Quod *nec momentum prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset.* Coloniensis: *Nullus est peccator tam scelestus, cui Deus gratiam penitus subtrahat.*

R. ad I. sensum illius cap. esse, per pœnitentiam posse deleri peccata post baptismum, neque ea esse irremissibilia; potest ergo *de peccato ad justitiam redire*, ait S. P. de Nat. & gr., c. 23. sed ad hoc *opus habet medico, quia sanus non est.* Ad II. R. retorquendo argumentum: Si enim non deserit Deus, nisi deseratur; ergo si deseratur, deserit, ita S. P. loc. cit. & alibi. Ad III. R. I. Conc. Senonense & Colon. esse provincialia, adeoque non infallibilis auctoritatis. R. II. Senon. eo sensu ait adesse semper gratiam, quatenus est *in promptu*, idest singulis præparata, Coloniensis vero consulto addidit particulam *penitus*, ut pateat, cuilibet scelestissimo peccatori non subtrahi gratiam *omnino*, quia interdum recipit illustrationes, vel saltem jus habet ad Sacramenta, quibus peccata delentur: ubi nota, nec adversarios nostros asserere, Deum omni momento sanctas cogitationes, & pia desideria excitare in singulorum animo. Vide auctorem.

Ob.

Ob. III. ex Patribus. S. P. A. de Lib. arb. c. 18. & de Nat. & gr. 67. ait: *Cum vero multimodis per creaturam ſibi Domino ſervientem averſum vocet, doceat credentem, conantem adjuvet* &c. *non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras*; ergo &c.

R. Gonzalez, Auguſtinum aſſerere, neminem poſſe excuſari ob ignorantiam, quia Deus, vel per legem ſcriptam, aut per naturalem, aut per Evangelii prædicationem omnes inſtruit, & vocat; ſcite ergo ait, S. P. dixiſſe, *per creaturam ſibi Domino ſervientem*, ut pateat, non ſemper vocare ſeipſo, & per internam ſubminiſtrationem Spiritus ſancti. Deinde aliud eſt Deum vocare, aliud *eſſe præſentem, ut vocet.* Illud actualem gratiæ ſubminiſtrationem, hoc præparationem ſignificat.

Ob. IV. S. P. Serm. 2. in Pſ. 58. habet: *Si nolis curari vulnus tuum, admonet, ut cureris. In omnibus implet quod dictum eſt: Miſericordia ejus præveniet me.* Et Pſ. 102. *Vocat undique ad correptionem, vocat beneficiis, vocat per lectorem, per intimam cogitationem, per flagellum* &c.; ergo &c. R. neg. conſ. Ex hoc enim argumento adeſſet ſingulis, nedum gratia ſufficiens, ſed etiam efficax, ideſt compellens juxta phraſim orationum Eccleſiæ, & attrahens per victricem delectationem. Addit S. D. neminem prætermittere, ſed *opus eſt, ut curari velis.* Quod ſi refugias *odit repellentem manus ſuas.* Ad II. R. eodem modo: deinde aio, commemorari ibi omnia gratiarum genera, quæ ſingulis impendi nemo dixerit.

Ob. V. Ex ratione. Nam quilibet homo libere peccat, & pœnitere, & mandata ſervare poteſt, ſed ſine gratia neceſſariō peccat, nec pœnitere poteſt, nec recte agere; ergo &c. Hoc argumentum plures Thomiſtas a ſententia majorum alienavit: non enim percipiunt, quomodo præcepta non ſint impoſſibilia, ſi denegetur auxilium, quo poſſint impleri. Nec dicas cum D. Thoma, non eſſe impoſſibilia, quoniam poſſumus gratiam accipere,

juxta

juxta illud, quod per amicos possumus &c., nam si amici nos deserant, ut sæpe fit, quæ spes erit reliqua? Adde, libertatem ad malum etiam in dæmonibus vigere, impium est tamen damnatos viatoribus comparare; ergo &c.

R. neg. min. Est enim in peccante libertas indifferentiæ, quoad exercitium, idest in optione malorum: imo observat S. Th. fieri posse, ut *aliquis sit impotens ad faciendum, quod oportet: quod si fit propter ejus culpam præcedentem, ut cum quis se inebriavit, & non potest surgere ad matutinas, omissio imputatur ad culpam propter transgressionem præcedentem.* Quæ tamen ita accipienda sunt, ut imputetur peccatum, quando est *in exercitio* libera mediorum electio. Respectu autem bonorum operum, qui caret auxilio sufficienti, non habet potentiam proximam, peccat tamen illorum omissione, quia ejus impotentia est libere volita, propter obicem potentiæ proximæ, adeoque non excusat a culpa. Ceterum potentia remota semper in hac vita superest cuivis peccatori, quia adjuvari potest a Deo.

Dices: Quid si amicus nolit opem ferre? R. Deum non defuturum, nisi tu ponas impedimentum. Malum ergo nullam habet caussam, nisi ab hominum voluntate, bonum vero a voluntate divina, a qua denegatur quidem gratia justo judicio, reluctantibus & nolentibus, sed misericorditer cuique confertur. Ad ultimum R. Magnum esse discrimen inter damnatos, & impios viatores. Impii enim, quandiu vivunt, converti possunt a Deo gratiæ largitore. Orat etiam pro ipsis Ecclesia, eisque patet semper accessus ad Sacramenta, adeoque de nullo mortali homine est desperandum, licet enim indigni sint plurimi, mediatorem tamen habent dignissimum apud Patrem. Hoc bono carent dæmones, & spiritus damnatorum, qui, licet libere peccent, non tamen demerentur, quia sunt in termino. Eandem ergo sortem esse damnatorum, ac repro-

borum

borum viventium magnum eſt Calviniſtarum deliramentum. Verum quidem eſt, quod *multorum hominum malitia talis eſt, qualis eſt dæmonum: ſed hoc inter malos homines diſtat & dæmones, quod hominibus etiam valde malis ſupereſt, ſi Deus miſereatur, reconciliatio; dæmonibus autem nulla eſt ſervata converſio.* Ita S. Proſp. ad Obj. 6.

APPENDIX

CAP. PRÆC.

Ubi de Noriſii mente circa gratiam orationis diſſeritur.

Putaruntnonnulli,Emi-nent. Noriſium ab avita Auguſtini doctrina hac in parte deſciviſſe, & ſolam gratiam verſatilem ad orationem minus fervidam ſufficere docuiſſe „ſed plane deci-„piuntur, ait in ep. ad „quendam Aug. Magi-„ſtrum Reverendiſſ. „Nuzzius Ord. noſtri „Generalis, qui ſumma „familiaritate cum Nori-„ſio conjunctus fuit. „Quamvis enim ſubob-„ſcure ea de re locu-„tus fuerit Noriſius, eo „quod circa finem im-„preſſionis ſui operis ad „ſacram purpuram pro-„motus, curis gravio-„ribus, præſertim initio „occupatus, mentem „ſuam clarius exponere „non potuit, tamen at-„tendenti ſatis conſtat, „ipſum ad omnem ora-„tionem gratiam effica-„cem requirere. Docet „enim, quamcumque „orationem a fide & di-„lectione, eorumque „actus a gratia efficaci „pendere. Quæ in illu-„ſtratione mentis, atque „in inſpiratione volun-„tatis eſt ſita. Docet er-„go, orationem minus „fervidam a gratia effi-„caci pendere. En ita-„que argumentum. Opus „pendens a principio, „quod a gratia efficaci „dependet, & ipſum ab „efficaci gratia pendere „dicendum eſt, atqui „oratio minus fervida „pendet a fide & dile-„ctione, quæ gratia effi-

„caci

„caci dependent, *quia* „(concludit Norisius) „*etiam homo, dum orat,* „*præmovetur ex inspi-* „*rata dilectione præcepti,* „*ac desiderio ejusdem* „*adimplendi, qui actus* „*ab efficaci gratia depen-* „*dent;* ergo &c. Qua „de re pluries invicem „sermonem habuimus„. Hæc Nuzzius.

Nec te moveat, scripsisse Norisium in Calumnia subl. actus hujusmodi fieri auxilio *sine quo non*, minime vero cum auxilio *quo*, sive efficaci. Nam Emin. scriptor, juxta Aug. de divina gratia systema, justum spectat relate ad actualem præcepti observationem; juxta quem respectum considerat auxilium illud *sine quo non*, hoc autem relate ad actuale complementum, est gratia & *voluntas parva* & *invalida* August. sed relate ad actus debiliores est auxilium efficax. Constat ergo, *potentiam proximam orationis tenuis*, seu minus fervidæ descendere ab auxilio *sine quo non*, sive a gratia sufficienti, relate ad præcepti observantiam, actusque perfectos, ast relate ad simplex desiderium adimplendi præceptum, ab eodem auxilio provenit, prout efficax est, non quatenus est mere sufficiens. Cumque auxilium illud *sine quo non*, a gratia excitante, quam Nostrates admittunt, non distinguatur, quæ relate ad effectum, cui ordinatur, sufficiens est, sed relate ad effectum, propter quem confertur, est efficax; idcirco utitur Norisius verbis *excitat, impellit illud desiderium implendi præceptum ad orandum.*

Illud etiam prætereundum non est, Norisium spectare auxilium *sine quo non*, (quod est desiderium implendi præceptum, & dandi potentiam proximam orationi tenui) veluti per se, & vere efficax. Sed illud inefficax, & tantummodo sufficiens evadere ob humanæ voluntatis obicem, ob præsumptionem nempe, nostramque superbiam, qua illi resistitur. *Hinc patet, cur Norisius dixerit hominem resistere gratiæ debili ac*

remotæ, ut ipſe ait circa finem §. 1. Nam auxilium *ſine quo non*, relate ad complementum præcepti, & ipſum auxilium efficax *quo*, relate ad actum debilem & imperfectum, evadit propter obicem inefficax, nec ultra confert potentiam proximam ad orationem tenuem, ſeu minus fervidam. Cum ergo juxta Noriſium juſtus actualiter orationem illam tenuem emittit, emittit *per gratiam ſeipſa efficacem*, quam tamen auxilium vocat *ſine quo non*, relate ad actum ultimum & perfectum, ad quem ordinatur. Cum autem non emittit, eam ponit in potentia remota ad eandem orationem tenuem ratione obicis, & tunc gratia orationis tenuis eſt inefficax, remanet tamen efficax, relate ad antecedentes effectus, ut ſunt excitamenta actualia ad obſervantiam præcepti, ſed *parva, & invalida*. Uno verbo, Scopus Noriſii eſt, oſtendere contra Janſenium, dari in hoc ſtatu naturæ lapſæ *auxilium ſine quo non*, eoque fieri actus debiles, utpote provenientes a voluntate parva, & invalida, relate ad actualem præceptorum obſervantiam in juſtis, atque ipſis reſiſti, ut dictam eſt.

Apparet prima fronte, Noriſium deſcribendo auxilium *ſine quo non* illud aſſerere, ejuſdem naturæ eſſe cum auxilio Adæ innocentis, verum in fine §. magnum diſcrimen profert inter utrumque ratione infirmitatis originalis; jure ergo doctus Anonymus, qui Languetum confutavit circa voluntatis æquilibrium, reſpondens difficultati petitæ ex Noriſiana ſententia circa gratiam orationis, veluti fabulam rejicit eorum opinionem, qui ajunt, Noriſium docere, poſſe actu orationem tenuem emitti ſola gratia ſufficienti. Ex ea enim perpetua Noriſ. conditione, *niſi obicem ponat, habet ſemper potentiam proximam ad orandum*, ſatis conſtat, eandem admiſiſſe gratiam excitantem, quam nos admittimus, quæque efficax eſt reſpectu minoris actus, & reſpectu majoris,

ris, ob majorem voluntatis obicem, fit inefficax, & sufficiens appellatur.

CAPUT II.

An gratia sufficiens parvulis omnibus conferatur.

Parvulos omnes recipere saltem remote medium sufficiens ad justificationem affirmant Moliniani, negant ex adverso Thomistæ, quibus subscribit Vasquesius, insignis ex S. J. Theologus, quibuscum sit

Propositio. Non datur actu parvulis vita functis in utero matrum gratia sufficiens.

Prob. I. Cum parvuli non sint rationis compotes, nulla gratia in iis locum habet, nisi exterior, idest ministratio baptismatis, omnibus necessaria ad salutem, juxta illud Joan. 3. *Nisi quis renatus* &c., sed baptisma iis non ministratur; ergo &c.

II. Confirmatur ex Augustino l. de Don. pers. 12.: *Quid dicam, quod parvulus aliquando, ante quam illi per ministerium baptismatis succurri possit, expirat:* ergo per Augustinum nullus in pueris istis succursus, aut gratia locum habet. Neque id fit culpa parentum, aut ministrorum. *Nam plerumque*, subdit S. D. *festinantibus parentibus, & paratis ministris, Deo tamen nolente, non datur. qui parvulum in hac vita non tenuit, ut daretur.* Et l. 6. contra Julianum c. 14. *Deus aliquando adoptat in filium, quem format in utero immundissimæ fœminæ, & aliquando non vult esse suum filium, quem format in utero filiæ suæ. Ille quippe ad baptismum pervenit, iste repentina morte non pervenit;* iis ergo negatur gratia baptismatis ob originale peccatum, non ob præscientiam futurorum, neque ob eorum voluntatem, quam non habent contrariam, neque ob culpam parentum, ac ministrorum.

III. Accedit ratio: ideo enim parvuli ante baptismum moriuntur, quia Deus generalis provisor impedire non vult ordinem caussarum secundarum, unde

unde infertur eorum mors peracerba, aut ex matris infirmitate, aut ex pueri complexione, aut ex alia extrinseca caussa: atqui mors, primi hominis culpa, in omnes pertransit ex Apostolo; ergo hæc culpa in causa est non collationis baptismatis. *Neque fato cogitur Deus illis infantibus subvenire, illis autem non subvenire, cum sit utriusque caussa communis: aut res humanas in parvulis fortuitis agi casibus opinabimur, quandoquidem, nec passer cadit in terram sine voluntate Patris nostri?* Ita S. P. c. 12. de Don. perf. Vide præced. cap. VII.

Ob. I. S. Prosper l. 2. de Voc. gent. c. 23. ait: *Non irreligiose arbitror credi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus; qua si bene uterentur parentes, & ipsi per eos juvarentur:* ergo &c.

R. I. Cum Norisio, aliisque, libros de Voc. gentium non esse Prosperi, quod patet ex testimoniis directe pugnantibus cum aliis in R. ad Obj. Massil., & in Carm. de Ingr.; adeoque eorum auctorem medium quid sapere inter Semipel. & Aug. R. II. Neg. conf. Nam cap. 21. præc. de his parvulis absolute pronunciat, eos manere sententiam mortis pro Adamo latam: *De immaturitate vero mortis non esse rationem conquerendi, cum semel in naturam nostram per peccatum ingressa mortalitas obnoxium sibi omnis vitæ nostræ fecerit diem.* Hæc ergo caussa est, cur plurimi rapiantur sine baptismo, & non semper neglectus parentum. Quod ergo ait de parvulis *paucorum dierum*, accipi debet de notitia veritatis, quam horum parentes potuerunt accipere ab obsequiis, & testimoniis elementorum, at negligentes non studuerunt sibi, ac posteris consulere, veram amplectendo religionem. Nam c. 25. docet, gratiam, quam universis generationibus Deus indifferenter impendit, esse testimonium elementorum, per quod ad quærendum Deum possunt homines adjuvari.

Ob.

Ob. II. Deus *vult omnes homines* (adeoque etiam parvulos) *salvos fieri*; ergo &c. Prob. conf. Qui enim vult alicui finem, vult etiam ipsi media, quibus finem assequatur. R. dist. ant. Deus vult &c. voluntate antecedente, conc., voluntate consequente, neg. Nam ad voluntatem antecedentem spectat sacramenti institutio & præparatio remedii, ad voluntatem consequentem ejus collatio & applicatio: iis itaque parvulis institutam, ac paratam esse medicinam & media ad salutem necessaria certum est, negamus tamen, ea singulis parvulis applicari. Nam S. P. expresse docet, *Deo nolente* (voluntate scilicet consequentiæ) baptismum parvulo non dari, qui eum in hac vita non tenuit, ut daretur. *Unde manifestum est*, ait S. P. epist. 107. ad Vit., *eos, qui huic resistunt veritati, non intelligere qua locutione sit dictum, quod omnes homines vult Deus salvos fieri, cum tam multi salvi non fiant, non quia ipsi, sed quia Deus non vult, quod manifestatur in parvulis.*

Ob. III. Christus pro omnibus, adeoque etiam pro parvulis mortuus est; ergo &c. R. neg. conf. Quamvis enim Christus, nedum quoad sufficientiam, sed etiam quoad exhibitionem pretii, & remedii institutionem mortuus sit, non tamen sequitur, hæc remedia, vel pretium actu omnibus applicari: *Non enim omnes mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur*, ut ait Trid Syn. sess. 6. c. 3., & Catech. R. docet: *Non ad omnes, sed ad multos tantum eam fructus utilitatem pervenire.* Nec dicas: Concilium Trident., & Catech. R. nomine beneficii, aut fructus medium ad salutem efficax intelligere. I. Enim S. Syn., & Catechismus absolute declarat, beneficium, & fructum mortis & sanguinis Christi non omnibus conferri, atqui gratia sufficiens maximum est beneficium, & fructus passionis ac mortis Christi; ergo &c. II. S. Synodus, & Catech. exponens sensum, quo Christus pro omnibus mortuus est, gra-

tiæ ſufficientis, quæ ex morte Chriſti in homines fluit, non meminere, ſed aut *virtutem* exprimunt, aut auxilii præparationem; ergo gratiam ſufficientem excludunt.

CAPUT III.

An gratia ſufficiens infidelibus conferatur?

NON hic agimus de infidelibus, quibus aliquando prædicatum fuit Evangelium: iis enim etiam interiores gratias potuiſſe conferri non diffitemur: ſed quæſtio eſt de infidelibus negativis; qui nempe de Evangelio nihil audire potuerunt. His autem auxilium ſaltem remote ſufficiens ad ſalutem conferri contendunt Moliniani, repugnant Thomiſtæ. Sit itaque

PROPOSITIO. Infidelibus negativis, non confertur gratia ſufficiens.

Prob. I. ex Ap. Rom. 10.: *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante?* atqui non omnibus prædicatum eſt Evangelium; ergo &c. Prob. min. ex c. 16. Act., ubi legitur, Apoſtolos aliquando prohibitos a Spiritu S., ne loquerentur verbum Dei in Aſia, & cum vellent ire in Bithiniam, id non permiſiſſe ſpiritum Jeſu; ergo, antequam ibi Evangelium prædicaretur, plures periere, abſque ulla gratia. Poſt Apoſtolos etiam plures eſſe gentes, quibus nondum prædicatum eſt Evangelium, teſtantur S. P. A., D. Proſper, & PP. in Sardinia exules. Et noſtro quoque ævo plures hujuſmodi extare ex hiſtoriis colligitur; ergo &c.

Prob. II. ex PP. Auguſt. de Don. perſ. c. 9. ait: *Ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iſte ita vocetur, ut vocantem ſequatur, ille autem, aut non vocetur, aut non ita, ut vocantem ſequatur, inſcrutabilia ſunt judicia Dei;* ergo S. P. docet negari aliquibus, non ſolum vocationem efficacem, & congruam, ſed etiam inefficacem, & ſufficientem.

Et

Et S. Prosper Sent. 4. ait: *Scimus, in omnes fines terræ Evangelium destinatum; sed non putamus, jam omnibus prædicatum, nec possumus dicere, quod ibi sit gratiæ vocatio, ubi matris Ecclesiæ nulla est regeneratio;* ergo &c.

Prob. III. ratione. I. Fides est justificationis initium, ex Trid. sess. 6.; ergo deest gratia, quibus deest fides. Nec dicas, præter fidem explicitam in Christum, dari fidem aliquam inchoatam, qualem habuit Cornelius; nam & hæc fides *quibusdam non datur*, ut ait S. P. de Præd. Ss. 9. II. Infidelitas pure negativa peccatum non est, ut patet ex art. Baji 65.; atqui, si omnes infideles haberent gratiam sufficientem, ut crederent, non essent infideles negative; possent enim superare ignorantiam, aut si id non possent, infidelitas negativa peccatum esset; ergo &c. Vide Lemosium loco cit. c. 12. III. Infideles sunt filii iræ, & vindictæ; cur ergo non potest Deus gratiam iis denegare? Num quia legem naturæ implere potest, quoad officia? Sed nulla actio naturalis gratiam de condigno, aut de congruo mereri potest. Num quia hoc postulat lex æquitatis? Sed, si gratia est, debet esse gratuita; ergo &c.

R. adversarii: deesse infidelibus gratiam *proxime* sufficientem ad immediate credendum, non vero gratiam *remote* ad bonum aliquod faciendum, per quod possint se ad fidem obtinendam disponere; ergo possunt infideles, quibus nunquam annunciatus est Christus, habere fidem, quantum ad actum remotum, & mediatum, licet non possint, quoad immediatum, & proximum. Verum, cum adversarii contendant, adesse singulis infidelibus gratiam *proxime* sufficientem ad actum mediatum, sive disponentem ad fidem, idque singulis momentis, & præsertim, dum urget præceptum, non potest admitti illa responsio. I. Quia de gratia *remota* ad credendum, seu de primo fidei initio disputat S. P. adversus Semipel., ubi ait, quibusdam dari, aliis nega-

negari. II. quia S. P. de Corr. c. 6. ait: infideles esse objurgandos, non quia iis præsto esset gratia sufficiens, sed quia fecit Deus hominem rectum, & gratia negatur ob Adæ peccatum. Addit, adjutorium *sine quo*, sive sufficiens omnibus in hoc statu non dari; ergo per Aug. aliqui destituti sunt gratia sufficienti ad opus bonum, sive fide patratum, ad fidem disponens. Denique, si in potestate hominis est aliqua virtus, qua disponatur ad fidem, nulla erit mysteriorum fidei ignorantia invincibilis, quia si poneretur medium illud remotum, daretur proximum, ideoque non datur, ex illatione sententiæ oppositæ ob illius culpam liberam & voluntariam.

Nota: quod si adversarii auxilium *remote* sufficiens constituerent in collustrationibus leviter excitantibus voluntatem interdum unicuique a Deo inspiratis, sive in ipsa præsentia Dei, qui per creaturas multimodis vocat aversum, docet credentem, adjuvat conantem, quod adjutorium Norisius non rejicit, singulis hanc gratiam dari concedi posset. Certum est enim divinam misericordiam nemini defuturam, si nemo negligeret quærere, quod ignorat.

Ob. I. Injustitia quædam esset in Deo, si infidelibus Deum ratione cognoscentibus, & ad rationis normam viventibus gratia sufficiens ad fidem non tribueretur. II. Damnarentur infideles defectu fidei, quam nec proxime, nec remote habere possent; ergo &c.

R. ad I. neg. ant. Infideles enim omnes cum propter originale peccatum, tum propter alia actualia indigni sunt gratia fidei: ergo juste re privantur indebita: *Parum attendunt*, ait S. P. ep. ad Xistum, *quod debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato, ut nec ille se indignum queratur, nec dignum se iste glorietur.* R. ad II. Infideles illos non ideo damnandos, quod fidem non habuerint, sed propter peccatum originale, & plura actua-

actualia, quorum voluntarie rei facti sunt. Ita S. Th. 2. 2. qu. 10.

Ob. II. damnata est ab Alex. 8. an. 1690. hæc prop.: *Pagani, Judæi, Hæretici &c. nullum omnino accipiunt a J. C. influxum, adeoque hinc recte inferes: in illis esse voluntatem nudam sine omni gratia sufficiente*; ergo &c. R. neg. conf. Merito enim hæc propositio proscripta est. I. quia profertur indefinite: sunt enim inter Paganos, & Judæos plurimi, quibus gratia confertur, ut patet de Polemone, & Cornelio. Deinde plures infideles, aut degunt inter Christianos, aut audierunt ab iis Evangelium, cujus prædicatio, non solum est beneficium Christi notitiam suppeditans, ut sint inexcusabiles, sed etiam conjungi solet cum internis gratiæ illustrationibus, quæ tamen cito extinguuntur. Probabile est etiam, omnes homines aliquam pertenuem gratiæ motionem per vitæ decursum experiri, quæ tamen cito suffocatur. Singulis denique aditus patet ad Ecclesiam, ad sacramenta, ad medicinam.

CAPUT IV.

An gratia sufficiens detur fidelibus obcæcatis, & obduratis.

QUIBUSDAM obcæcatis, & obduratis gratiam sufficientem aliquando conferri, & quandoque efficacem constat ex Act. 7.: *Vos semper Spiritui S. resistitis*, constat etiam nonnullos obduratos peccatores ad Deum fuisse conversos. Tota ergo quæstio est, an omnes omnino obdurati, & excæcati fideles habeant gratiam sufficientem, cum urget tentatio, & instat præceptum. Affirmant Moliniani, negant Thomistæ, quibuscum sit

Propositio. Obcæcati, & indurati non semper gratiam sufficientem rejiciunt.

Prob. I. Is. 5. de Vinea Domini dicitur: *Auferam sepem ejus, & ponam eam desertam, non putabitur, & non fodietur*, atqui hæc verba non tam de

de Judæis, quam de anima multiplicante peccata exponunt PP.; ergo &c. Jerem. 51. habetur: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam*, atqui Hieron. Comm. in hunc locum ea verba exponit de ſubtractione auxiliorum ſufficientium; ergo &c. Jo. 12. habetur ex Iſaia: *Excæcavit oculos eorum, ut non videant, & non intelligant corde.* Unde S. P. Tr. 53. ait: *Si excæcat, ſic obdurat Deus deſerendo, & non adjuvando.* Rom. 1.: *Tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum:* ergo &c.

Prob. II. ex PP. Aug. de Nat. & Gr. 22. ait: *Utique iſta obſcuratio vindicta, & pœna jam fuit, & per hanc in plura & gravia peccata collapſi ſunt.* Et l. de Perf. juſt. obcæcatum appellat deſertum omni lumine veritatis; is ergo nullam habet gratiam ſufficientem. Et de Perf. juſt. c. 6. ait: *Peccatum eſt, cum non eſt caritas, ſive hoc vitari poſſit, ſive non poſſit: quia ſi poteſt, præſens voluntas hoc facit, ſi autem non poteſt, præterita voluntas hoc fecit.* Et S. Proſper ad Obj. 6. Gall. ait: *Priuſquam per gratiam liberetur in illo profundo jacet, donec prima hæc medela conferatur ægroto, ut incipiat noſſe quod langueat, & poſſit opem medici deſiderare, qua ſurgat.* Et Greg. M. l. 11. Mor. ait: Cain divina voce admoneri potuiſſe, non mutari, quia exigente culpa malitiæ jam intus Deus cor reliquerat, cui foris ad teſtimonium verba faciebat; ergo &c.

Prob. III. ratione. Gratia ſufficiens actualis eſt mentis illuſtratio, aut inſpiratio caritatis, aut utrumque, atqui neutrum adeſt excæcatis, & obduratis, quoties peccant; ergo &c. Quis enim ſibi perſuadeat, impudicam mulierem, dum captat meretricios quæſtus, furem rapacem, dum aliorum fortunas vorat, alioſque traditos in reprobum ſenſum habere aſſidue piam aliquam cogitationem, & voluntatem?

Ob. I. Iſ. 5. habetur: *Quid debui ultra facere vineæ*

vineæ meæ, & non feci? Sed si obduratis deesset gratia sufficiens respondere possent, *debuisti dare gratiam;* ergo &c. R. neg. min. Nam Deus gratiam nulli debet, alias non esset gratia: ergo a fortiori non debet flagitiosis ea prorsus indignis.

Ob. II. S. Prosp. l. 2. de Voc. gent. c. 23. ait: *Universitati hominum ita multiplex bonitas Dei consuluit, ut neque ulli pereuntium excusatio suppetat de abnegato sibi lumine veritatis;* ergo per D. Prosp. gratia omnibus datur. R. I. ut sup. ad Ob. I. c. 2. R. II. dist. conf. Datur omnibus gratia exterior, conc., interior, neg. Ait enim, per hanc gratiam gentes esse inexcusabiles, non quod gratiam internam habuerint, quæ in subministratione caritatis posita est, sed quod *doctrinæ mensuram* neglexerint, quæ sufficit quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium.

Ob. III. S. P. in exp. quarundam Prop. ex ep. ad Rom. prop. 62. de Pharaone, hæc habet: *Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperaret, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat: sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraret;* ergo non imputatur peccatum, si gratia non adsit, sicuti nec Pharaoni fuit imputatum.

R. I. retorq. argum. Si enim Pharao *obdurato corde obtemperare non poterat;* ergo qualibet gratia fuit destitutus: gratia enim sufficiens dat posse obtemperare, si velit. R. II. Hæc scripsisse Aug. adhuc presbyterum, cum nondum divinæ gratiæ percepisset arcana, ut pat. ex 1. Retr. 23. R. III. sensum illius loci esse, Pharaonem non ideo peccasse, quia obdurato corde obtemperare non poterat: Si enim cæcitas & obduratio esset involuntaria, non peccasset, peccavit tamen, quia dignum se præbuit, cui cor induraretur. Sicut enim in his, quos elegit Deus, fides inchoat meritum, sic in his, quos damnat infidelitas & impietas inchoat pœnæ meritum, ut per ipsam pœnam etiam male operentur; ergo per ipsam obdurationem peccant

 impii,

impii, in quantum ipsa obduratio est pœna præcedentis peccati, ut passim docet S. P. A.

Ob. IV. D. Th. in c. 12. ad Hebr. ait: *Gratia nulli deest, sed omnibus quantum in se est communicatur, sicut nec sol deest oculis cæcis*; ergo &c. II. 1. p. q. 49. ait: *Deus non defecit ab agendo quod est necessarium ad salutem.* III. In 1. 2. q. 106. ait: *Lex nova, quantum est ex se, auxilium dat ad non peccandum*; ergo &c.

R. neg. cons. Ex locis enim sup. cit. evincitur tantum, Deum, quantum in se est, auxilia omnibus præparasse, eaque subministrare nullum ponentibus obicem, cum tamen hoc fieri non possit, nisi per gratiam, quæ aliquibus denegatur, ut docet D. Th. l. 3. c. Gent. c. 160. Ad II. dist. ant. Et nomine auxilii sufficientis intelligit gratiam habitualem, conc., secus, neg. Id patet ex titulo articuli, *utrum lex nova justificet?* Justificatio autem munus est gratiæ habitualis; deinde vocat eam gratiam Spiritus S., & legem in corde scriptam; ergo est gratia habitualis. Plura quæ opponuntur ex scripturis, & PP. supra produximus c. 1.

LIBER XIX.

In quo de justificatione, ac merito disputatur.

DE tam gravi argumento, juxta traditam a Synodo Tridentina methodum, breviter disputaturis, lubet hunc librum duabus dissertationibus complecti, quarum prior de justificatione ipsa, posterior de opere, ac merito justorum proposita brevitate tractabit.

DISSERTATIO I.

De justificatione, & gratia habituali.

TRIDENTINI PP., teste Pallavicino, decreverunt, ut primo inquiratur, quid sit justificatio? Deinde quid Deus efficiat, quidve ex parte homi-

hominum, ut juſtificentur, ſit neceſſarium? Tandem quo pacto intelligenda ſit Apoſtolica ſententia, quod homines juſtificentur per fidem?

CAPUT I.

De gratia ſanctificante, ſive habituali juſtitia.

NOT. I. Juſtificationis naturam a grammaticis exquirendam fruſtra Novatores contendunt. Non enim grammaticalis, ſed theologicæ ſignificationis habenda eſt ratio. Accipitur ergo juſtificatio in ſacris litteris: I. pro juſtitiæ declaratione, quo ſenſu ait Iſaias, c. 23. *Juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo.* II. pro divina lege, ut Pſ. 118. *Dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas.* III. pro interna animi rectitudine, qua ſanctitate perfundimur, atque donamur, ut Rom. 4. *Credenti in eum, qui juſtificat impium &c.* IV. Pro juſtitiæ incremento, ut Apoc. ult. *Qui juſtus eſt juſtificetur adhuc.* De juſtificatione tertio modo ſumpta contendunt Novatores, eam eſſe *forenſem*, ideſt ſitam in ſola divini judicis declaratione, ſive in remiſſione peccati per ſolam imputationem juſtitiæ Chriſti, non vero per gratiam, & caritatem animæ inhærentem, & diffuſam in cordibus noſtris per Spiritum S. inhabitantem, ut docet Trid. Syn. ſeſſ. 6. ubi ait: *Unica formalis cauſſa*, juſtificationis noſtræ, *eſt juſtitia Dei, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit, qua renovamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modo reputamur, ſed vere juſtis nominamur & ſumus.*

Not. II. Cenſent Soto, & Medina, hoc unum ibi a Tridentino definitum, quod juſtificatio non in ſola remiſſione, aut non imputatione peccatorum conſtituenda ſit, ſed in interna renovatione, quæ num fiat per qualitatem inhærentem, num per actualem motionem, minime conſtat. Conſulto enim Trid. PP. a nomine *habitus* abſtinuerunt, ne opi-

opinionibus ſcholæ præjudicium afferrent, ut notat Eſtius diſt. 26. l. 2. Quamvis autem hæc opinio non ſit a Concilio proſcripta, ut Vega opinatur, falſam tamen eam eſſe ex eo conſtat, quod actualis motio eſſe nequeat in parvulis, qui tamen, dum baptizantur, ſancti & juſti efficiuntur: unde juſtitia dicitur animæ ſtola, veſtis &c. certiſque characteribus ab actuali, ac tranſeunte gratia ſecernitur, adeoque firmiſſime tenemus, fieri juſtificationem per gratiam, non ſolum interius inſpiratam, ſed etiam permanentem, *& habitualem.*

Not. III. Varias eſſe de natura gratiæ habitualis Theologorum opiniones. Quidam Deum eſſe opinantur & Spiritum S. in nobis inhabitantem, alii qualitatem inhærentem ab anima diſtinctam, alii *habitum* ignotum ab ea indiſtinctum, alii denique ipſum habitum caritatis. Nos medium iter tenentes (ut de natura gratiæ actualis diſputantes fecimus) habitualem gratiam, ex parte Dei, dicimus eſſe Spiritum S. inhabitantem, & Deum ipſum ejus Spiritus communicatione permanentem: ex parte noſtri eſſe caritatem per Spiritum S. in cordibus noſtris diffuſam, quæque eſt a Spiritu S., non ſolum movente, ſed etiam inhabitante, quæque eſt animæ *habitudo*, & quaſi impreſſa divinitatis imago, renovatio ſpiritus, & pulchritudo juſtitiæ, per quam Deo cari, & amici vere nominamur, & ſumus. Atque hac ratione dicimus cum Trid. ſeſſ. VI. c. 7. *quod miſericors Deus, qui gratuito abluit & ſanctificat, ſignans & ungens Spiritu promiſſionis Sancto*, eſt cauſſa juſtificationis efficiens: ipſa autem caritas quæ diffunditur &c. eſt gratia *habitualis*, per quam formaliter juſtificamur, ut tradunt Trid. PP. loc. cit. Inhærentem ergo juſtitiam caritatem, & habitum recte dicimus in quantum eſt permanens in anima decor, ſpiritalis vita, & juſtitiæ indumentum, nihil definiendo, cum Trid. PP. ea ne ſit actus, an habitus. Sit itaque

Propositio. In juſtis ipſa perſona Spiritus S. inha-

inhabitat, habitualis tamen gratia non eſt eadem Spiritus S. perſona, ſed habitus caritatis, quæ in cordibus noſtris per Spiritum S. diffunditur.

Prob. I. pars. Ex Rom. 5. *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S.*, ubi Spiritus S. ab ejus dono, tamquam effectus a cauſſa, diſtinguitur. Ib. c. 8. habetur, Spiritum S. in nobis habere, unde juſtus dicitur: *Templum Spiritus S.*, & is *pignus*, *&* *arrhabo.* Idem docent Cyrillus, Epiphanius, Baſilius, Athanaſius, S. P. A. aliique apud Petavium (a) l. de Trin. c. 4. &. 5. Hinc patet ratio, cur juſti dicantur *ſignati Spiritu promiſſionis ſancto*, cur habeant ſpiritum clamantem, cur ſint Dei templum, & divinæ conſortes naturæ, quatenus nempe communicatione Spiritus S. Deus juſtum diligit, apud illum manſionem facit, ſpiritu promiſſionis ſignat, & ungit tribuens chariſma juſtitiæ, quo anima fruitur Dei conſortio, & beatitudinem promeretur.

Prob. II. pars. I. enim caritas ex Apoſtolo per Spiritum S. in cordibus diffunditur; ergo ab illo diſtinguitur ut effectus a cauſſa. II. Caritas minuitur & creſcit, quod de ſpiritu immutabili nefas eſt affirmare. III. Videtur caritas ita a Spiritu S. diſtingui, non ut forma habens entitatem realiter ab anima diſtinctam, ſed ejuſdem animæ habitudo, mutabilis quidem, & capax incrementi, ſed ab ipſo Spiritu S. inhabitante producta, ut alibi expoſitum eſt exemplo ſigilli. Nam Eph. 1. habetur: *Signati eſtis Spiritu promiſſionis Sancto*, quæ verba de juſtificatione accepit Trid. Athanaſius ep. ad Ser. *Spiritus ſigillum eſt, quo ſignati divinæ naturæ participes efficimur.* Cyrillus Dial. 7. *Hoc ergo, quod divinam nobis imaginem inſculpſit inſtar ſigilli, nonne ſpiritus eſt?* Hieron. in 4. Eph. *Signati ſumus Spiritu Dei S., ut & ſpiritus noſter, & anima imprimantur ſignaculo Dei.* Accedit, quod *habitus*, qui ſit

(a) *De Tr. c. 4. & 5.*

ſit entitas realiter a ſubjecto, cui inhæret, diverſa, non probatur a viris Philoſophis. Itaque habitualis gratia merito definitur: *Caritas per Spiritum S. inhabitantem diffuſa in cordibus eorum, qui juſtificantur: atque ipſis inhærens, per quem ſignati Spiritu promiſſionis S. efficimur divinæ conſortes naturæ*, quæ definitio eſt ex dictis planiſſima.

Prob. III. pars, quam, præter Scotiſtas, tuentur Eſtius (*a*), Juenin (*b*), & ex Noſtratibus Gerken (*c*), Vanroy (*d*), Bellelli (*e*), aliique. Nam I. Scripturæ eaſdem caritati, & gratiæ tribuunt proprietates. Caritas enim reddit adoptivum Dei filium ex Joan. 3. *Videte qualem caritatem dedit nobis pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus:* reddit Dei amicum ex Joan. 14. *ſi quis diligit me diligetur a Patre meo*: per eam permanet Deus in nobis ex Joan. 4. *qui manet in caritate in Deo manet, & Deus in eo*; ergo &c. II. Trid. Syn. loquens de formali cauſſa juſtificationis aperte inhærentem juſtitiam declaravit, eſſe caritatem, quæ diffunditur &c. III. S. P. ſub finem l. de Nat. & Gr. ait: *Caritas inchoata, inchoata juſtitia eſt, caritas perfecta, perfecta juſtitia eſt*; ergo &c. IV. infirma eſt ratio diſcriminis inter gratiam & caritatem, quod gratia naturæ vicem gerat, debeatque aliis donis virtutibuſque ſubſterni: quod falſum eſt cum abſque gratia permaneant fidei, & ſpei habitus, licet informes, ablata autem caritate etiam habitualis gratia diſcedat, & ipſa caritas aliis virtutibus decorem tribuat.

Ob. I. Ap. 2. Cor. 13. ait: *Gratia, J. C., & caritas Dei:* & Trid Syn. ſeſſ. 6. *excluſa gratia, & caritate*, ſed quæ ſumuntur conjunctim realiter diſtinguuntur; ergo &c. II. Ex Auguſtino de Gr. Chriſti c. 26. gratia prævenit caritatem; ergo &c. III. Gra-

(a) *In diſt.* 16. (b) *P.* 6. *Inſt. diſt.* 2. *q.* 1. (c) *Tract.* 1. *T.* 2. *q.* 7. (d) *Q.* 2. *de Car.* (e) *M. Aug. c.* 5.

III. Gratia in voluntate, caritas in anima exiſtit; ergo eſt diſtincta. IV. principium operandi a principio eſſendi diſtinguitur; ergo &c. Ita Thomiſtæ. R. ad I. neg. min. Nam conjunctionis particula & vel nullam importat, aut ſolam diſtinctionem connotatorum, eadem enim gratia, quæ *juſtitia* dicitur, prout animam exornat, caritas appellatur, prout illam reddit Deo caram, ut patet ex ipſo loco, qui objicitur; ſequitur enim, *& communicatio Spiritus S.* Quis enim neget, quod gratia, & caritas non ſit communicatio Spiritus. S.? Ad II. neg. conſ. Prævenit enim per Aug. gratia caritatem, quia nemo poteſt Deum diligere, ſine inſpiratione dilectionis, ut l. 14. c. 6. dictum eſt. Ad III. neg. conſ. Neque enim voluntas ab anima eſt realiter diſtincta: unde retorq. arg. Ad IV. neg. ant. Præſertim ſi loquamur de principio eſſendi accidentaliter.

CAPUT II.

De impiorum juſtificatione, & ejus modo.

CENSENT Lutherani, gratiam juſtificationis ſitam eſſe in ſola remiſſione peccatorum, excluſa gratia, & caritate inhærente. Calviniani vero in ſola imputatione juſtitiæ Chriſti conſtituunt. Neque virtutum habitus ad veram juſtitiam ſpectare, neque per formam inhærentem effici; adeoque nil aliud eſſe contendunt, quam extrinſecam, & quaſi forenſem condonationem. Sit itaque

PROPOSITIO. Juſtificantur impii per gratiam, & caritatem, quæ per Spiritum S. eorum cordibus infunditur, eiſque inhæret.

De fide eſt, & definitur a Trid. Syn. ſeſſ. 6. c. 2. his verbis: *Si quis dixerit, hominem juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola remiſſione peccatorum, excluſa gratia, & caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundantur, atque*

illis inhæreant, aut gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit.

Prob. I. scripturis. Ps. 50. habetur: *Asperges me hyssopo, & mundabor, lavabis me &c. Cor mundam crea in me Deus, & Spiritum rectum &c.* Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ... & dabo vobis cor novum, & spiritum novum.* Rom. 5. *Caritas Dei diffusa est &c.* Jo. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, sed ii, quibus mundities infunditur, peccati macula abstergitur, cor mutatur, spiritus innovatur, & apud illos Deus inhabitat, per gratiam & caritatem infusam justificantur; ergo &c. Confirmatur ex ipsis gratiæ effectibus. Jo. 3. habetur, renasci justum *ex qua & Spiritu Sancto. Quod enim natum est ex Spiritu Spiritus est.* Et ad Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis spiritus, ut justificati gratia ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ;* sicut ergo naturaliter nobis inhæret natura hominis, per quam nascimur carne filii Adam, ita per gratiam justificationis inhæret nobis supernaturaliter naturæ divinæ participatio, qua renascimur Spiritu filii Dei. Idem evincunt charismata Spiritus S. Per eum namque justi tamquam sigillo *signati sunt spiritu promissionis Sancto.* Eph. 1. *Acceperunt pignus Spiritus*, 2. Cor. 1. fiunt *templum Sp. S.*, 1. Cor. 6. atqui signari non est sola imputatione, & favore externo acceptum haberi, sed quasi charactere ab improbis separari; *Pignus* est non sola promissio, sed quædam portio rei quæ promittitur; *Inhabitatio* denique est energia, effectus, charisma, quo anima afficitur & exornatur; ergo &c.

Prob. II. ex PP. qui locum Genes. 2. *Inspiravit &c.* de sanctitate etiam ac justitia interpretantur, ut Cyrillus, Nazianzenus, Severianus &c., & sanctitatem definiunt, quasi effigiem, & similitudinem Dei communicatione Spiritus S., veluti impres-

impressione formatam, itaut Adam per creationem factus sit in animam viventem, per inspirationem caritatis evaserit Spiritus S. gratia vivificatus. Deinde S. P. A. de Sp. & lit. c. 9. ait: *Sicut fides Christi dicta est, non qua credit Christus: sic justitia Dei non qua Deus justus est, sed qua induit hominem; num justificat impium?* Eadem habet Trid. Syn. sess. 6. can. 10. ergo &c. III. Chrysostomus hom. 1. ad Eph. gratiam justificationis sic exponit: *Si quis scabiosum quendam formosum fecerit juvenem, & purpura induerit & diadema imposuerit: ita Deus nostram inunxit & ornavit animam, pulchramque fecit & amabilem*; ergo &c.

Prob. III. ratione. Sicut per Adam nascimur filii iræ, ita per Christum renascimur filii Dei, sed Adam, præter transgressionis exemplum, occulta concupiscentiæ lue omnes posteros infecit; ergo Christus, præter obedientiæ exemplum, dat iis, quos justificat, occultam Spiritus S. gratiam, qua illos mundat, & ornat. II. Sicut impius per peccatum fit immundi spiritus hospitium, ita justus per gratiam habitualem fit Dei templum, sed ut ratiocinatur S. P. ep. ad Xist. *nisi mundatam domum habitet Spiritus S. cum aliis 7. redit Spiritus immundus*; ergo vere Spiritus S. inhabitat donum cordis nostri. III. *Ideo justitia Dei dicitur, quod impertiendo eam justos facit, sicut Domini est salus, quia salvos facit*, ait S. P. de Sp. & l. c. 2. atqui homo non dicitur salvatus, nisi ei Deus vitam æternam donando veram salutem tribuerit; ergo nec justificatus dicitur, nisi Deus iniquitatem delendo veram justitiam impertiatur. IV. Justificatio fit Spiritu S. inhabitante, & caritate diffusa in cordibus; ergo non favore extrinseco. Item Deus efficienter justificat impertiendo animæ pulchritudinem; non ergo per justitiam, qua Deus justus est. Tandem Deus justificans impium, non solum peccata dimittit, sed sanat animi languores inspirando virtutem & caritatem, & præstat etiam, ne peccent

per Aug. de Nat. & Gr. 26. ergo juſtificatio fit per juſtitiam inhærentem. Vide auctorem.

Ob. I. Ap. Rom. 4. ait: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Et v. 5. *Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui juſtificat impium, reputatur fides ad juſtitiam.* Et v. 7. affert locum Pſ. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum;* ergo &c.

R. neg. conſ. Senſus enim verborum Ap. hic eſt: ideo Abraham reputatus eſt juſtus, quia in tentatione fidelis inventus eſt; nam juſtificatio non ex operibus legis, ſed ex fide & gratia ſuum habet initium. Redarguit enim ib. Ap. eos qui putabant ex legis obſervatione ſine fide juſtificationem haberi, quos refellit tum ex loc. Gen. 15. *Credidit &c.* tum ex Machab. 1. *Abraham nonne in tentatione inventus eſt fidelis, & reputatum eſt illi ad juſtitiam?* Fides ergo per Apoſtolum eſt divinarum gratiarum fons & origo, ſed inhærentem juſtitiam nobis conferri non denegat, ait enim ib. *Hoc ſolum a vobis volo diſcere: ex operibus legis Spiritum accepiſtis, an ex auditu fidei?* Nec opera a juſtificatione excludit Apoſtolus, ſed fidem docet cooperari operibus, & ex operibus conſummari, unde ait Jacobus: *Fides ſine operibus mortua eſt.* Idem tradunt Clemens R. ep. ad Cor. S. P. l. 1. de pecc. mer. 14. & Philo. Item v. 5. ait Ap. quod *credenti reputatur fides ejus ad juſtitiam*, non fides Chriſti, oſtendens fidem in Chriſtum valde prodeſſe, & propter eam opera magni æſtimari. In Pſ. 31. non imputari peccatum idem eſt, ac non inveniri, ſive non exigi pœnam. Itaque in forma R. Ait Apoſtolus fidem eſſe juſtificationis initium, per eam opera æſtimari, & Abraham in tentatione fidelem inventum eſſe, conc. ait juſtificari ſola fide aut juſtitia Dei, aut non imputatione peccati, nego.

Ob. II. Apoſtol. ibid. ait: *per unius* (Chriſti) *obedientiam juſti conſtituuntur multi;* ergo &c. R. diſt. antec. Per obedientiam Chriſti conſtituuntur juſti

justi efficienter, & meritorie, conc. formaliter, neg. Et retorq. argum. Qui enim constituuntur peccatores per inobedientiam Adæ, non constituuntur imputatione illius inobedientiæ, sed reatu, vel macula; ergo a pari.

Ob. III. Apost. 1. Corinth. c. 1. de Christo ait: *Qui factus est nobis sapientia a Deo, & justitia, & sanctificatio.* Et 1. Ephes. 6. *Gratificavit nos in dilecto filio suo.* Hinc Bernardus ep. ad Innoc. ait: *Christum factum nobis esse justitiam a Deo Patre.*

R. eodem modo. Appellatur Christus justitia, & sanctificatio nostra efficienter, conc. formaliter, neg. Christus enim factus dicitur nobis sapientia, justitia &c. Metonymice eo sensu, quo Deus in Psalmis dicitur virtus, spes, & salus nostra, quia nempe virtutem, spem, salutem in nobis efficit: hortatur enim ibi Apostolus, ne gloriemur in nobis, quia non propriis viribus, sed beneficio mortis Christi, *qui factus est a nobis sapientia a Deo,* accepimus doctrinam fidei, justitiam &c. Deinde, ex quo Christus factus sit nobis sapientia a Deo non sequitur, scientiam Christi, ac fidei virtutem fidelibus non adhærere; ergo ex quo Christus dicatur justificatio nostra non sequitur, justificationis gratiam nobis non infundi. Idem est Bernardi sensus; ait enim, Christum factum nobis justitiam a Deo, quia illius meritis nobis justitia donatur, neque hæc nobis innata est, sed indulta. Eodem modo exponitur locus Epist. ad Eph. licet ibi etiam gratiæ mentio habeatur. Deinde propositio *in* sæpe ponitur ab Apostolo pro *per*, ut fatetur Glassius.

Ob. IV. Ephes. 4. ait Apost. *Induite novum hominem in justitia &c.* sed indumentum est extrinsecum; ergo &c. R. dist. min. Indumentum est extrinsecum, si sit corporis, conc., animi, neg. Usitata enim scripturæ phrasi virtutum habitus intrinseci indumentis æquiparantur, ut Sap. 5. Is. 41. 2. Corint. 10. 1. Thessal. 5. Vid. August. l. 1. de Mor. Eccl. Reapse Apostol. ibi docet, nos induere

novum hominem, dum renovamur ſpiritu mentis noſtræ. Et Coloſſ. dum reformamur ſecundum divinam imaginem, ſed renovatio ſpiritus, & divinæ imaginis reformatio importat interiorem animæ pulchritudinem; ergo &c.

Ob. V. Cor. 5. habetur: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.* Atqui Chriſtus factus eſt peccatum ſolum imputatione; ergo &c. Ait enim S. P. Ench. 41. *Ipſe ergo peccatum, ut nos juſtitia, nec noſtra, ſed Dei, nec in nobis, ſed in ipſo, ſicut ipſe peccatum, non ſuum, ſed noſtrum.*

R. diſt. maj. Efficimur juſti juſtitia Dei in Chriſto, efficienter ac meritorie, conc. formaliter, neg. Non ergo ait Apoſt. *Is qui non noverat peccatum, peccatum fecit, ſed eum,* ideſt Chriſtum, *peccatum fecit.* Quid eſt autem, *fecit Chriſtum peccatum?* niſi fecit pro nobis ſacrificium pro peccatis. Nam *propter ſimilitudinem carnis peccati, in qua venerat, dictus eſt & ipſe peccatum: ſacrificandus ad diluenda peccata. In vetere enim lege peccata vocabantur ſacrificia pro peccatis*, ait S. P. ib. Cæterum, ut Chriſtus ob peccatum, quod nobis inerat, vere mortuus eſt, & factus eſt ſacrificium pro peccatis, ita ob juſtitiam, quæ eſt in illo vere peccato morimur, & accipimus ſpiritalem vitam, ac ſpiritus novitatem.

CAPUT III.

An Deus impium juſtificans vere illi remittat peccata?

Cenſent Novatores, juſtificatis non vere remitti & deleri, ſed tegi tantummodo, & operiri peccata, eo quod imputatione juſtitiæ Chriſti non cenſeantur ad pœnam: ac veluti Jacob hœdina pelle contectus, ita peccator iniquus permanens, & indutus veſte agni, qui tollit peccata mundi, divinam benedictionem, & hæreditatem accipiat. Contra quos ſit

PRO-

Propositio. In juſtificatione impii a Deo vere remittuntur peccata.

Prob. I. ſcripturis. Pſ. 50. habetur: *Dele iniquitatem meam: cor mundum crea in me Deus*, & Ezech. 36. *Mundamini*, ait, *ab omnibus inquinamentis veſtris*; ergo &c. Prob. II. ex abſurdis hæreticorum doctrinæ. Ex ea enim ſequitur, I. Eccleſiam ſanctorum habere rugam & maculam, & in cæleſti Jeruſalem habitare inquinatos, nec mundos corde dumtaxat, ſed etiam immundos Deo frui, quod ſcripturis adverſatur. Sequitur II. Deum non eſſe judicaturum hominem ſecundum veritatem, neque mercedem ſecundum opera retributurum. III. Sequitur, juſtum eſſe comparandum ſepulcris dealbatis, adeoque juſtitiam Proteſtantium eſſe Phariſæorum juſtitiam; ergo &c. Prob. III. Argumento Auguſt. originale peccatum per baptiſmum tollitur, quoad reatum & maculam; ergo & actuale. Prob. ant. Actor. 2. ubi baptizari dicuntur homines *in remiſſionem peccatorum*. Et 1. Corint. 6. baptizati dicuntur *abluti & ſanctificati*. Hinc Ap. ad Ti. 3. Baptiſmus vocatur, *lavacrum regenerationis, & renovationis*. Ad hæc S. P. l. 1. ad Bonif. c. 12. ait: *Baptiſmum auferre crimina, non radere*. Jure ergo Trid. Syn. ſeſſ. 5. c. 5. anathema dixit ei, qui *in baptiſmate reatum orig. peccati remitti negat, ſed illud dicit tantum radi, aut non imputari*.

Ob. I. Pſ. 81. habetur: *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*; ergo teguntur peccata, non delentur. R. diſt. conſ. Teguntur ſicut vulnera cataplaſmate, ut deleantur, conc. ut lateant & vivant, ſicut corpus veſte cooperitur, neg. Ita enim peccata teguntur, ut remiſſa vel *dimiſſa* dicantur, ut legit Syrus, & Hieronymus: habet enim Græcus ὧν ἀφέσθησαν αἱ ἀνομίαι. Eſt autem ἀφίημι *auferre*, & Hebræus legit, *quorum ſcelus ablatum eſt*. Hinc S. P. Enarr. 2. in

in hunc Pf. ait: *Non fic intelligatis, quod dixit peccata cooperta funt, quafi ibi fint, & vivant. Tecta ergo peccata quare dixit? Ut non viderentur. Quid non erat Deo videre peccata, nifi punire peccata?*

Ob. II. If. 64. habetur: *Facti fumus ut immundus omnes, & quafi pannus menftruatæ omnes juftitiæ noftræ.* Et Pf. 142. *Non juftificabitur in confpectu tuo omnis vivens:* ergo &c. R. neg. conf. Ifaias enim ibi prænuntiat, poft Evangelii promulgationem abjiciendas effe, tamquam immundas, purificationes legales, quas *juftificationes* etiam Paulus appellat, quod ex verf. Arabica, ex Hieron. & Mufculo confirmat a Lapide. Calvinus etiam *non de fingulis, fed de univerfo* (Judæorum) *corpore* hunc locum intelligit, *quod cum infra omnes abjectum effet, panno fordido comparatur.* Illud Pf. 142. de venialibus peccatis exponit S. P. dicens: *Noli ergo mecum intrare in judicium. Quantumlibet rectus mihi videar, producis tu de thefauro tuo regulam, coaptas me ad eam & pravus invenior.* Verum Pfalmifta *juftitiam* fuam narrat P. 17. & ait: *Ero immaculatus cum eo.*

Ob. III. Hieron. l. 3. in Jer. ad locum Pfal. 142. fup. cit. ait, hæc verba *non ad comparationem Dei, ut hæretici volunt, fed ad fcientiam Dei effe referendam, nam homo videt in facie & Deus in corde; & quod vitiis omnis impletur conditio.* Gregorius etiam l. 35. mor. ait, omnia in homine *pure mala* effe. Ambrofius l. 2. de Jac. juftificationem explicat exemplo Jacob hœdina pelle contecti; ergo homo eft femper contaminatus, & juftitia Chrifti contegitur.

R. neg. conf. Hieronymus enim refpicit ad naturam gratia deftitutam, aut ad venialia crimina, in quæ prolabitur etiam juftus, contra ac fentiunt vet. & novi hæretici, nempe Origeniani, & Pelagiani impeccantiam admittentes. Gregorius loquitur

tur de bonis operibus, quæ nos probamus, in quibus appetitus laudis ſubrepit. Ambroſius in eo comparationem inſtituit, quod ſicut Jacob aliena pelle indutus inceſſit, ita Chriſtus in ſimilitudinem peccati languores noſtros tulit. Unde S. P. de Mend. c. 10. ait: per hœdinas pelles peccata, per eum vero, qui ſe eis operuit, ille ſignificatus eſt, qui aliena peccata portavit.

Ob. IV. Peccatum eſt debitum, quod cum divina juſtitia contrahitur, ſed hoc ſola chirographi abolitione dimittitur; ergo & illud. R. diſt. maj. Eſt debitum &c. itaut præter reatum pœnæ, ſit etiam reatus culpæ, ſive macula & turpitudo, conc. ſecus, neg. Licet ergo debitum pœnæ deleri poſſit per Dei condonationem, tolli nequit animæ nequitia niſi per gratiam ſanctificationis: nequit enim per ſolam denominationem extrinſecam auferri privatio juſtitiæ, ſicuti tenebræ diſpelli non poſſunt, niſi per lucem.

Quæres I. An Deus de potentia abſoluta poſſit abſque gratia inhærente peccata dimittere? II. An habitualis gratia & peccatum poſſint ſimul conſiſtere? R. cum Thomiſtis negative contra Scotiſtas. Nam quoad primum, nequit mors tolli, niſi per vitam, nec animæ vulnus, carnalis vetuſtas, & cor lapideum, niſi per ſanitatem, per innovationem ſpiritus, atque cor carneum. Deinde cum reatus culpæ ſit privatio juſtitiæ, tam repugnat, impium ſine gratia juſtificari, quam cæcum ſine luce videre. Quoad ſecundum etiam repugnat, quod idem homo ſit ſimul ad Deum converſus, & ab eo averſus, natus ex Deo, & mortuus peccato, Dei filius, & Belial, lux, & tenebræ. Deinde, cum gratia ſanctificans ſit a caritate indivulſa, ſtare poterit in ſententia Scoti habitualis caritas cum reatu damnationis æternæ: quod in Bajo Pr. 31. & 32. proſcriptum eſt. Nec dicant, poſſe juſtitiam, & culpam ſimul manere, ut fuit in Chriſto cum beatitudine triſtitia. Nam Chriſtus beatus erat, prout

mens divinitati adhærebat, & triſtis, prout corporali ſenſu ſuſcipiebat paſſionem, ſed nequit eadem animæ voluntas eſſe ſimul a Deo averſa, & ad Deum converſa.

CAPUT IV.

Quomodo adulti ad juſtificationem diſponantur?

NOT. I. Juſtificationis exordium in adultis a præveniente gratia ſumendum eſſe ſtatuit Trid. Syn. ſeſſ. 6. c. 5. & 6. contra Pelagianos, & Semipelagianos docentes, ex nobis eſſe initium fidei. Sicque hæreticis omnem eripit occaſionem catholicos criminandi ut Pelagianos, deinde tradit, quomodo adultus ad gratiam ſanctificantem diſponi debeat adverſus Lutherum, & Calvinum, qui ajunt fieri juſtificationem per ſolam fidem, abſque ulla prævia diſpoſitione, ac motu liberi arbitrii, neque neceſſariam eſſe ex parte peccatoris aliquam præparationem. Licet enim Brentius, Zanchius, Lutherus ipſe caritatem, & bona opera ad ſalutem neceſſaria videantur agnoſcere, ii tamen non loquuntur de neceſſitate *efficientiæ*, quaſi opera bona valeant ſalutem per ſe gignere, & juſtificationem promereri, ſed de neceſſitate *præſentiæ*, ut eam vocant Wittembergenſes, abſque concurſu ad actum juſtificationis, quam haberi putant per ſolam fiduciam in Chriſtum. Unde Trid. Syn. opportune docuit, quod impii divina gratia excitati ad ſuam ipſorum juſtificationem eidem gratiæ libere aſſentiendo, & operando diſponuntur. Uno verbo, opera hæretici non negant, ſed bona eſſe, habere meritum, & ad juſtificationem diſponere, perfracte negant.

Not. II. Trid. PP. de ſolis adultis loqui. Pueri enim ad gratiam baptiſmi per actus arbitrii diſponi non poſſunt: & fruſtra quidam hæretici in illis præcedere putant fiduciam in Chriſtum. Exemplum ergo parvulorum fruſtra objicitur ad excludendas diſpo-

dispositiones in adultis, sicut per illud non excluditur fides in adultis, ut enim recte arguit S. P. l. 1. de pecc. mer. c. 19. *Si propterea pœnitentes dicendi non sunt, quia sensum pœnitendi nondum habent, nec fideles dicendi sunt, quia sensum credendi nondum habent.* His prænotatis sit

PROPOSITIO. Disponuntur ad justificationem adulti fide, timore, spe, dilectione &c.

Prob. I. de fide. Hanc enim non excludunt catholici, fatentes hominem justificari ex *fide*, *& sine fide neminem posse placere Deo*, ex Ap. Rom. 1. & Hebr. 11. Apostolis etiam præcepit Christus Dominus: *Euntes docete omnes gentes &c.* Fidem quoque donum Dei esse, & salutis initium, ex Aug. & PP. ostensum est de H. Semipel. Hæc autem fides, qua justificamur, non est, ut putant hæretici, fiducia, & certitudo, qua absque hæsitatione propriæ infirmitatis, certe credimus nobis remitti peccata, sed est per Trid. c. 6. illa fides, qua *credimus* vera esse, quæ divinitus revelata sunt, & illud imprimis, justificari impium per gratiam ejus. Licet ergo necessaria sit fides ad justific., cum etiam nobis dicatur: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, hæc tamen fiducia in fide fundata est; ideo enim in Deo fiduciam habemus, quia credimus, eum esse fidelem & veracem.

Prob. II. De timore & spe. Ac de primo quidem Prov. 14. habetur: *Timor Domini fons vitæ:* de spe autem Rom. 8.: *Spe salvi facti sumus.* Cum ergo per fidem novit homo, se non posse ullimode, utpote impium, nisi resipiscat, vitare supplicium, timore concutitur. Subinde vero propriam infirmitatem perpendens, ad Deum confugiens, quem scit nolle mortem peccatoris, exclamat: *Miserere mei, quoniam infirmus sum*; ergo fides timorem, timor spem, spes orationem præcedit. Prob. III. De ipsa dilectione, qua Deum, ut justitiæ fontem diligere incipimus, necnon de odio & detestatione peccatorum, ac novæ vitæ proposito, quæ sancta

Synodus enumerat eodem loco. De quibus agemus l. XXXIV., ubi de ſacramento Pœnitentiæ ſermo erit. Nunc ſat eſt animadvertere, quod ſicuti a Deo per peccatum averſi ſumus, ita ad eum debemus per dilectionem converti, juxta illud Ezech. *Convertimini, & agite pœnitentiam &c.* Cum vero propoſitum novæ vitæ operibus comprobetur; hæc in peccatoribus commendat Trid. Syn. ex Luc. 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ,* & Act. 2.: *Pœnitentiam agite,* & Joelis 2.: *Convertimini ad me in jejunio, & fletu, & planctu.* Docent proinde non vulgares Theologi, peccatoribus quibuſdam non eſſe abſolutionem impertiendam, niſi etiam externis operibus ad eam ſe præparaverint.

CAPUT V.

Quo ſenſu aſſerat Apoſtolus, hominem gratis, & per fidem juſtificari?

NOT. Cum ſcribat Ap. Rom. 3. & 4., haberi juſtitiam per fidem J. C., juſtificari impium gratis per fidem ſine operibus legis, ut Abraham, contendunt Novatores, nil aliud ad juſtificationem in impio requiri, præter fidem, non quidem *hiſtoricam*, qua traditis myſteriis aſſentimur, neque *miraculorum*, qua res mirandæ narrantur, ſed *promiſſionum*, qua firmiſſime tenemus, nobis imputari juſtitiam Chriſti. Sic enim in triplicem fidem diſpeſcunt, quam *unam* agnoſcit Apoſtolus Eph. 4. Sit itaque

Propositio I. Apoſtolus loc. laud. non excludit ſpem, dilectionem &c.

Prob. I. ex ſcopo Apoſtoli, qui erat, ne Judæi ad Chriſtum converſi gloriarentur, quod ſemen Abrahæ fuerint, quodque ob circumciſionem, & legis opera, non per gratiam vocati fuerint ad Evangelium. Quo fine docet, quod lex, excluſa fidei gratia, ad juſtitiam non conducit, quod Abraham non per carnis circumciſionem, ſed per fidem media-

mediatoris factus est *Pater multarum gentium:* sed qui hæc, etiam eo fine pronunciat, a justificatione excludit tantum opera legis vel Mosaicæ, vel naturalis, sine ulla fide in Christum patrata, non autem opera, quæ fiunt fide directa, & divinæ gratiæ auxilio; ergo &c. Deinde Ap. ad Gal. 5. ait: *In Christo neque circumcisio aliquid valet, sed fides, quæ per caritatem operatur.* Et 1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, caritatem autem non habuero, nihil sum;* ergo per Apostolum fides absque caritate nihil prodest. Et Hebr. 11. *Fide obtulit Abraham, Isaac* &c.; ergo non sterilem & otiosam Abrahæ fidem commendat Apostolus, sed cum obedientia, & opere conjunctam, & quæ *per dilectionem operatur,* ut ait S. P. de Fide & op. 14. Et de Gr. & Arb. 7. ait: *Homines non intelligentes, quod ait Apostolus, putaverunt eum dicere, sufficere homini fidem, etiam si male vivant, & bona opera non habeant. Quod absit, ut sentiret vas electionis, qui cum dixisset: in Christo neque circumcisio valet, neque præputium, mox addidit, sed fides, quæ per dilectionem operatur. Ipsa est fides, quæ fideles separat a dæmonibus, nam & ipsi credunt, & contremiscunt, sed non bene operantur.* III. Censet S. P. ib. Judæ epistolam, Jo. primam, & secundam Petri fuisse conscriptas, ut refellerent nonnullos, qui ex Pauli ep. ad Rom. salvari se posse putabant, licet impie viverent, & Jacobus c. 2. utitur exemplo Abrahami, quo illi abutebantur dicens: *Abraham nonne ex operibus justificatus est offerens Isaac filium suum? Vides quoniam ex operibus fides consummata est.* Opera etiam & mandatorum observantiam commendant Petrus, & Jo. in suis epistolis: atqui isti non contradicunt doctrinæ Pauli, sicut nec Paulus sibi contradicit, dum ait: *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur:* & alio loco: *fides, quæ per dilectionem operatur;* ergo Paulus Rom. 4. & 5. opera non excludit.

Prob.

Prob. II. ex PP. Clemens Alex. 2. Strom. docet: *Fidem præcedere, timorem ædificare, dilectionem perficere.* Basilius in Ps. 33. ait: *Timor salutaris ad pœnitentiam ducit.* Ambr. de Pœnit. ait: *Nemo potest bene agere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam.* Hier. in 3. Rom. ait: *Non peccatorem dixit justificari per fidem, sed impium, idest non credentem.* Nec dicant Hæretici, opera quidem comitari fidem, sed hanc solam salutem apprehendere; non enim alia vis justificandi inest fidei, nisi ea, quam illi caritas impertitur. Apostolus enim fidem commendat, quæ per dilectionem operatur. Caritas quippe legis plenitudo est, & qui non diligit manet in morte &c.

Prob. III. ratione, ut enim observat Justinus in Dial.: *Priusquam est circumcisus, de eo,* Abr., *promulgatum est, credidit Abraham Deo &c.*, atqui eo tempore Abraham, Deo jubente, jam exierat de terra sua, & divinas promissiones acceperat, ut scribit Hom. 8. ad Hebr. Chrysostomus; ergo declarat Apostolus vim ac robur christianæ fidei, cum Abraham justificatus sit, nondum circumcisus. Sed dices: si ante circumcisionem ea verba prolata sunt, cur Jacobus scribit, referenda esse ad Isaachi immolationem? R. id recte scribit. Nam divinæ promissiones, quæ factæ sunt Abrahamo Gen. 12., cum de domo Patris sui egressus est, confirmatæ sunt, Gen. 22., quando Isaac obtulit, ut ostenderet Abrahami fidem non fuisse inertem, ac solam, sed cum opere, & obedientia conjunctam.

Propositio II. Fides, quæ est justificationis exordium, non est sola fides divinarum promissionum.

Prob. Ex scripturis. Nam Matth. 16. Petrus ob fidei confessionem: *Tu es Christus filius Dei vivi,* audire meruit: *Tu es Simon Bar-Jona &c.* Marc. ult. *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit.* Jo. 20.: *Hæc scripta sunt, ut credatis, quia J. C. est Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine*

mine ejus. Rom. 10.: *Si confitearis Dominum Jesum, & credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.* Sed fides, quam Petrus confessus est, quam Apostoli prædicarunt, quam scripsit Jo., per quam credimus, Christum resurrexisse &c. est fides mysteriorum, & historica; ergo hæc fides ad salutem disponit.

Ob. I. Ap. Rom. 3. ait: *Justificari hominem per fidem, sine operibus legis.* Ubi scopus Ap. est demonstrare, justificationem, gratis haberi: si quis enim ex operibus justificatur, *habet gloriam, sed non apud Deum.* Unde Trid. Syn. sess. 6. c. 8. definit, nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fidem, sive opera justificationis gratiam promereri. Et Aug. de Fid. & Op. 14. ait, *legis opera sequi justificatum, non præcedere.* II. habetur Rom. 1.: *Justus ex fide vivit.* Et c. 10.: *Corde creditur ad justitiam.* Matth. 9.: *Fides tua te salvam fecit.* Luc. 8.: *Crede tantum, & salva eris;* ergo fidei tantum justificatio, & salus tribuitur. Hinc S. P. l. 1. ad Bonif. ait de SS. vet. Test. *Quod non eos salvos fecit, nisi fides mediatoris.* III. Idem docent Chrysostomus, Tertullianus &c. Ex quibus sic arguitur: si justificationem aliqua dispositio præcederet, non esset gratia, sed merces; nec recte scripturæ, ac PP. fidei tantum justificationem tribuerent, atqui falsum conf.; ergo & ant.

R. ad I. dist. ant. Ait Ap., hominem justificari per fidem, quæ per dilectionem operatur, conc., per nudam fidem, neg. Excludit ergo Apostolus opera, quatenus in se inspecta ad justitiam non perducunt, omnemque vim a præveniente gratia recipiunt, ut supra dictum est. Dicimus ergo, hominem gratis justificari per fidem, *quia* ipsa fides, unde incipiunt bona merita, gratuitum donum Dei est, ait S. P. ep. ad Xist. 150.: unde monet Apost., ne quis glorietur, quia cum ipsa fides sit donum Dei, non possumus dicere, ait S. P. de Gr. c. 7.: *ideo accepimus gratiam, quia credimus.* Hic sensus

ſus eſt Trid. Syn. Nam paulo ante citata verba diſpoſitiones enumerat, quas juſtificatio conſequitur. Deinde locum Apoſtoli exponit cum Auguſtino, *ut per fidem & gratis ideo juſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium.* Cum ergo locus Apoſtoli non ſit accipiendus de operibus a gratia profectis, quibus ineſſe rationem meriti Synodus ipſa definit, ſed tantum de iis, quæ fiunt ſine præ-venientis gratiæ adjutorio, ſequitur, concilium aut de fide informi, & mortua, aut de merito de condigno locutum eſſe. Aug. vero docet, hominem gratis juſtificari, & opera juſtificationem non præcedere, quoniam prior eſt gratia, quam meritum. Unde de Sp. & lit. c. 9. ait: *Juſtificati gratis per gratiam, non itaque per legem, non per propriam voluntatem, ſed gratis per gratiam ipſius &c.*

Ad II. diſt. conſ. Scripturæ loca, & PP. vim juſtificandi tribuunt fidei, quæ per dilectionem operatur, & quatenus fides eſt primum gratiæ donum, conc., fidei ſolæ & informi, neg. Hæc enim ad ſalutem non ſufficere ſcribit Apoſt. dicens: *Si habuero omnem fidem, caritatem autem non habuero, nihil ſum*, Nec obſtant Lucæ verba c. 8., ibi enim de ſalute corporis ſermo eſt, quæ ſola gratia gratis data obtineri poteſt. Aug. vero l. 1. ad Bonif. c. 21. redarguit Pelagianos autumantes, veteres Patriarchas ſalvos factos eſſe abſque gratia Chriſti: unde per τὸ *fides* excludit opera facta ſolis naturæ viribus, non auxilio gratiæ ante legem, ait enim: *Dicitis, ſalvos factos eſſe per naturam, deinde per legem, poſtremo per Chriſtum, quaſi ante legem, & in lege ſanguis Chriſti non fuerit neceſſarius.* Ad PP. vero R., per eos homines ſola fide juſtificari excluſis operibus factis ſine gratia, aut ſi mors ſuperveniat, ſola fide cum bona voluntate, *quæ etiamſi effectum non habuerit, præmium non amittit,* ait Hieron. in 12. Matth. Ita S. P. l. 83. q. 76.: *Quod ſi cum crediderit, mox de hac vita deceſſerit, nec præcedentibus ejus operibus, quia non merito ad illam,*

illam, sed gratia pervenit, nec consequentibus, quia in hac vita esse non finitur. Idem de Latrone docet Chrys., & Cyrillus, qui Catech. 13. ait: *Vellet juste agere latro, sed venit mors.* Tertullianus denique loquitur de fide *integra*, seu per caritatem formata.

Ob. II. contra 2. Prop. de Paralytico habetur Matth. 9.: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua;* ergo fides, qua peccata delentur, est firma in Christum fiducia. II. de Abraham ait Ap. Rom. 4.: *Ideo ex fide* (justificatum) *ut secundum gratiam firma sit promissio.* Et v. 18.: *Qui contra spem, in spem credidit.* Et v. 20., 21., & 22.: *In repromissione Dei non hæsitavit, sed confortatus est fide plenissime sciens, quia quæcumque promisit, potens est facere,* sed his locis commendatur fides repromissionis, spes firmissima, & certa sine hæsitatione fidentia; ergo &c. III. Hebr. 11. fides definitur: *Sperandarum substantia rerum,* unde Jacobi 1. habetur: *Postulet in fide nihil hæsitans;* ergo &c.

R. ad I. dist. conf. Fides est firma fiducia in Christum, idest justificationis initium, timorem excludens, neg., justificationis dispositio, timorem includens, conc., iis ergo verbis: *Confide fili,* disponi impios ad justificationem, *dum a divinæ justitiæ timore in spem eriguntur fidentes, Deum per Christum sibi propitium fore,* docet sess. 6. Trid. Negamus tamen hinc probari, quod initium justificationis sit fides promissionum, & quod hæc debeat excludere omnem formidinem; non enim aliunde tanta fiducia in Paralytico, nisi quia fama obstrepente, & fide illustrante credebat, ipsum Jesum esse Christum; ergo fidem jam ex auditu conceperat: quod si Paralyticus omnem potuit dubitationem exuere, non possumus tamen nos ipsi, quibus non dicitur a ministris cor non videntibus, ut illi a Christo vidente fidem illius dictum est: *Remittuntur tibi peccata.* Ad II. neg. min. Ait Ap., firmam esse promissionem ex fide, quia ad eam vo-

cantur

cantur non ſolum Judæi, quorum pater eſt Abraham, ſed etiam gentes, quæ per fidem reputantur in ſemine; ergo inanis eſt hæreticorum fiducia, cum ea repromiſſio *omni ſemini* facta ſit, non autem ſingulis in individuo. Abraham autem *contra ſpem in ſpem credidit*, quia ſperavit, cum 100. eſſet annorum, ſobolem conſequi. Ad ult. locum retorq. argum. Abraham enim non hæſitavit diffidentia, quia ſciebat poſſe Deum facere, quæ promiſit; ergo fidentia Abrahæ non fuit juſtificationis ejus initium, ſed potius fidei effectus, qua in Dei veracitatem, & omnipotentiam credebat. Deinde huic fidentiæ acceſſit obedientia; ergo non fuit ſola fiducia. III. non hæſitavit, quia Deus ei revelavit Saram parituram; ergo ſola revelatione habetur ſine timore fiducia. Ad III. retorq. argum. Nam Græci PP., quibus Aug. accedit, hunc locum metonymice accipiunt, in quantum præſtat, ut menti firmiter hæreant, quæ non videntur, ut reſurrectio corporum &c.: ergo &c. Alii ita exponunt, ut fides ſit ſpei noſtræ baſis, & fundamentum. Jacobus vero docet, ut orans Deum non ſit hæſitans, ideſt ne in dubium revocet divinam omnipotentiam.

DISSERTATIO II.

De opere & merito juſtorum.

De bonis operibus, eorumque neceſſitate, & conditionibus, juxta hæreticorum, catholicorumque doctrinam breviter pertractabimus, tum de illorum merito, & proprietatibus juſtificationis breviter diſputabimus.

CAPUT I.

De bonis operibus, eorumque neceſſitate.

DOCUIT Calvinus l. 3. Inſt., omnium hominum opera, nil aliud eſſe, quam ſordes, & Luth. art. 33. ait, juſtum in omni bono opere peccare.

Catho-

Catholici vero afferunt, plura dari opera, quæ peccata non funt, quæ fiunt fecundum legis præfcripta, neque a malæ cupiditatis radice proficifcuntur. Afferunt etiam Novatores, bona opera non effe ad falutem neceffaria. Sed oppofitum docent catholici, quibufcum fit

PROPOSITIO I. Dantur bona opera, quæ peccata non funt.

Prob. I. ex fcripturis. Nam Gen. 4. habetur: *Refpexit Deus ad Abel, & ad munera ejus*, ergo *grata habuit & laudavit*, ut exponit Chryfoft. Hom. 18. Ib. c. 6. dicitur: *Noe inveniffe gratiam coram Domino*. Job. c. 1. vocatur *fimplex*, *rectus*, *timens Deum*, *& recedens a malo*. Pf. 118. ait David: *Ab omni via mala prohibui pedes meos*. Matth. 26. de muliere Chrifti pedes ungente ait Jefus: *Bonum opus operata eft*. Ad Ti. 3. fidelium opera dicuntur *bona*, *& utilia*. Jacob 2. ab operibus repetitur juftificatio; ergo &c. Prob. II. ex PP. Juftino, Irenæo, Chryfoftomo, Aug. aliifque, qui ad bene operandum nos vehementer hortantur, atqui hortationes iftæ non fiunt, ut magis inquinemur; ergo &c.

PROPOSITIO II. Opera bona adultis neceffaria funt ad falutem.

Prob. I. ex præceptis boni operis. Nam If. 58. Matth. 5. Marc. 8. Jo. 15. & alibi nobis præcipitur, ut bene operemur, nec amicus Chrifti cenfetur, qui mandata ejus non fervat. *Si diligitis me*, *mandata mea fervate*, & Jac. I. *Eftote factores verbi*, *& non auditores tantum*. II. Ex folius fidei infufficientia; habetur enim ibi; *Fides fine operibus mortua eft*. III. Ex vitæ æternæ per bona opera comparatione. Nam Matth. 25. dicetur electis: *Poffidete regnum*, *efurivi enim & dediftis mihi manducare* &c. Vide Aug. de Fide & op. 24. IV. Ex traditione. Nam Chryfoftomus Or. 5. contra An. ait: *Dogmatum puritati addamus illam*, *quæ in vita*, *& operibus eft puritatem*, *quæ ad falutem per-*

ducunt. Et l. 4. de Sacerd. *Nihil lucri ex ſana fide, ſi vita ſit corrupta.* Ambr. in 4. Hebr. *Non ſufficit fides, ſed debet addi vita fidei condigna.* S. P. de Gr. & arb. c. 7. eos reprehendit, qui ex Apoſtolo putant, *ſufficere homini fidem, etiamſi male vivant.* Gregor. Magn. ep. ad Theodoricum ait: *Si vita deeſt, fides meritum non habet*; ergo &c.

Ob. I. contra I. Prop. Scriptura, & PP. teſtantur neminem poſſe in hác vita perfecte legem implere. Jacobus enim c. 3. ait: *In multis offendimus omnes.* Et 1. Reg. 8. *Non eſt homo, qui non peccet.* Iſ. 64. habetur: *Quaſi pannus menſtruatæ omnes juſtitiæ noſtræ.* Etiam juſtis orandum eſſe his verbis: *Dimitte nobis* &c. c. 6. L. 18. dictum eſt. Græci ac Latini Patres communiter docent, nullum eſſe hominem, qui non delinquat. Ita Chryſoſtomus, Cyprianus; S. P. A. Gregorius, aliique; ergo &c. R. neg. conſ. Aliud eſt enim hominem, quamvis juſtum, dum etiam ſanctis operibus vacat, plura venialia ex infirmitate committere, aliud ſancta opera vel a mala radice procedere, vel eſſe legis tranſgreſſiones, & inſpecta dignitate ſua, mortalia & damnabilia. I. Non diffitemur, & hac ratione, oramus quotidie: *Dimitte* &c. quia *in multis offendimus*, ut c. 2. & 6. l. 18. dictum eſt. Hoc ſenſu etiam loquitur Iſaias, ac Patres omnes. II. vero negamus, & pernegamus. Falſum eſt etiam, quolibet peccato etiam minimo juſtitiam penitus labefactari. Sed de hoc argumento alibi

Ob. II. contra II. Prop. Cor. 2. c. 5. habetur: *Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas.* Et 1. Tim. 1. *Juſto non eſt lex poſita*; ergo juſtus non adſtringitur ad præceptorum obſervationem.

R. neg. conſ. Nam Chriſtiana libertas poſita eſt in libertate a peccato, a jugo legis Moſaicæ, non adimendo vim obligandi, ſed vires obediendi tribuendo, quibus non coacte, ſed lubenter impleant mandata, ut ait Apoſtolus ad Gal. 5. *Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.*

CA-

CAPUT II.

De merito, & conditionibus operis meritorii, juxta Hæreticorum & Catholicorum principia.

NOT. I. Meriti nomen faſtuoſiſſimum cenſuit Calvinus l. 3. Inſt. c. 15. ejus tamen mentio fit Eccli. 14. *Facit locum unicuique ſecundum meritum operum ſuorum.* Meminit etiam Cyprianus, Ambroſius, Auguſt. &c. Definitur autem: *Bonorum operum, quæ fiunt ex gratia, præſtantia, ob quam illis ſive ex decentia, ſive ex juſtitia præmium rependitur ſpectans ad vitam æternam:* dicitur, *quæ ſunt ex gratia*, quia nullum opus ſine gratia, aut fidem, aut juſtificationem, aut vitam æternam promeretur: dicitur *ex decentia*, ſive *ex juſtitia*, quia non omne meritum talem habet dignitatem, ut illi merces ex juſtitia debeatur. Sed plura ſunt imperfecta, quibus dona ſola Dei liberalitate rependi ſolent, ut dum conatibus bonæ voluntatis retribuitur gratia operationis.

Not. II. Duplex eſſe meriti genus, nempe *de condigno*, & *de congruo*. I. Eſt, cui ex juſtitia vita æterna rependitur, hoc autem in ſolis juſtis locum habet, & gratiam *habitualem* ſupponit. De hoc merito ait Apoſtolus Tim. 4. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* II. Eſt, cui ex ſola decentia remuneratio confertur, & in peccatoribus etiam locum habet, dum gratia præveniente excitati, fide, ſpe &c. ad juſtificationem diſponuntur: de hac Patres, & Conc. ajunt contra Pelagium: Gratiam non dari ſecundum merita. Hoc vero nomen vetuſtiſſimum eſt a Guillelmo Arverno uſurpatum, circa an. 1240. illud etiam in ſacris litteris invenitur, ubi operarius dignus mercede ſua memoratur. Hæretici ipſi utuntur meriti nomine, ſed ambiguum eſſe, & ſuperbiæ plenum criminantur.

Not. III. Quatuor ſunt conditiones, quas requirunt hæretici, ut bona opera mereantur vitam æternam. I. Ut opera ſint undequaque perfe-

cta, tam graduum, quam partium ratione. II. Quod opus meritorium sit prorsus indebitum. III. Ut illud plane, vel imprimis sit nostrum, non ejus, a quo expectamus mercedem. IV. Quod habeat cum mercede proportionem æqualitatis. Catholici vero septem conditiones admittunt, quas infra recensebimus.

PROPOSITIO I. Errant Sectarii dum quatuor operis meritorii conditiones assignant.

Prob. de I. Quamvis enim opera in se, & *materialiter* spectata imperfecta sint, & justus sæpe in venialia prolabatur, habet tamen per gratiam habitualem tantam dignitatem, ut per istam opera possint cum promissa mercede æquiparari. Nam etiam Christi Passio relate ad sanguinis effusionem finita est, & comparatur martyrum cruciatibus, inspecta tamen dignitate personæ, omnem exaltationem promeruit supra martyres omnes. Atqui reperitur in justo Spiritus sancti gratia, & *semen Dei manet in eo*; ergo &c. II. Ideo per Hæreticos requiritur, ut opera sint undequaque perfecta, eo quod justitia postulat æqualitatem inter datum, & acceptum; sed hæc ratio nulla est I. quia, ut ait D. Th. non reperitur inter Deum & creaturam justitia commutativa, quæ exigit inter datum, & acceptum æqualitatem, sed distributiva, idest proportio in distributione præmii. II. Quia datur inter bona opera, & vitam æternam æqualitas non entitatis, sed virtutis.

Dices opera bona non merentur de condigno justificationem; ergo multo minus vitam æternam, quæ est longe perfectior. R. Opera, quæ justificationem præcedunt, non mereri vitam æternam, quia iis deest status gratiæ sanctificantis, quæ est principalis conditio ad meritum de condigno. Affert Vossius Jo. Feri sententiam, qui in Act. 15. ait: *Fides justificat, non opera, quia imperfecta sunt.* Sed hujus doctrinam ab Hispanis censoribus castigatam non tenemur amplecti, deinde locus ille accipien-

cipiendus eſt de operibus ſine gratia paratis, quæque meritis Chriſti non innituntur.

Prob. etiam de ſecunda conditione, quam hæretici requirunt I. quia Chriſtus Luc. 17. ait: *Cum feceritis omnia, dicite, ſervi inutiles ſumus.* II. Theophylactus in hunc locum ait: *Servus cum operatus fuerit contentus ſit, quod plagas effugerit.* III. Bern. l. de Quadr. deb. ait, poſſe Deum, circa præmium, opera exigere a nobis. IV. Nec ſubditus, aut filius meretur dum regi, aut patri obſequitur. Verum, ſi hæc conditio admittatur, nec opera Chriſti erunt meritoria, quia & ipſe debuit præcepta Patris implere. Debet ergo in iis operibus diſtingui meritum a bona voluntate, habetur enim ratio meriti, non a conditione ſervili, ſed a dominio libera voluntatis: in his enim, quæ neceſſitate fiunt, nihil meriti contra Hæreticos agnoſcimus. Falſum eſt ergo, filium, ac ſervum non mereri, dum patri ac domino obtemperant. Cauſſa enim meriti non eſt opus, quod debetur, ſed operis quod debetur libera executio. Ad I. ergo R. quod debemus dicere: *Servi inutiles ſumus*, I. Quia ex opere noſtro nil Deo accedit utilitatis. II. Ad exercitium humilitatis. III. Quia potuit Deus mandata proponere nulla repromiſſa mercede, ut docet Bernardus, & Theophylactus ſecundo, & tertio loco producti.

Pr. de III. conditione quam exigunt, quia bona opera, licet ſint a nobis, ut ab inſtrumento, ſunt principaliter Dei, ut ait Apoſtolus 1. Cor. 15. *Non ego, ſed gratia Dei mecum.* Hinc vita æterna dicitur *gratia* ab Apoſtolo, & Auguſtino; ſed contra. Eſt enim creatura inſtrumentum Dei, ſed animatum, liberum, potens aſſentiri, & diſſentiri, ſi velit; ergo opus noſtrum eſt. Nam Jo. 15. ait Chriſtus: *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Hinc S. P. de Gr. & arb. ait: *Certum eſt nos velle cum volumus, certum eſt nos facere cum facimus.* Præparatur ergo voluntas a Domino,

no, qui per gratiam prævenientem facit, ut faciamus, adeoque Deum esse bonorum operum caussam principem, sed hæc opera nostra sunt utilia, ac meritoria. Apostolus ergo *gratiam* vocat *vitam æternam*, relate ad divinam prædestinationem, qua Deus statuit electis gratiam conferre, sine qua perseverare non possunt, mercedem autem, & *coronam justitiæ*, relate ad justitiam, qua recte agentes coronat. Idem docet S. P. Ep. ad Xistum ab Hæreticis laudata. *Ipsa vita æterna meritis præcedentibus redditur, tamen quia eadem merita non a nobis parata sunt, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, quia gratis datur.* Cum ergo ait Apostolus: *Non ego, sed gratia Dei mecum*, non significat solam gratiam operari, quomodo enim diceret, *amplius quam omnes laboravi*; sed nihil se fecisse sine divinæ gratiæ auxilio, quo sensu Matth. 10. habetur: *Non enim vos estis qui loquimini.*

Prob. de IV. cond., quam probant ex Ap. Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones &c.* Sed hæc refelluntur ex Prob. I. si distinguas id, quod spectat ad officium operis, & quod attinet ad principium & dignitatem ortam ex gratia habituali, quæ est propter inhabitantem spiritum participatio divinitatis, constituitque justum hominem hæredem, & filium Dei, eique tribuit vitæ arrham & pignus. Ad loc. Ap. Rom. 8. R. dist. ant. Non *sunt condignæ &c.*, spectata operis substantia, illæ enim leves sunt, & finem habent, gloria vero æterna & summa est, conc. spectata habitualis gratiæ, unde meritum proficiscitur, dignitate, neg.

Propositio II. Septem conditiones catholicorum in opere meritorio requiruntur.

Prob. I. enim est, ut opus meritorium sit bonum. Ait enim Dominus ad Cain. Gen. 4. *Nonne, si bene egeris, recipies?* Rom. 2. *Tribulatio & angustia in animam operantis malum.* Et c. 6. *stipendia peccati mors:* ergo &c. Accedit ratio, Deo enim

enim accepta ſunt tantum opera ſua, quæ illum laudant, & æternæ legi conveniunt, atqui mala opera Deo non ſunt accepta; ergo &c. Opus autem bonum illud cenſemus, quod ab æquitatis regula non deflectit, quo fruimur Deo, & utimur creaturis, cujus non ſolum officium commendatur, ſed etiam finis recte dirigitur. Qui enim juſtitiam faciunt, *ut videantur ab hominibus, mercedem non habent apud Patrem.*

II. Eſt, ut opus meritorium ſit liberum voluntate indifferentiæ, de qua præſertim l. 16. c. 2. & 3. alibi diſputavimus. De hac libertate ad meritum ait Eccleſ. c. 31. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino*, & S. P. de Gr. & arb. 2. ait: *Quando enim volens facit, tunc dicendum eſt opus bonum, tunc ſperanda eſt boni operis merces.* Merito ergo damnata eſt tertia Janſenii prop. *Ad merendum vel demerendum non requiritur libertas a neceſſitate,* & plures Baji articuli. Accedit ratio: nequit enim ad meritum imputari quidquid non eſt ſub hominis libertate, meretur enim quiſque honores & ignominias, prout virtuti ſtudet, aut vitium ſequitur.

III. Eſt, ut opus ſit ſupernaturale, & gratiæ auxilio fiat. Unde Arauſicana Syn. II. can. 7. ait: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet cogitare, aut eligere poſſe confirmat abſque inſpiratione Spiritus S. hæretico fallitur ſpiritu.* Eadem docet Trid. Syn. ſeſſ. 6. c. 2. Et S. P. A. qui l. 4. contra Jul. c. 3. ait, gratis eſſe mortuum Chriſtum, ſi poſſumus abſque ejus gratia ad regnum pervenire. Accedit ratio D. Th. 1. 2. q. 104. ubi ait, quod opus arbitrii ſummam habet cum vita æterna inæqualitatem, niſi valorem ſumat a virtute Spiritus S. & D. Proſperi, qui ait, hominem ſine gratia *bonis ſuis male uti;* ergo &c.

IV. Eſt, ut homo ſit in ſtatu viæ. Nam Eccleſ. 11: ait: *In quocumque loco ceciderit* (lignum) *ibi*

erit, & Jo. 9. *Venit nox, quando nemo potest operari.* Et S. P. Tr. 44. ait: *Aliud est tempus operationis, aliud receptionis. Cum vivis fac, erit enim tunc nox valida, quæ involvet impios.* Hujus conditionis caussam divinam præordinationem assignant Theologi; cum enim Deus temporalem hanc vitam militiæ, ac labori assignaverit, statuit in altera vita coronam, atque mercedem. Defectu hujus conditionis nec sancti majorem gloriam, nec damnati gravius supplicium promerentur. Dum ergo pro nobis sancti intercedunt, illorum oratio obtinet nobis beneficia, per modum impetrationis potius, quam meriti. Vide auctorem.

V. Est, ut opus meritorium ex caritate procedat. Nam caritas habitualis, cum sit a gratia sanctificante indivulsa, a Theologis universis requiritur. Requiritur etiam caritas, seu inspiratio bonæ voluntatis, idest gratia actualis. Videtur etiam necessaria caritas, quam commendat Christus Joan. 14. dicens: *Qui diligit me diligetur a Patre.* Jac. c. 1. *coronam vitæ repromisit Deus diligentibus se.* S. P. A. l. 4. contra Jul. 3. ait: *Sine hoc amore Creatoris nullum bene uti creaturis.* Et Ep. 144. ad Anast. ait: *Per caritatem impleri legem*, & de Sp. & l. 14. *Bonum non esse fructum, qui de caritatis radice non surgit.* S. Thom. 1. 2. q. 14. ait: *Meritum vitæ æternæ primo pertinet ad caritatem, ad alias virtutes secundario.* Accedit ratio: nam gloria magis amori, quam operibus rependitur. Alias non esset B. V. sublimior Apostolis. II. Caritas finem dirigit, unde virtutis pretium exurgit. Vide auctorem l. 19. c. 6.

VI. Est divina promissio, quam ad meritum de condigno videtur exigi a Trident. Synod. sess. 6. c. 16. ubi ait: *Bene operantibus proponenda est vita æterna, tamquam merces ex ipsius Dei promissione reddenda.* Unde S. P. Serm. 16. de V. Apost. ait: *Debitor factus est Deus, non a nobis aliquid accipiendo, sed aliquid, quod ei placuit, promittendo.*

Fulg.

Fulg. ad Mon. ait: *Se ipsum sua largitate dignatus est facere debitorem.* Accedit ratio I. quia sumus servi, a quibus potest ille omnia sine præmio exigere. II. quia non alia ratione constitui potest debitor Deus, nisi quia fidelis est, & implet promissa. III. quia denarius diurnus, idest gloria, non debetur nisi pactione ex Matth. 20.

Dices. Promissio ista etiam ab hæreticis agnoscitur; ergo rejicienda est. R. dist. ant. Eodem modo, neg., diverso modo, conc. Ajunt enim, eo modo reddi æternam vitam ex promissione divina, quo *levanti festucam deberetur regnum, si illi promitteretur*, ait Voss. disput. 4. Thes. 1. num. 6. Nos vero ita divinam promissionem statuimus, ut etiam fateamur bonorum operum dignitatem: ac Dei regnum cum Bernardo dicamus, *promissum ex misericordia, sed jam ex justitia persolvendum.*

VII. Est habitualis gratia, ex quo per Trid. Syn. sess. 6. c. 16. nullum meritum haberi possit, nisi Christus *tamquam vitis in palmites, in ipsos justificatos virtutem influat.* Et ratio est, quia hæreditas non ad servos spectat, sed ad filios, constituimur autem filii Dei adoptivi per gratiam. II. quia gratanter nihil, nisi ab amico recipitur; ergo &c. Ad meritum autem *de congruo* sufficit, si opus bonum sit liberum, atque ex gratia actuali, & aliquo Dei amore procedens. Neque habitualis gratia requiritur, quia non ex operis dignitate, sed ex sola decentia, Dei beneficia hoc meritum consequuntur.

CAPUT III.

De merito bonorum operum ex Catholicorum doctrina.

NON est quæstio de operibus absque gratia patratis, licet enim honesta & bona sint ex officio, nullum inesse iis meritum fides docet, sed de operibus, quæ fiunt per gratiæ adjutorium, quorum aliqua justificationem præcedunt, ut timor,

oratio, fides, ſpes, contritio, confeſſio &c. alia ſubſequuntur, ut pœnitentia, eleemoſyna &c. Sit ergo

Propositio I. Opera, quæ juſtificationem præcedunt, meritum habent *de congruo*, non *de condigno*.

Prob. I. pars. Nam ex ſcripturis ſupra cit. & ex Trid. ſeſſ. 6. c. 6. opera iſta ad juſtificationem diſponunt, Deus enim convertitur ad impium ſe convertentem ad Deum, dum gratia excitatur, ſed hæc diſpoſitio habet rationem meriti *de congruo*, ut l. 14. oſtendimus, & expreſſe docet S. P. ep. ad Xiſtum dicens: *Sed nec ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat; neque nullum eſt meritum fidei, qua ille dicebat: Deus propitius eſto mihi peccatori, & deſcendit juſtificatus merito fidelis humilitatis*; ergo &c.

Prob. II. pars. Ex prob. 7. Prop. 2. c. 2. Deeſt quippe illis operibus ſtatus gratiæ, & filii adoptivi dignitas: *Quid enim habere boni meriti poſſunt peccatores?* ait cit. Ep. S. P. Cum ergo Aug. aliique PP. docent, impium nihil mereri, accipiendi ſunt de merito, quod juſtitiæ innitatur, hoc eſt *de condigno*, vel de merito, quod nullis operibus naturalibus debetur, quoniam a gratia *incipiunt bona quæcumque ſunt merita*, ut ait S. P. A. ibidem.

Propositio II. Bona opera juſtificati vitam promerentur etiam *de condigno*.

Prob. prima pars. Sap. 5. habetur: *Juſti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum.* Matth. 5. *Merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Rom. 2. *Reddet unicuique ſecundum opera ejus.* Apoc. ult. *Merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundum opera ſua*; atqui merces meritis rependitur; ergo bona opera merentur vitam æternam.

Prob. II. ex Patribus. Ignatius mart. ep. ad Rom. *Sinite*, ait, *ut beſtiarum eſca ſim, per quam poſſim Deum promereri.* Baſilius l. de Sp. S. c. 24. *Homo ex operibus juſtitiæ ſalvatur.* Nazianz. Or. 31. nos

ad

ad *bona opera* hortatur, *ut etiam præmium conſequamur.* Chryſoſtomus Hom. 2. in ep. 2. ad Timoth. ait: *Bonorum operum Deum habemus debitorem.* Cyrill. Theſ. 26. ait: *Præmium gloriæ certantium laboribus reſpondere.* Cypriani, Ambroſii, Auguſtini loca vide cap. præced. S. Profp. obj. 6. ait: *Juſtificatus homo nullo præcedente merito accipit donum, quo medio acquirat & meritum.* Bern. ſerm. 81. in Cant. *Omne bonum quod liberum ſit, ad meritum deputatur;* merito ergo ſancta Synodus Trid. ſeſſ. 6. c. 32. hanc theſim, dicto hæreticis anathemate, definivit.

Prob. ſecunda pars. Licet enim ſancta Synodus in gratiam quorundam ſcholaſticorum meritum *de condigno* expreſſe non memoret, hoc tamen majori probabilitate defendimus. I. Enim cit. canone Trid. dicitur, opera juſtorum *vere mereri vitam æternam* &c. ſed hæc verba non ſolam congruitatem, ſeu decentiam important, ſed verum meritum; ergo &c. II. Meritum *de congruo* nec hæretici negant. Voſſius enim teſtatur aliquod meritum agnoſci a Confeſſione Wittemb. & Reformatos tantum negare, quod bona opera, non ſolum ex promiſſione, ſed etiam juſtitiæ debito cenſenda ſint meritoria. Niſi ergo meritum *de condigno* propugnare opus ſit, cur hac in parte cum Novatoribus tam acerba contentio? III. Scholaſtici, qui juſtorum opera *de condigno* mereri negarunt, & vitam æternam gratiam tantum, non juſtam eſſe retributionem docuere, ut noſter Ariminenſis, aliique, verbo tenus, non re invicem diſſentiunt, unde eorum diſcrepantia fruſtra ab Hæreticis nobis opponitur, ut obſervat hoc loco cl. Auctor. Sed, etſi diſcreparent, recte monet Tridentina Synodus, in his quæſtionibus veritatem majori in luce poſuiſſe ſcriptores illos, qui naſcentes hæreſes ex inſtituto impugnarunt; ergo &c.

Ex quibus infertur, non ſolum bonis juſtorum operibus *verum meritum*, cum omnibus Catholi-

cis,

cis, esse tribuendum, sed etiam *condignum*. Scripturæ enim æternam vitam appellant: *Coronam justitiæ*, *bravium*, *mercedem*, *&* *denarium diurnum*, atqui his verbis significatur retributio, qua, servata æquitate, operarius fraudari non debet; ergo &c. II. Justus appellatur, filius Dei, regni hæres, palmes adhærens viti, sed ex his ostenditur justorum dignitas, & jus ad gloriam, qua, si permaneant, expoliari nequeunt; ergo &c. III. PP. docent, Deum promittendo se justis debitorem fecisse; ergo &c. IV. In bonis operibus hominis justificati extant omnes conditiones operis *de condigno*; ergo &c.

Ob. I. ex Scripturis, in quibus vita æterna *gratia* & *misericordia* vocatur, ut Psalm. 111. *Coronat te in misericordia*. Isai. 51. *Venite, emite absque argento* &c. Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna*. Eph. 2. *Gratia salvati estis, & hoc non ex vobis*; ergo &c.

R. neg. cons. Hæc enim omnia soluta sunt in refutatione secundæ conditionis Hæreticorum c. 2., ubi ostendimus, quomodo æterna vita sit *misericordia*, ob gratiam prævenientem, & *merces*, propter obedientiam. Hinc S. P. de Gr. & arb. c. 9. ait: *Numquid non corona bonis operibus redditur? Sed, quia ipsa bona opera ille in bonis operatur, ideo dixit Ps. coronat te in miseratione, quia ejus miseratione bona opera operamur, quibus corona reddetur*. Isaiæ locus de terra promissionis, & de vocatione ad Ecclesiam accipiendus est. Et utrumque beneficium est, si de gloria sumas. In verbo *emite* pretium exprimitur, τὸ *sine argento* bona fortunæ excludis; illud *sine commutatione* designat, Deum nihil a nobis emolumenti percipere. Rom. 6. *cum posset Apostolus recte dicere, stipendium justitiæ vita æterna, maluit dicere, gratia autem Dei vita æterna, quia ejus miseratione bona operamur, quibus corona reddetur*, ita S. P. ib. In ep. ad Ephes. 2. ideo ait Apost. *Gratia salvati estis &c. ne dicerent, se suis operibus domum tale meruisse, & continuo*

sub-

ſubjecit, non ex operibus, ne forte quis extollatur: non quia negavit opera bona, cùm dicat unicuique reddere ſecundum opera ejus, ſed quia opera ſunt ex fide, non ex operibus fides, ait S. P. de Gr. & arb. c. 7.

Ob. II. ex PP. Hilarium, Baſilium, Aug. Bernardum, alioſque ſcribentes, Dei miſeratione gloriam conferri, eam eſſe munificentiſſimam Dei gratiam, Deum non merita noſtra coronare, ſed dona ſua. Nulli facturum injuriam, ſi nollet gloriam juſtis conferre &c. ergo &c. R. ut ſupr. ad 1. neg. conſ. Confertur enim nobis gloria miſeratione divina, quia miſericordia ejus prævenit nos: nemo enim venit ad fidem, ad gratiam, ad coronam, niſi Pater traxerit eum. Dicitur munificentiſſima Dei gratia, quia prædeſtinatio, *non currentis*, ſed *miſerentis eſt Dei*, qui dormientes excitat, adjuvat operantes, & reddit perſeverantibus juſtitiæ coronam. Qua quidem non merita noſtra, ſed ſua coronat, quia ipſe *operatur in nobis velle & perficere.* Nulli ergo faceret Deus injuriam, ſi gloriam ſuam juſtis negaret, ſi opera in ſe ſpectemus, aut abſolutam Dei auctoritatem, ſecus, ſi ſpectetur ejus liberalis promiſſio. Fidelis enim Deus eſt, nec aliquem fraudat mercede, & *juſtus Dominus reddet unicuique ſecundum opera ejus.*

Ob. III. Catholicum dogma repugnans eſt, Chriſto injurioſum, impium, & arrogantiæ plenum; ergo rejiciendum eſt. Prob. ant. I. enim repugnat, bona opera habere meritum ex gratia, & coronam promereri ſuamet dignitate; ergo &c. II. imminuit vim & efficaciam paſſionis Chriſti, ergo eſt Chriſto injurioſum, III. Evacuat divinam miſericordiam, & Dominum omnium facit debitorem creaturarum; ergo eſt impium. IV. Spem locat in meritis atque operibus noſtris; ergo faſtum promovet.

R. neg. ant. Ad 1. prob. neg. ant. Cum gratia enim ſtat meritum, quia etiam liberum arbitrium ope-

operatur, licet ſine gratia nequeat recte operari: ſicut palmes viti inſitus fructum producit, licet fructum ferre nequeat, niſi manſerit in vite. Hinc R. ad II. neg. ant. Sicut enim a vite provenit, ſi palmites fructum ferant, ita a gratia Chriſti juſtorum opera vitam æternam promerentur. Ad II. neg. ant. Licet enim dicamus, vitam æternam meritis conferri, dicimus tamen, hæc merita abſque gratia non comparari. Nec nos facimus Deum debitorem, ſed ille ſe facit, non a nobis accipiendo, ſed promittendo, ut merito juſti dicant cum Auguſtino: *Redde quod promiſiſti, quia fecimus quod juſſiſti.* Vid. c. præc. Ad IV. diſt. ant. In meritis ſpem locat divinæ retributionis, ut David, Paulus &c., conc., ſpem locat, quaſi opera a ſola liberi arbitrii facultate procedant, ut Phariſæus, neg. Primo autem modo ſpem in meritis locare non eſt faſtum promovere, ſed fervorem excitare, torporemque depellere: debet enim quiſque firmiſſime credere, quod non ibunt in vitam æternam, niſi qui bona egerunt, nec coronabitur, niſi qui legitime certaverit, quamvis ad exercendam humilitatem cum Apoſtolo dicere teneatur: *Non ego, ſed gratia Dei mecum.* Deus enim eſt, *qui operatur in nobis velle & perficere, & coronat in miſericordia & miſerationibus.* A quo, ſi ipſa ſibi humana relinquatur infirmitas, nonniſi valet ad peccandum; ergo in timore & tremore propriam ſalutem operari debet. Merito ergo ſtatuit Trid. Syn. ſeſſ. 6. c. 26.: *Si quis dixerit, juſtos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerunt facta, expectare æternam retributionem a Deo per miſericordiam, & J. C. meritum, ſi perſeveraverit uſque in finem, anathema ſit.*

CA-

CAPUT IV.

Explicatur quid possimus de congruo, *&* *quid* de condigno *apud Deum promereri.*

In ipsa justificationis gratia plura spectare possumus. I. ipsius in animam ingressum. II. Justitiæ augmentum. III. diuturnam in sanctitate persistentiam. IV. reparationem post lapsum. V. denique finalem perseverantiam. Sit itaque

Propositio. Promeretur justus *de condigno* sanctificantis gratiæ augmentum, non tamen primam ejus collationem, persistentiam, reparationem, aut finalem perseverantiam.

Prob. I. pars. Ex Trid. Syn. sess. 6. c. 32. Nam qui Deo accepti sunt, si magis diligant, magis in virtute, meritoque proficiunt, & *liberati a peccato, servi autem facti Deo, habent fructum in sanctificationem, finem vero vitam æternam*, ait Rom. 6. Paulus Ap.; ergo potest justus etiam *de condigno* mereri justitiæ augmentum. Prob. II. pars. Ex Prop. I. cap. præc., ubi ostendimus, hoc meritum non reperiri in peccatore. Prob. III. pars. Ut enim justus minimo etiam tempore perseveret, indiget auxilio gratiæ efficacis, qua justitiam servet, & tentationibus non succumbat: hoc vero auxilium, cur uni detur, non alteri, inscrutabilia sunt judicia Dei, & licet Deus justum non deserat, nisi prius deseratur, nemo tamen se continet ab injustitia sine adjutorio, quod, cui datur, misericorditer datur, cui non datur, justo judicio non datur.

Prob. IV. pars. Nam Ezech. c. 18. habetur: *Si averterit se justus a justitia sua, omnes justitiæ ejus, quas fecerat non recordabuntur;* ergo qui sanctitatem amisit, gratiam per pœnitentiam consequetur, non merito *condigno* præcedentis justitiæ, quæ periit, sed merito *de congruo* præsentis contritionis, & gemitus: ejus enim desiderium, & oratio *non innititur justitiæ, sed tantum misericordiæ*, ait D. Th.,

D. Th., *quoniam recedente disciplina*, ait Cypr. ep. 7., *recessit & gratia*. Prob. V. pars. Cum enim perseverantia finalis sit specialissimum gratiæ donum divino beneplacito præparatum electis, ut c. 7. præc. lib. ostendimus, non potest justus eam condigne mereri. Potest enim Deus recto judicio efficacem gratiam justo subtrahere, & sicut parvulum rapit, ne malitia mutet intellectum ejus; ita permittit aliquando justum senem delinquere, & sine justitia, a qua mala voluntate recessit, perpetuo perire. Deus enim, velut figulus, habet potestatem alia vasa in honorem, alia in contumeliam efformandi.

Dices: potest justus mereri *de condigno* vitam æternam; ergo & finalem perseverantiam. R. neg. cons. Nam placuit Deo vitam æternam promittere tamquam bravium bonis operibus justorum, ut omnes sic currerent, ut comprehenderent, non placuit promittere perseverantiam ipsam, ut nemo præsumeret. Nec sequitur, ex quo merces sit finis, ut merces etiam debeat esse medium ad ipsum finem perducens; non est ergo de gloria & de perseverantia eodem modo ratiocinandum, quia hæc medium est, illa finis. Huc spectat, quod ajunt scholastici: Principium meriti, non cadit sub merito. Perseverantia autem pertinet & ipsa ad principium meriti. Quamvis autem finalis perseverantiæ donum *de condigno* mereri nemo possit, ut dictum est, posse tam mereri *de congruo*, ex ipsa oratione dominica satis evincitur, qua petimus: *Et ne nos inducas in tentationem.* Si enim perseverantia est gratiæ beneficium, quod impetrari potest orando, dubium non est, eam cadere sub merito, quod appellamus *de congruo.* Hinc S. P. de Don. Pers. c. 6. eos reprehendit, qui volunt, *ita hanc perseverantiam prædicari, ut non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit.* Matth. 10. habetur: *Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit;* ergo justus, si in gratia decesserit, vere promeretur vitam æternam, ejusque co-

confecutionem & gloriæ augumentum. Nam Rom. 8. legitur, *fi autem filii, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chrifti, fi tamen compatimur, ut & conglorificemur;* ergo non folum augumentum gloriæ, fed etiam confecutio cadit fub meritum, ut declarat S. Syn. Trid. c. 32. fup. cit. Electi, & etiam viatores poffunt *de congruo* aliis promereri primam gratiam, ut illam promeruit Stephanus Paulo. Bona etiam temporalia cadunt fub merito, quatenus præordinantur ad vitam æternam; nefas eft ergo ea expetere, fi nos a Dei & proximi caritate divellant.

CAPUT V.

De proprietatibus juftificationis, juxta Hæreticorum, & catholicorum doctrinam.

HÆRETICI tres enumerant proprietates juftificationis. 1. immutabilem perfiftentiam, 2. firmiffimam certitudinem, 3. æqualem in fingulis dignitatem. Nam poft errores Joviniani, & Pelagii, qui inamiffibilem putabant gratiam in baptifmo fufceptam, docuit Calvinus l. 3. Inft., in electis omnibus certam haberi arrham falutis & tenui etiam fidei æqualem tribui juftitiam, quia juftitia Chrifti per fidem æqualiter imputatur. Quamvis enim graviffima fcelera a juftis quandoque patrari fateantur Calvinus, Beza, Zanchius, Chamierius, & Dordrectana Syn., illos tamen negant amittere Spiritum S., atque a gratia excidere, eo ferme pacto, quo peccant amentes. Catholici contra docent, plures effe inter juftos, qui, cum prædeftinati non fint, non folum in graviffima crimina prolabuntur, fed etiam peffima morte decedunt, adeoque non effe femel arreptam juftitiam adeo firmam, ut non poffit extingui, nec adeo certam, ut non debeat juftificatus, quandiu vivit, ullatenus pertimefcere. Sit itaque

Propositio I. Justus in hac vita mortali potest excidere a sanctitate.

Prob. I. scripturis. Nam Ezech. 33. habetur: *Cum recesserit justus a justitia sua, feceritque iniquitates, morietur in eis.* Et 1. Cor. 3.: *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Et c. 10.: *Qui se existimat stare, videat ne cadat;* ergo &c. Item Matth. 13. profert parabolam seminis cadentis inter spinas, ac multos esse docet, *qui a voluptatibus vitæ suffocantur, nec referunt fructum;* ergo &c. Addit scriptura plura exempla Adami, Satanæ, & malorum angelorum, Davidis, Petri, Simonis, qui omnes ab accepta justitia exciderunt, aliqui etiam æterno supplicio torquentur in pœnam suorum criminum; ergo &c.

Prob. II. ex PP. Chrysost. in c. 8. ep. ad Rom. ait; *Si depuleris a te spiritus gratiam, periisti.* Tertullianus de Pœnit. ait: *Nonne multi excidunt? Nonne a multis donum illud aufertur?* Cyprianus de Exhort. mart. ait: *De laqueis sæculi liberatos non debere ad sæculum reverti, ne perdant quod evaserint.* Hieron. l. 2. contra Jovin. ait: *Si per peccati januam ingressus fuerit diabolus, protinus Christus recedit.* Et S. P. A., cujus præsertim auctoritate hæretici abutuntur, de Corr. & Gr. c. 8. ait: *Filiis suis Deus, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseverantiam.* Et c. 13. ait: *Credendum est, quosdam aliquandiu fideliter, & juste vivere, & postea cadere.* Et de D. Perf. 9.: *Ex duobus piis, cur huic donetur perseverantia, illi autem non donetur, inscrutabilia sunt judicia Dei.* Idem docet ep. ad Sixtum, & in lib. contra Julian. Ita S. Prosper ad Ob. 3. Gall.

Prob. III. ratione. Nam, si justus non posset Spiritus S. gratiam extinguere, semel justificatus actu perseveraret, nec esset hoc donum specialissimum, nec illud petere teneretur, nec deberet cum timore & tremore salutem suam operari, atqui falsum cons.; ergo & ant.

Ob.

Ob. I. Ex scripturis. David Ps. 36. de justo ait: *Cum ceciderit, non collidetur.* 2. Ps. 118.: *Non enim qui operantur iniquitatem in viis ejus ambulaverunt.* 3. Jer. 32. de gratia N. Test. ait: *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me;* ergo justus etiam graviter peccans non collidetur, nec a via justitiæ deflectet, nec a Christo recedet.

R. Ad I. neg. cons. Nam David loquitur de tribulationibus hujus vitæ, quibus, si Dominus supponat manum suam, animus justorum non frangitur, ut c. 6. l. 18. dictum est. Hinc S. P. serm. 2. in hunc Ps. n. 17.: *Contingat illi*, ait, *ut aliquam tribulationem patiatur, proponat sibi Dominum quanta passus est, & non conturbabitur eum ceciderit.* Ad II. neg. cons. Ibi enim præteritum pro præsenti usurpatur, ut in Ps. 1. *Beatus vir, qui non abiit &c. non stetit, pro abit, stat.* II. S. P. in hunc locum ait: *Si ambulant, non operantur iniquitatem, si non operantur, non habent peccatum;* ergo &c. Ad III. dist. ant. Et Jeremias loquitur de gratia *actuali*, quæ facit ut faciamus, & aliquando deest justis, conc., de *habituali*, neg. Sic enim hunc locum exponit S. P. l. 4. contra ep. Pelag. c. 6. Loquitur etiam propheta de magno dono perseverantiæ, quod electis omnibus, non omnibus justificatis confertur, ut tradit S. P. de Don. Pers. c. 8.

Ob. II. Matth. 7. habetur: *Non potest arbor bona malos fructus facere.* Et Jo. 3. *Qui natus est ex Deo, peccare non potest*, & v. 6.: *Qui in eo manet non peccat.* Item cap. 2.: *Ex nobis exierunt*, ait de reprobis, *sed non erant ex nobis.* Ex quibus sic arguitur, justi sunt arbor bona, sunt nati ex Deo, in eo manent, ex iis sunt, quos Deus diligit; ergo peccare nequeunt.

R. dist. cons. Peccare nequeunt in sensu composito, conc., in sensu diviso, neg. Justus ergo, in quantum est arbor bona &c. non *peccat*; ait S. P., potest tamen bonum semen a voluptatibus suffocari,

poteſt natus ex Deo fieri mala voluntate filius diaboli, poteſt averti a Deo, adeoque peccare. Adde, ibi notas exprimi, quibus filii Dei a filiis diaboli ſecernantur, ait enim Matthæus: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*, & Jo. *In hoc manifeſti ſunt filii Dei, & filii diaboli*, qui enim male agit, & odit fratrem ſuum non poteſt non eſſe malus. Ad ultimum R. S. P. *Quid eſt non erant ex nobis? Nonne vocati erant*, JUSTIFICATI, *& renovati? Secundum hæc ex nobis erant, veruntamen ſecundum aliam diſcretionem* (ideſt prædeſtinationem ad regnum) *non erant ex nobis;* ergo &c.

Ob. III. Cant. ult. habetur: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem.* Jo. 4. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* Cor. 13. *Caritas nunquam excidit;* ergo &c. R. neg. conſ. Nam Cant. ult. de Eccleſiæ unione cum Chriſto loquitur, quæ neque hæreſibus, nec perſecutionibus, nec corruptis improborum moribus obrui poteſt. Si accipias de gratia ſanctificante, nec ipſa aquis multis cupiditatum obruitur, ſed Dei ope ſuperat omnes tentationes. Locus Jo. 4. conditionate ſumendus eſt, nimirum, ſi non dereliquerint juſti *fontem aquarum viventium*, ut Judæi, qui *dereliquerunt fontem aquæ vivæ.* Poteſt etiam cum Cypr. & Chryſ. accipi de baptiſmo, & de evangelica doctrina, quorum primum non iteratur, ſecunda perpetua eſt in Eccleſia. S. P. eum exponit de beatitudine ſanctorum, de qua in Pſ. habetur: *Apud te eſt fons vitæ* &c. Apoſtolus 1. Cor. 13. oſtendit præcellentiam caritatis ſupra fidem, & ſpem, quæ aliquando *evacuabuntur*, cum illa etiam in patria ita perſeveret, ut numquam poſſit excidere.

Ob. IV. Greg. hom. 5. in Ezech., 11. in Matth., 13. in Jo. ait, quod caritas non eſt otioſa, ſed ſtabilis operatrix, & perſeverans; ergo &c. R. D. Th. in 3. ſent. diſt. 31., hæc attributa convenire caritati, prout a Deo procedit, non quatenus a ſuſcipiente recipitur. Adde, Gregorium primo loco

agere

agere de caritate electorum, quam permanentem vocat, quia in patria non excidit, in aliis de caritate actuali victrici, quæ ſuperat cupiditates, & operari non renuit.

Ob. V. S. P. Tr. 3. in 1. Jo. ep. ait: *Unctio inviſibilis Spiritus S. caritas illa eſt, quæ in quocumque fuerit, areſcere non poteſt.* Et tract. 8. *Radicata caritas eſt, nihil mali procedere poteſt;* ergo &c. R. neg. conſ. Non enim ait S. P. ipſam caritatem non areſcere, ſed illud non areſcere, quod in caritate radicatum eſt, ſcilicet deperdi ait, quæ operamur ſpe temporalium ex hominum timore: permanere autem fructum caritatis, etiam poſt mortem. Nam S. P. ibi exponit locum Jo. dicentis: *Hæc ſcribo vobis de his, qui vos ſeducunt, ut ſciatis, quia unctio permaneat in nobis,* quæ verba ita interpretatur S. P. ut non timeamus, qui nos tentant ſeducere promiſſis, aut minis, quæ areſcunt, & finem habent, cum areſcere nequeat, quod in caritate radicatum eſt. In tract. 8. diſtinguit S. P. inter opera, quæ bona videntur; ſed fiunt inani cupiditate, & ea, quæ ex radice dilectionis procedunt, atque illa numquam bona, hæc numquam mala eſſe poſſe declarat: *radicata eſt cupiditas, opera bona eſſe non poſſunt, radicata eſt caritas, ſecurus eſto* &c. Cæterum caritatem in patria nunquam areſcere indubium eſt.

Propositio II. Nemo abſque ſpeciali revelatione habet certitudinem fidei de ſua juſtitia.

Not. Duplex eſt certitudo. *Fidei*, qua ob Dei revelantis auctoritatem orthodoxis veritatibus aſſentimur, ex. gr., Trinitatis myſterio, ac Symboli articulis, & certitudo ſpei, qua cum bona conſcientia, bonis operibus inſudantes, in ſpem erigimur repromiſſæ retributionis. Hæc vero ſpes, non ſolum divinæ innititur promiſſioni, ſed etiam humano ſtudio per gratiam Chriſti adhibendo, quia Deus coronam non promiſit, niſi certantibus, & currentibus; ſpes ergo relate ad Deum erigitur,

ſed attenta hominis infirmitate non caret ſollicitudine ac timore. Hac diſtinctione facile reſpondetur hæreticorum argumentis.

Prob. I. ex ſcripturis, & Patribus. Prov. 11. habetur: *Omnis via viri recta videtur, appendit autem corda Dominus.* Et c. 5. *Quis poteſt dicere mundum eſt cor meum?* Eccleſ. 9. *Neſcit homo utrum amore, an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta.* I. Cor. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Hoc eſt: non ideo ſum immunis a culpa; fortaſſe enim habeo peccatum, quod me habere neſcio. Ita hunc locum exponit Chryſoſtomus, & S. P. in Pſ. 41. ubi de humani cordis abyſſo ait: *Quanta autem abyſſus ſit audite: Neque enim ego me ipſum judicio.* Vide ep. S. Bernardi ad Archiep. Senon.

Prob. II. Ratione. I. Ad juſtificationem non ſolum requiritur miſericordia Dei, meritum Chriſti, & efficacia Sacramentorum, ſed etiam conatus liberi arbitrii. Sicut ergo dubitare non poſſumus de iis, quæ ſe tenent ex Dei miſericordia & Chriſti meritis, ita inſpecta propria infirmitate poſſumus timere, nos gratiam Dei non eſſe conſecutos. II. Hæreticorum fiducia, ſicuti infert certitudinem juſtitiæ, ita etiam perſeverantiæ; ajunt enim, juſtificatum de ſua prædeſtinatione certum eſſe, ſed hæc incerta eſt, ut patet ex propoſitione præcedenti, & ex Aug. de Don. Perſ. 24. l. 11. de C. D. 12. de Corr. 13. ergo &c. Ex quibus infertur, non poſſe haberi hanc firmiſſimam certitudinem abſque ſpeciali revelatione, qualem habuit Latro, mulier peccatrix, & plurium opinione, Moyſes, Elias, Stephanus, & Paulus, qui forte ex revelatione didicit, quod non potuit ſua conſcientia. In aliis ſanctiſſimis viris locum habere poteſt certitudo moralis, & ſpei, ex frequentia virtutum, & conſcientiæ tranquillitate, qui *enim habent bonam conſcientiam habent ſpem bonam*, ait S. P. Pſ. 31. &

hanc ſolam alii Patres commendant, quidquid hæretici obganniant.

Ob. I. Jo. 5. habetur: *Qui credit habet vitam æternam.* Rom. 6. *Juſtificati ex fide pacem habemus ad Deum.* Et c. 8. *Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei.* Et v. 38. *Certus ſum, quia neque mors, neque vita poterit nos ſeparare a caritate Dei;* ergo &c.

R. diſt. ant. Qui *credit habet vitam æternam* ſpe, conc. re, ſubd. Si mandata cuſtodiat, conc. ſecus, neg. Apoſtolus autem Rom. 6. *pacis* nomine ſignificat reconciliationem & gratiam, non infallibilem hujus gratiæ notitiam. Ac c. 8. ait, Spiritum ſanctum teſtari juſtis, ſe eſſe Dei filios, cum non detur Spiritus ſanctus, niſi Dei amicis & juſtis, ſed non ait, ipſis juſtis teſtimonium Spiritus ſancti eſſe infallibiliter notum, quod non ſit, niſi ſpeciali revelatione, aut evidentia miraculorum, alias per ſolam probabilem conjecturam hoc poterit innoteſcere. Quod ait v. 38. *Certus ſum* &c., id firmum animi propoſitum deſignat, unde Hieronymus legit, *Confido enim &c.*

PROPOSITIO III. Gratia ſanctificans non eſt æqualis in omnibus juſtis, & augeri poteſt.

Prob. I. ex prop. 1. c. 7. diſſ. 2. l. 3. Ubi oſtendimus, in patria diverſas reperiri manſiones, quæ meritorum inæqualitati reſpondent. Sequitur etiam ex dictis: cum enim ſanctitas ſit forma quædam animæ inhærens, majori accedente diſpoſitione per pietatis opera, recipit gratia incrementum, & fit perfectior. Hinc Prov. 4. habetur: *Juſtorum ſemita, quaſi lux creſcit, uſque ad perfectum diem.* Et Philipp. 1. *Hoc oro, ut caritas veſtra magis, ac magis abundet.* Apoc. ult. Qui juſtus eſt *juſtificetur adhuc*; ergo &c.

Prob. II. ex orationibus Eccleſiæ, ex Patribus, & Conciliis. Nam Dom. 13. Pent. Eccleſia ſic

orat: *Da nobis fidei, ſpei, & caritatis augmentum.* Idem docet S. P. A. lib. de Virginitate, & Tr. 67. in Jo. S. Fulg. l. 3. ad Traſim. aliique, quos alio loco produximus. Merito ergo ſtatuit Tridentina Syn. ſeſſ. 6. can. 24. *Si quis dixerit, juſtitiam acceptam non conſervari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera, ſed opera ipſa fructus ſolummodo, & ſigna eſſe juſtificationis adeptæ, non autem ipſius augendæ cauſſam, anathema ſit.*



PARS

PARS ALTERA.

In qua de Legibus, ac de humanis officiis disputatur.

PRÆTER gratiam Christi, qua humana juvatur infirmitas, necessaria quoque fuisse rationalibus creaturis præcepta quædam, atque instituta, quæ aut facienda præscriberent, aut fugienda prohiberent, unicuique compertum est. Cum ergo de gratiæ adjutorio prima hujus voluminis parte fuerit disputatum, superest ut de legibus, atque humanis officiis, quibus formandis leges sunt institutæ, pauca dicamus. De iis itaque agemus hoc loco libris quinque. Ac I. quidem, qui servato auctoris ordine XX. erit, de legibus pertractabit. XXI. De humanis officiis in genere. XXII. De iisdem officiis in specie, ac primo de Religione. XXIII. De virtutum theologalium officiis. XXIV. De variis corporis, animique oblectamentis, quæ virtutum officiis aut congruunt, aut adversantur.

LIBER XX.

De legibus.

LEGES, quæ hominum mores aut dirigunt, aut coercent, aliæ divinæ sunt, aliæ humanæ. Utrasque distinctis dissertationibus complectemur.

DISSERTATIO I.

De legibus divinis.

DIVINA lex, quæ nempe Deum habet auctorem, vel naturalis est, vel positiva. Naturalis alia est æterna, ab ipsa Dei sapientia, ac providentia indistincta, a qua omnes aliæ derivantur, alia participata, eaque naturæ lex est, non tabu-

lis exarata, sed cordibus nostris insculta. Positiva, seu scripta in veterem, & Mosaicam dividitur, & in novam, atque Evangelicam. Singula distinctis capitibus expendemus.

CAPUT I.

De legis vocabulo, definitione, ac partitione.

NOT. I. Legem a *ligando* aliqui dictam putant, quia subditos ad præceptorum observantiam adstringit. Vossius tamen, & Salmeron a *legendo* legem, sicut a *regendo* regem dictum putant. Hinc Isidorus l. 11. c. 10. *Dicitur lex*, inquit, *quoniam scribitur, & legenda proponitur.* Denique *ab eligendo apud latinos auctores legem appellatam esse* ait S. P. quæst. 20. in Lev. Græci νόμον vocant a νέμω tribuo, quia lex suum cuique tribuit. Hebræi תורה *Torà* legem dicunt, quasi *verborum jactationem.* Appellatur etiam *pactum*, *testamentum*, *mandatum*, *& voluntas Domini.* Definitur a Tullio l. 1. de Leg. *Recta ratio imperandi, & prohibendi*; a Scholasticis autem: *præscriptum aliquod ab eo, qui communitatis curam habet, ad commune bonum directum, & subditis intimatum.* Quæ definitio legislatorem spectat. Subditos vero quæ sequitur: *Lex est mensura actuum humanorum, per quam ad id, quod rectum est agendum, & ad id, quod pravum est omittendum diriguntur.* Atque hæc definitio est cuique legi communis.

Not. II. Illud, circa quod leges versantur, jus appellari, quod, non secus ac lex, in *naturale* dividitur, *positivum*, *divinum*, *humanum*, *ecclesiasticum*, *canonicum*; *& civile.* Jus naturale dividitur in *primævum*, *secundarium*, *& personale*, aut *locale.* *Primævum* spectat rationalis naturæ constitutionem, eoque præcipiuntur mutua hominum dilectio, connubia, filiorum educatio, cultus parentum, aliaque humanæ societatis officia, quæ etiam

etiam in ſtatu innocentiæ locum habuiſſent. *Secundarium* eſt, quod neceſſitate eſt conſtitutum, & familiarum diviſione, atque incommodis Adæ culpa inductis. Hinc Regnorum diviſiones, Rerumpublicarum conſtitutiones, jura belli, & pacis, emptio, venditio, locatio, conductio, aliique contractus, quæ omnia, cum omnibus gentibus communia ſint, *Jus gentium* a Juſtiniano (a) appellantur. *Perſonale jus*, aut *locale* reſpicit peculiarem perſonarum, aut locorum conditionem. Loca vero ſunt regna, provinciæ, civitates, aut oppida, quæ ſuis ſtatutis reguntur. Homines vero, aut liberi ſunt, aut ſervi aliorum dominio ſubjecti, unde mancipia dicuntur, quaſi manu capti ab hoſtibus. Sed & liberti ſuperioribus legibus obſtringuntur. Jura autem omnia ſive gentium, ſive perſonarum ab æterna, aut naturali lege manarunt.

Not. III. Quærunt Theologi, an lex ad actum intellectus, an ad actum voluntatis pertineat? Diſtinguenda eſt autem lex, prout in legislatore, in tabulis, aut in ſubdito ſubjicitur. In tabulis mortua eſt, in ſubdito ſæpe a voluntate eam implendi disjuncta. In legislatore vero, licet intellectionem ſupponat, ad voluntatem proprie refertur. Sit ergo

Propositio. Recta ratio imperandi, ac prohibendi, quæ lex dicitur, voluntatis actum complectitur.

Prob. I. ſcripturis. Pſ. 142. habetur: *Doce me facere voluntatem tuam.* Et Pſ. 102. *Notas fecit voluntates ſuas.* II. S. P. l. 4. de C. D. 6. ait: initio rerum fuiſſe gentibus pro legibus *arbitria principum.* Hinc Juſtinianus 1. Inſt. tit. 2. ait: *Quod principi placuit, legis habet vigorem*; ergo &c. *Cum legem dico*, ait Tullius, (b) *nihil aliud intelligi volo,*

(a) 2. *Inſtit. tit.* 1.
(b) *De leg.*

lo, quam imperium, ſine quo nec domus ulla ſtare, nec ipſe mundus poteſt. III. accedit ratio: imperare enim & prohibere, actus eſt voluntatis, qua præcepta intimantur, aut decernuntur: ergo &c.

Opp. I. Pſ. 18. Lex dicitur *præceptum Domini illuminans oculos*; ergo &c. II. Imperare etiam per D. Th. eſt actus rationis; ergo &c. III. Lex eſt regula pravi, ac recti, ſed hæc eſt opus mentis; ergo &c. IV. Lex naturæ eſt ipſum lumen rationis; ergo &c. R. ad I. diſt. ant. Lex illuminat, prout divinam voluntatem proponit, cui obtemperantes ambulamus in luce, conc. prout in ſola Dei voluntatis ſpeculatione conſiſtit, neg. Ad II. neg. an. Nam *voluntas imperat*, ait S. P. l. 8. Conf. c. 9. & D. Th. 1. 2. q. 71. 6. ſcribit: quod: *Voluntas imperat omnes actus voluntatis*; ergo imperium, quod S. Th. tribuit intellectioni, pro ſola mentis directione, non pro intimatione, ac vi movendi uſurpatur. Ad III. diſt. maj. Lex eſt regula, relate ad ſubditum, conc. relate ad legislatorem, neg. Nam hujus reſpectu lex eſt ipſius regulæ intimatio. Ad IV. diſt. ant. Eſt ipſum lumen &c. in homine, conc. in Deo, neg. In Deo enim eſt divinæ voluntatis intimatio, & præſcriptio.

CAPUT II.

De legum conditionibus, auctore, ac ſubjecto.

Quinque communiter traduntur conditiones legum univerſarum, quarum I. eſt, *ut lata ſit lex quælibet pro aliqua communitate.* In eo enim differt lex a præcepto, quod illa communis eſt, hoc vero peculiare. Hinc l. 1. Inſt. tit. *Jura* habetur: *Leges generaliter conſtitui.* Legem æternam, & naturalem eſſe communem per ſe conſtat. Civilem quoque, & canonicam talem eſſe Gregorius IX. affirmat.

Dices: lex eſt menſura humanarum operationum, atqui opus eſt individuorum; ergo & lex. II. datur

jus

jus *perſonale*; ergo & lex. III. *Commune*, *reſpublica* &c. ſunt nomina intentione hominum inſtituta; ergo non ſunt ſubjectum legis idoneum. IV. imponitur lex uni tantum, ut Abrahæ ſacrificium; ergo &c. R. diſt. maj. Eſt menſura, quæ fertur pro communitate etiam diſtributive, conc. collective, tantum, neg. Lex ergo univerſalis eſt, ſed cuique in particulari exhibet normam æquitatis, ut ars, & *prudentia* ad plures refertur, licet qui ea utuntur ſint individui. Ad II. diſt. ant. Et jus perſonale ad commune bonum ordinatur, conc. ſecus, neg. Ad III. neg. conſ. Vid. R. ad 1. Ad IV. neg. ant. Nam ſacrificium Abrahæ, non lex fuit, ſed præceptum ſoli Abrahæ, non omnibus impoſitum, ut circumciſio &c. II. Conditio eſt, ut leges ſint perutiles, & ad commune bonum referantur. *Lex enim*, ait Ariſt. 8. Eth. 10. *ſubditorum ſpectat utilitatem.* Idem tradit Tullius (*a*), & Iſidorus (*b*). Iſ. 51. *Lex*, inquit, *a me exiet in lucem populorum*; ergo reges debent Dei exemplo ad populi commodum leges ferre.

Dices. Plures ſunt leges, quæ ſolos principes juvant, ut ſolutio tributi. Plures ad ſolos milites, pupillos, ac libertos ſpectant, dantur & privilegia, quæ omnia privato commodo, non publico cedunt; ergo &c. R. diſt. ant. Privato commodo cedunt, quoad finem proximum, conc. quoad finem ultimum. neg. Licet ergo vectigal, tributum &c. in privatum regis commodum proxime cedat, ab eo tamen in militum copiis &c. ad publicam ſecuritatem impenditur. Idem de aliis judicium eſto. Privilegia vero non leges ſunt, ſed exemptiones a lege. III. Conditio eſt, ut lex ſit juſta, neque inhoneſta præcipiat; ut enim ait S. P. 1. arb. 5. *Lex eſſe non videtur, quæ juſta non fuerit.* Injuſtitia namque evertit commune bonum, non provehit.

Dices:

(a) 1. *de Leg.* (b) *In V. Etymol.*

Dices: Leges permittunt fornicationem, cujus fomes lex dicitur Rom. 7. Plura etiam a regibus præcipiuntur injuſta, ut conſtat de Pharaone, Saule &c. ergo &c. R. neg. conſ. Fornicatio enim permittitur, *ne majora crimina committerentur,* ait S. P. ibidem. Fomes etiam peccati lex dicitur, ob pœnam originalis culpæ, qua homo liber fit ſervus peccati. Pharaonis vero, ac Saulis decreta non leges ſunt, ſed juſſa Tyrannorum. IV. Conditio eſt, ut leges ſint diuturnæ, cujuſmodi ſunt lex æterna & naturalis, quæ ſunt invariabiles, Moſaica, quæ perduravit uſque ad Chriſtum, Evangelica, quæ uſque ad conſummationem ſæculi eſt duratura. Humanæ etiam leges poſt obitum legislatoris perdurant, ut conſtat de ſtatutis regnorum, urbium &c., quæ inviolate ſervantur. His prænotatis ſit.

Propositio I. Servatis his conditionibus leges ferre ad communitates ſpectat, earumque rectores.

Prob. I. ex Iſidoro, qui l. 1. ait: *Lex eſt conſtitutio populi, ſecundum quam majores natu aliquid ſanxerunt.* Id etiam probatur diſt. 2. Decretalium. II. Ex Ariſt. l. 10. Eth. c. 10. lex habet vim imperandi, & coercendi; ergo &c. Hinc leges a privatis ſancitæ ſola Magiſtratus, aut Principis comprobatione accedente obtinent auctoritatem.

Propositio II. Legibus etiam juſti tenentur obſtricti.

Eſt contra Novatores, qui a legibus excipiunt cœtum juſtorum, & prob. I. ex Rom. 3. *Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit. Sed legem ſtatuimus,* ideſt *legem ſiſtimus in his, quæ & nunc novo Teſtamento introducta cumulatione præcepto prohibentur,* ut explicat Tertullianus de pudic. Et c. 13. ait Apoſtolus: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit:* ergo & juſti. II. Jo. 15. habetur: *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea:* ergo &c. Ex Trid. ſeſſ. 6. *Nemo,* quan-

quantumvis justificatus, liberum se ab observantia mandatorum putare debet. Accedit ratio. Licet enim justi sponte legi obtemperent, reguntur tamen superiorum institutis; ergo legibus subjiciuntur.

Ob. I. Rom. 6. habetur: *Non enim sub lege estis, sed sub gratia.* Et Gal. 3. *Propter transgressiones lex posita est.* C. 5. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Item Decret. d. 19. q. 2. habetur: *Qui lege privata ducitur, nulla ratio exigit, ut publica constringatur;* ergo &c. R. neg. conf. Apostolus enim Rom. 6. vel de Mosaica lege loquitur, vel de lege premente, ut opponitur gratiæ adjuvanti, & Evangelio: *Non quia lex mala* fit, ait S. P. de Gr. & arb. 12. *sed quia sub illa sunt, quos reos facit jubendo, non adjuvando:* quippe sine gratia *sub lege positus, tantum erat legis auditor*, non *factor*. In c. 5. ad Gal. urget Judæos jugum legalium imponentes, adeoque libertatem tuetur a ceremoniis Judaicis, non ab observatione præceptorum. Et c. 3. demonstrat, justos, utpote legum observatores, immunes esse a pœnis, quibus prævaricatores subjiciuntur, unde Tim. 1. legitur; *Lex justo non est posita, sed injustis,* quia justus se sponte legi conformat, & lubens justitiam apprehendit, *non tamquam per pædagogum terrentem, & suadentem*, ait S. P. Aug. de Spir. & lit. c. 10. Idem est sensus decr. d. 19.

CAPUT III.

De lege æterna.

NOT. I. Lex æterna definitur ab Augustino contra Faustum 22. c. 27. *Ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Eamque naturaliter sunt assecuti Chrysippus, Manlius, Virgilius, aliique Ethnici. Hinc Tullius l. 2. de leg. ait; *Legem nec hominum inge-*

ingeniis excogitatam, nec ſcitum eſſe populorum, ſed æternum quoddam, quod mundum regit.

Not. II. Æternam Dei legem duas habere analogias, aliam reſpectu irrationalium creaturarum, aliam reſpectu hominum, & angelorum. Reſpectu irrationalium, ſicuti in his eſt obedientia improprie, ita lex lato modo dicitur ipſe ordo perpetuæ gubernationis. At reſpectu rationalium, ſicuti obedientia, ita lex propria eſt, & dicitur æterna, non ex parte rerum agendarum, ſed ex parte ipſius Dei cuncta ab æterno diſponentis, quo ſenſu prædeſtinatio, ac providentia dicitur æterna. Nec opus fuit, ut promulgaretur ab æterno, ſed tantum, ut inſtitueretur, vim habitura in ipſa rerum conditione. Lex itaque æterna, quæ ante tempora ſæcularia eſt inſtituta, in ipſa creaturarum conditione promulgata eſt.

Not. III. Cenſet Vaſqueſius, legem æternam eſſe ideam rerum exiſtentem in mente Dei. Nos vero, qui ideam ad perceptionem mentis referimus, legem vero ad voluntatis decreta, ſolam inter hæc diſtinctionem connotatorum agnoſcimus: Dei ergo natura, prout exhibet rerum rationes, eſt idea, prout ordinem & rerum menſuram præſcribit, eſt lex æterna. Quærunt ſcholaſtici: an lex æterna ſit aliarum cauſſa, eique omnes creaturæ ſubjiciantur? Sit ergo

Propositio. Lex æterna eſt aliarum cauſſa, eique creaturæ ſubjiciuntur.

Prob. I. pars. Ex Patribus. Auguſtinus enim Tr. 6. in Jo. ait: *Ipſa jura humana per reges Deus diſtribuit generi humano:* Et l. 1. de Lib. arb. c. 6. *Nihil eſt*, inquit, *in lege juſtum, quod ab æterna non derivetur.* Tertullianus in Apol. ait, gentium leges *de divina lege mutuatas.* Hinc Tullius Philipp. 2. ait: *Lex eſt a numine Deorum tracta ratio.* Clemens Alex. 1. Strom. idem probat ex fabulis Ethnicorum, quæ narrant, Minoem a Jove leges accepiſſe, Lycurgum ab Apolline, Zeleu-

cum

cum a Minerva &c. Accedit ratio, nam a prima caussa omnia moventur; ergo &c. Deinde omne malum, aut bonum ab æterna lege aut vetitum, aut præscriptum est; ergo &c.

Dices: Lex æterna est immutabilis, & obligat jure divino, quæ duo humanæ legi non conveniunt; ergo &c. R. neg. conf. Nam caussæ secundæ a prima vim effectricem habent, & tamen ab hac prima caussa modum habent longe diversum; ergo a pari lex æterna est immutabilis, licet ab ea leges mutabiles tradantur. Nam prima caussa vim agendi tribuit pro cujusque natura, quo fit, ut lex naturæ obliget jure naturali, lex autem humana humano jure. *Ut enim ars medicinæ*, ait S. P. de Ver. Rel. 17. *cum eadem maneat, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis est nostra valetudo; ita divina providentia, cum sit immutabilis, mutabili creaturæ varie subvenit, ut a vitio reducat, & firmet*, ergo &c.

Prob. secunda pars. Ex Aug. l. 5. de C. D. 11. ubi ait: *Qui nec avis pennulam, nec herbæ flosculum, sine suarum partium convenientia dereliquit, nullo modo credendus est, regna hominum eorumque dominationes a suæ providentiæ legibus alienas voluisse.* Vide Prov. 8. Matth. 6. Accedit ratio. Creatura enim vel necessario operatur, vel contingenter. Si primum, cum effectibus connectitur firmissima dispositione. Si secundum, vel contingens naturale est, vel liberum: illud Dei ordinatione regitur: cui *venti & mare obediunt*: liberum vero aut bene agit, & est a Deo operante, aut male, & est a Deo permittente; ergo *nihil fit visibiliter, quod non de invisibili summi Imperatoris aula, aut jubeatur, aut permittatur*, ait S. P. in Sent. collectis a Prosp. n. 58.

Dices. Nequit lex contingentibus intimari, cum ratione careant; ergo &c. R. dist. ant. Nequit intimari proprie, conc. improprie, neg. In irrationalibus enim non requiritur intimatio, aut obe-

dientia proprie dicta, neque activa directio, sed sufficit passiva, per quam modo sibi proprio ad fines suos contingentia dirigantur.

CAPUT IV.

De jure naturæ primario, ac de præceptis legis naturalis.

Naturæ legem legi æternæ affinem esse, atque unam esse alterius transcriptionem ex 1. cap. & seq. Prop. planum fiet. Sit ergo

Propositio I. Naturæ lex est legis æternæ in mente hominum, per participationem incommutabilis rationis divinæ facta transcriptio.

Prob. ex Augustino, qui hanc definitionem tradit l. 83. Q. 53. & declaratur. Dicitur ergo *transcriptio legis æternæ*, nullam enim vim habet creata natura, quæ ab auctore legis æternæ non imprimatur; quo sensu etiam bruta inditam habent naturæ legem, *cujus & bestiæ sunt participes*, ut ait Plutarchus. In iis enim amorem & curam in partus suos animadvertunt Demosthenes, Tullius, & Maro. Verbis sequentibus exponitur naturæ lex, ut obstringit homines ratione præditos, qui a Deo lumen rationis, & recte operandi regulam participant. *Quis enim legem in cordibus hominum scribit, nisi Deus*, ait S. P. Serm. 2. de Verb. D. Quod vero naturæ lex sita sit in participatione rationis, docent Ambrosius (*a*), D. Thomas (*b*), aliique, Tullius etiam l. 1. de Leg. Dicitur autem hæc ratio incommutabilis, quia est eadem in omnibus, exhibetque summam, & intimam regulam honestatis, ut l. 18. c. 3. demonstrat cl. Auctor.

Si vero petas: quomodo eadem ratio divina participaretur ab omnibus hominibus, quorum mens finita est, & mutabilis? R. S. P. l. 14. de Trin. 15. rationem illam *in cor hominis, non migrando,*

(a) *Ep.* 70. (b) 1. 2. *q.* 94. *art.* 1.

grando, ſed tamquam imprimendo transferri, ſicut imago ex annulo in ceram tranſit, & annulum non relinquit. Mutabilis eſt ergo omnis homo ſubſtantia ſua, ſed habet ſpiritum immortalem, qui poteſt ſe ſe convertere ad lumen indefectibile, quod eſt lex veritatis, & ad regulam immutabilem æquitatis, quæ eſt lex æterna, atque ipſe Deus.

Propositio II. Exiſtit reapſe lex naturalis nuper deſcripta.

Prob. ex Ap. Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt faciunt.* Hinc Caſſianus obſervat, Abelem naturali inſtinctu obtuliſſe ſacrificia (1), Henoch coram Deo ambulaſſe, Sem, & Japhet patris pudenda texiſſe, Abraham decimas obtuliſſe, Loth hoſpitalitatem, Job patientiam, nondum lege ſcripta, exercuiſſe; adeoque ſine lege ſcripta, licet non ſine gratia, hæc præſtitiſſe. Idem evincitur ex ingenito virtutis appetitu, quæ, cum in debitum finem tendat, æterna legis participatione dirigitur, ex conſcientiæ ſtimulo, quem naturæ legem vocat Hierony-

 mus

(1) Sacrificiorum qualitates, & circumſtantias fuiſſe determinatas Abelis etiam & Caini temporibus, cenſet S. P. A. l. 15. de C. D. c. 7. Quare hoc nonniſi Dei revelatione conſtitui non poterat. Et re quidem vera, quomodo ipſis innoteſcere potuiſſet, hæc vel illa ipſorum ſacrificia Deo accepta eſſe, niſi Deus quænam illa forent patefeciſſet? Quapropter naturali ratione eos cognoviſſe putandum eſt, oportere, Deo, ut ſupremo omnium Domino, offerre ſacrificia, ſed ſolam rationem naturalem non ſatis fuiſſe ad qualitatem & modum ſacrificandi determinandum. Imo exiſtimat S. D., viſibili quodam ſigno Deum oſtendiſſe, ſibi acceptum Abelis ſacrificium, Caini vero oblationes a ſe fuiſſe improbatas.

mus (*a*). Ex quibus conſtat, naturalem legem unam eſſe in omnibus hominibus, iiſque præſcribere amorem virtutis, & fugam vitiorum. Non deſunt tamen, qui a recta ratione animum avertentes, honeſtis præferunt inhoneſta. Quo factum eſt, ut etiam ſcripto lex tradita ſit, ut nempe *prævaricatores cernerent* in tabulis, *quod in cordibus non legebant*, ait S. P. A. in Pſ. 57.

Propositio III. Præcepta legis naturæ ad duo reducuntur, nempe ad amorem Dei, & proximi.

Prob. I. ex Matth. 22. ubi de his præceptis ait Chriſtus Dominus: *In his duobus mandatis univerſa lex pendet.* II. S. P. l. 1. Doctr. 23. ait: quatuor eſſe diligenda, unum quod ſupra nos eſt, alterum quod nos ſumus, tertium quod juxta nos eſt, quartum quod infra nos eſt, & de ſecundo & quarto nulla præcepta danda erant, quia id quod ſumus, & quod infra nos eſt, nempe corpus noſtrum, inconcuſſa naturæ lege diligimus; adeoque in iis non præcepto opus eſt, ſed fræno potius, quo amor a ſummo bono deflectens cohibeatur, quod fit præceptis negativis, quibus amoris vitia prohibentur; ſupereſt ergo, ut in duobus præceptis ſpectantibus ad Deum, *qui ſupra nos eſt*, & proximum, *qui juxta nos eſt*, univerſa lex pendeat. III. Cum jubemur amare Deum ſuper omnia, monemur etiam amare propter Deum quidquid amamus, inhærendo nempe ſoli bono incommutabili, utendo commutabilibus, quibus ita debemus uti, ut amor in ſummum bonum tendat. Præcipitur & dilectio ſui ipſius verbis illis: *Diliges proximum ſicut te ipſum*, ſed proximus ſpecialiter eſt commemoratus, ne homo ſibi placens, aliis appeteret dominari; debet ergo proximum ut ſeipſum diligere, quia in eundem finem tendit, eandemque præfert imaginem.

Nituntur hæc duo præcepta prænotionibus natu-

ræ

(a) *Ep. ad Algaſiam.*

ræ lumine notis, quarum I. eſt, *diligendum eſſe bonum, malum fugiendum.* II. *Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Facile enim intelligitur, ſummum bonum eſſe ſolum Deum, qui ſumme eſt, a quo uno alia bonitatem habent, qua ſi careant, mala ſunt; ergo ſummum bonum per ſe, alia propter illud diligi debent. Cum ergo ſummum bonum ſit ſumma veritas, juſtitia &c., malum autem privatio boni, fugiendum eſt mendacium, iniquitas, & quidquid habet bonitatis, aut æquitatis defectum. Hinc patet, virtutem omnem a lege naturali proficiſci, vitium vero ipſi adverſari. Et quia proximum novimus eandem habere nobiſcum connexionem cum ſummo bono, hinc illa lex: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris;* hinc alia præſcripta ad publicam tranquillitatem ſervandam. Ex quibus conſtat, quænam ſit naturalis legis deſcriptio, & *dictamen*, ſeu norma rationis. Spectant autem ad naturæ legem virtutes omnes in genere: conforme eſt enim naturali rationi, ut primæ veritati aliquid revelanti fidem præſtes aut promittenti confidas: non ſpectant tamen ad naturæ legem virtutes in ſpecie, actus enim fidei, ſpei &c. lege naturæ præſcriptæ non ſunt: alias naturalis eſſet fides, & juſtificationis exordium. Fides ergo, ſpes, caritas &c. ſupernaturales dicuntur, cum poſtulent gratiæ adjutorium.

CAPUT V.

An lex naturalis mutari poſſit, habeatque in ipſa locum Epicheja?

NOT. I. legem mutari poſſe tripliciter, nempe abrogatione, ſubtractione, & diſpenſatione. I. eſt legis diſſolutio, quoad præcepta, & vim obligandi. II. eſt præceptorum immutatio, & coarctatio. III. eſt ab integra lege quorundam exemptio. Adde Epichejam, quæ eſt legis interpretatio,

ut cum declaratur, ad quosdam ægrotos jejunii legem non spectare.

Not. II. Dispensari proprie dicitur, cum materia legis eadem perseverat, itaut lex desinat obligare, ex eo tantum, quod sit in potestate legislatoris auferre vim obligandi. Quo pacto dispensatur religiosus a choro, civis a vectigalibus. Aliquando tamen non legis præscripta immutantur, sed ipsa res, circa quam jus naturæ versatur. Ita cum Deus aliquem occidi jussit, aut rem alienam auferri, non dispensatur a lege, *non occides*, *non furaberis*, sed aufertur horum præceptorum materies. Non enim furti, aut homicidii scelus est, quod fit auctoritate supremi Domini vitæ & necis. Quæ dispensatio orta ex circumstantiis, & mutatione rerum, improprie dicitur dispensatio. Quo sensu quidam J. C. docent, non solum Deum, sed etiam Papam dispensare contra jus naturale. Licet enim *prima hujus juris* præcepta firmissima sint, tamen in particulari recipiunt mutationem, ob circumstantias, quo in casu potest Pontifex dispensare, ait Barbosa l. 1. Jur. Eccl. 2. Sit ergo

Propositio I. Lex naturæ per abrogationem, aut subtractionem mutari non potest.

Prob. I. pars. Lex æterna, ex Aug. l. 1. de Lib. arb. 6., nequit variari, sed naturæ lex, est æternæ transcriptio; ergo &c. II. Lex naturæ a ratione indita est, sed hæc abrogari nequit; ergo nec illa. III. Lex naturalis a natura, ac substantia non discrepat. IV. si abrogaretur, fas esset agere contra rectam rationem. Prob. II. pars. Si præcepta legis naturæ minuantur, aut mutentur, opus est, ut ordo etiam naturalis rerum minuatur, aut immutetur, quod opponitur æternæ legi, quæ hunc ordinem *servari jubet, turbari vetat*; ergo &c.

Propositio II. Neque Romanus Pontifex potest a naturali lege dispensare.

Prob. Rom. Pontifex naturali legi subjicitur, sed qui legi subjicitur, nequit ab ea dispensare, cum dispen-

dispensatio ad legislatorem, non ad subditum spectet; ergo &c. II. Auctor legis naturæ est Deus ipse, cujus respectu gerit Rom. Pontifex personam inferioris, sed inferior neminem potest a lege eximere, ut habetur in Clement. c. *Romani* de Elect. ergo &c. III. Nullibi legitur, Roman. Pontifici hanc potestatem fuisse collatam; ergo &c. IV. Nequit Rom. Pontifex dispensare a lege divina, quia indissolubilis est, sed talis est etiam lex naturæ, ergo &c.

Ob. I. Petro, ejusque successoribus dictum est: *Quodcumque solveris &c.* Hinc J. C. ajunt, quod Papa habet jura omnia *in scrinio pectoris sui;* ergo &c. II. dispensat Rom. Pontifex supra Episcoporum residentiam, sed hæc est de jure naturæ; ergo &c. Item dispensat supra vota, matrimonium &c. III. Dispensatum est etiam circa communionem bonorum, libertatem furtum &c.

R. ad I. neg. conf. Potest enim Rom. Pontifex omnia solvere, si recto ordini non adversentur, adeoque servata, non mutata lege naturæ: alias posset etiam a dilectione Dei dispensare. *Habet etiam jura in pectore*, quoad amplitudinem potestatis, qua potest dispensare, ubi dispensatio locum habet. Ad II. dist. min. Est de jure naturæ, quando illorum præsentia est ovibus necessaria, nec potest suppleri, conc. secus, neg. Nequit tamen Rom. Pont. facultatem Episcopo conferre gregem derelinquendi. Quoad vota, ac juramenta Rom. Pontifex improprie dispensat, idest declarat, ea in quibusdam casibus non tenere ob gravissimam caussam, condonando debitum ortum ex voto, aut juramento, tamquam vicarius Dei creditoris. Qua condonatione immutatur tantum voti, & juramenti materia, non dispensatur in lege. Sic debitor reddere non tenetur, quando a creditore in acceptum refertur: non quia jus solvendi dispensatur, sed quia deest pecunia, quæ debebatur. Matrimonium vero ratum, & consummatum non

ſolvit Rom. Pontifex, quoad vinculum, ſed quoad cohabitationem, & thorum. Ad III. neg. conſ. Quippe bonorum communio, libertas &c. non ſunt juris naturalis ſimpliciter, ſed pro certo rerum ſtatu, quo mutato, ipſa lex poſcit bonorum diviſionem.

Propositio III. Deus in nullo præcepto naturæ proprie diſpenſare poteſt.

Prob. I. Nequit enim Deus æternam legem, ſeu rationem, & providentiam pervertere; ergo nec mutare naturæ legem. II. Præcepta legis naturæ in eo differunt a poſitivis, quod hæc libera legislatoris voluntate, illa rerum natura conſtituantur, ſed quæ natura fiunt, neceſſaria ſunt, quæ fiunt ex arbitrio ſunt contingentia, & mutabilia ergo &c Quod enim vetat naturæ lex, eſt malum intrinſece, & quod præcipit intrinſece bonum: ſed nequit Deus illud præcipere, aut hoc vetare, alias peccare poſſet; ergo &c. III. Nequit Deus circa mendacium diſpenſare, quia eſt malum intrinſece, ſed tale eſt, quia æternæ legi adverſatur; ſicut ergo ablata naturæ lege nulla foret in mentiendo malitia, ita poſita naturæ lege prohibente homicidium, furtum &c. hæc ſunt intrinſece mala, quia rectæ rationi opponuntur; ergo &c.

Ob. I. ex ſcripturis. Matrimonium inter fratres, & ſorores naturæ lege inhibetur, atqui Deus diſpenſavit cum Adæ filiis & filiabus; ergo &c. II. Polygamia legi naturæ adverſatur, atqui cum Abrahamo, Jacobo &c. fuit diſpenſatum; ergo &c. III. Juſſit Deus Abrahæ filii immolationem. IV. Præcepit Hebræis ut ab Ægyptiis vaſa ſurriperent; ergo &c. V. Diſpenſavit ſuper uſuram cum alienigenis. VI. Super matrimonium per libellum repudii. VII. Super mendacium cum Obſtetricibus Ægyptiis. VIII. Juſſit Oſeæ, ut ſumeret ſibi uxorem fornicariam; ergo &c. IX. Diſpenſavit in ſabbato cum omnibus Chriſtianis; ergo &c.

R. diſt. maj. Repugnat naturæ legi abſolute, neg.

pro

pro certo rerum ſtatu, conc. In prima enim conditione ad propagandum genus humanum neceſſaria fuere cum fratribus, ſororibuſque connubia. Ad II. diſt. maj. Adverſatur abſolute, neg. pro certo rerum ſtatu, conc. Suppoſito enim fœdere, ac promiſſione multiplicandi populum fidelem, non fuit vetita Polygamia, maxime ob exiguum numerum Patriarcharum. Ad III. diſt. maj. Juſſit ut filium immolaret, ut ejus fidem probaret, conc. ut filium necaret, neg. Cum enim Deus ſit vitæ & mortis Dominus, qui eo jubente occidit, non legem frangit, ſed Domino obtemperat. Ut enim ait S. P. l. 22. contra Fauſt. c. 73. *Abraham, ſi filium ſponte immolaret, quid, niſi horribilis, & inſanus? Deo autem jubente, quid niſi fidelis, & devotus apparuit?*

Dices: fecit Abraham contra inclinationem naturalem; ergo contra legem. R. neg. ant. Naturalis enim inclinatio cum ratione conjuncta eſt, quæ docet, Deo magis parendum, quam humanis affectibus. Alias martyres, qui non ſine horrore occubuere, naturæ legem fregiſſent. Ad IV. neg. conſ. Non enim præcepit Deus Iſraelitis, ut Ægyptios deciperent, ſed ut vaſa poſtularent. Ubi fallaciam, ſi quæ fuit, non juſſit Dominus, ſed permiſit, quia Ægyptii deceptione digni erant. Noluit quidem Deus vaſa reddi, ſed juſta de cauſſa, quam aſſignat S. P. Q. 53. *Quia mercedem diuturni laboris non injuſtam Deus eſſe voluit.* Vel quia Ægyptii ſacrilegi auro & argento in idolorum cultu fuiſſent abuſi, ut ait S. P. l. 22. contra Fauſt. 71.

Ad V. neg. ant. Vel enim permiſit Deus Iſraelitis temporalium bonorum cupidiſſimis, ut alienigenis darent fœnori, ne fratres exhaurirent, vel quod uſura illa licita eſſet, ob damna Iſraelitis illata: *Ubi enim jus eſt belli, jus eſt uſuræ*, ait Ambroſius de Tobia. Ad VI. neg. ant. Dare enim libellum repudii non eſt matrimonium ſolvere, quoad vinculum, ſed quoad thorum. Si enim aliis

nubant, mœchantur, ait Chriſtus Dominus. Moyſes vero ob duritiem Hebræorum id permiſit, ut fœminarum licentiam, ac virorum ſævitiam, qui uxores necabant, refrænaret. Ad VII. neg. ant. *Aliud enim faciebant obſtetrices vivificando infantes, aliud Pharaoni mentiendo*, ait S. P. q. 1. in Exod. Illorum ergo pietati mercedem Deus rependit, non mendacio.

Ad VIII. neg. conſ. Quid enim adverſum clementiæ veritatis, ſi meretrix relicta fornicatione *in caſtum conjugium commutetur?* ait S. P. l. 22. contra Fauſt. 80. Cenſet Piette, ibi dici *filios fornicationum*, qui erant ex matre, quæ antea fuerat fornicata: ſed revera de filiis ſpuriis, & ab Oſea adoptandis ibi ſermo eſt, ut conſtat ex Græca, & Syriaca verſione: *Accipe uxorem, & filios fornicationum*, quod recte congruit figuræ ſacramenti. Conjugium enim Oſeæ ſignificat converſionem ad Chriſtum Eccleſiæ gentilium, & idololatrarum in infidelitate natorum.

Dices. D. Th. & Bernardus Oſeam excuſant a peccato, quia ad ſcortum acceſſit Deo jubente; ergo vere cum eo Deus ſupra fornicationem diſpenſavit. R. neg. conſ. Quamvis enim probabilis ſit allata D. Thom., & Bernardi doctrina, ei tamen præferenda eſt ſupra tradita ab Auguſtino, *quam theologi communiter amplectuntur* (a). Ad ult. diſt. ant. Diſpenſavit, quoad præceptum cæremoniale, ideſt quoad tempus & modum cultus Deo exhibendi, conc., quoad præceptum naturale, quo præſcribitur cultus Deo abſolute exhibendus, neg. Sicut enim diſpenſatum non eſt in ſacrificiis, ex quo pluribus cruentis unum ſucceſſerit incruentum; ita nec eſt diſpenſatum in feſtis, ex quo ſabbato ſucceſſerit dies Dominica, ſicut enim illud ob creationis beneficium, ita hæc ob Chriſti reſurrectionem,

(a) *Habert T.* 3. *p.* 364.

nem, Spiritus S. missionem, aliaque beneficia celebratur; ergo &c.

Ob. II. ex PP. Bernardus l. de Dispens. c. 2. Necessarium dividit in *stabile*, *inviolabile*, & *incommutabile*. I. ait a solis superioribus mutari posse. II. a solo Deo. III. nec ab ipso Deo. Atqui Bernardus in 2. classe locat præcepta secundæ tabulæ, seu naturalia, non occides, non mœchaberis &c. *quæ, etsi nullam humanam dispensationem admittant, Deus tamen, quando voluit, solvit*, quod probat exemplis Hebræorum, & Oseæ; ergo Bernardus in præceptis secundæ tabulæ dispensationem admittit.

R. dist. conf. Admittit dispensationem proprie dictam, neg. improprie, conc. Illa locum habet in aliquo facto, eo quod remanet præcepti materia, in hac vero non remanet, adeoque potest ea de re dispensare, potest enim Deus externa facta, quæ secundæ tabulæ decretis vetantur, subtrahere ex materia illorum præceptorum, itaut desinant propter circumstantias, quas Deus adjecit, esse eorundem præceptorum materia, ut patet in exemplo de Ægyptiis, & Osea, quod Bernardus ait, excusari auctoritate Domini. Non est enim furtum, aut fornicatio, quod supremi Domini auctoritate subripitur, aut jubetur. Furtum quippe est alienæ rei occupatio, Mœchia alienæ mulieris compressio; ergo dominium transferente supremo Domino, tangis quod tuum est, & a peccato excusaris *auctoritate imperantis*, ait Bernardus ibidem; ergo &c.

Ob. III. ex ratione. I. Si præcepta secundæ tabulæ essent indispensabilia, intellectus divinus judicaret necessario, hos actus amandos, illos odio habendos esse: sed circa actus humanos non necessitatur divina voluntas; ergo &c. II. Nullus actus humanus erga creaturas necessarius est ad consequendam beatitudinem; ergo &c. Ita Scotus. III. Potest Deus non concurrere cum homine ad actum ei præceptum, vel infirmitate, aut aliter impe-

impedire, ne præceptis parere valeat; ergo &c. Ita Major. IV. Cenſet Ochamus, poſſe Deum præcipere odium ſui; ergo &c. V. Poteſt Deus hominem ſine parentibus procreare; ergo poteſt filium diſpenſare a debito honorandi parentes. Ita Durandus. Ergo &c.

R. ad I. retorq. argum. Nam illa etiam, quæ præceptis primæ tabulæ præſcribuntur, ſunt actus humani, erga quos divina voluntas libere fertur, nec tamen per Scotum diſpenſationem admittunt. R. II. neg. min: Inſtituta enim lege naturæ neceſſario vult Deus illam ſervari, non abſoluta, ſed hypothetica neceſſitate. Ad II. neg. conſ. Beatitudo enim ſita eſt in actu; quo fruimur inamiſſibiliter ſummo bono, ſed hoc frui non poſſumus, niſi bonis mutabilibus recte utamur. Deus vero nequit velle, ut lex naturæ mutetur, & bonis creatis fruamur, cum non ſint finis ultimus rationabilium. Ad III. neg. conſ. Si enim Deus non concurrat, aut hominem impediat ab opere, ſufficit in ſubdito animi præparatio: nam *bona voluntas reputatur pro facto* (a). Ad IV. neg. ant. Ad V. neg. conſ. Poteſt enim Deus abſolute hominem ſine parentibus gignere, ſed poſita generatione nequit efficere, ut filii non ſint filii, neque parentes colant. Ex his ſequitur Epichejam, ſumptam pro legis declaratione, non pro ejus abrogatione, eſſe admittendam.

CAPUT VI.

De lege poſitiva divina, ac primo de lege Moſaica,

PRÆTER æternam, ac naturalem legem, quam Deus inſcripſi cordibus hominum, etiam poſitivam conſtituit, eamque digito ſuo in tabulis lapideis exaravit. Dividitur autem lex ſcripta, ſeu poſitiva in veterem Moſaicam, & in novam Evangelicam. Illam partim a Deo, partim a Moyſe, & ſenio-

(a) *Ex comm. prologuio.*

ſenioribus inſtitutam, nonnulli autumarunt. Manichæi, & Marcionitæ a diabolo, alii ab angelis traditam eſſe. Sententiam noſtram ſequentibus aperiemus.

PROPOSITIO I. Vetus teſtamentum a Deo eſt, Moyſes autem ejus fuit promulgator, non conditor.

Prob. I. pars. Exod. 20. habetur: *Locutus eſt Dominus cunctos ſermones hos.* Malach. 4. *Mementote legis Moyſis; quam mandavi ei in Horeb.* Hinc Chriſtus Dominus arguens Judæos legis Moſaicæ violatores ait: *Irritum feciſtis mandatum Dei.* Accedunt Patres, Tertullianus (*a*), Hieronymus (*b*), Auguſtinus (*c*), aliique. Jure ergo ſtatuit Tolet. Syn. in Fidei conf. *Si quis dixerit, alterum eſſe Deum priſcæ legis, alterum Evangeliorum, anathema ſit* Sequitur ratio. Lex enim vetus homines ordinabat ad Chriſtum per vaticinia, atqui diabolus, ut notat Angelicus (*d*), non inſtituiſſet legem, *ut homines adducerentur, ad Chriſtum, per quem erat ejiciendus*; ergo &c.

Prob. II. pars. Deut. 6. habetur: *Hæc ſunt præcepta, quæ mandavit Dominus, ut docerem vos.* II. Moyſes, ideo eſſet legis inſtitutor, quia hæc ipſi tribuitur Luc. 2. & Matth. 8. ubi dicitur: *Lex Moyſis, & præcepit Moyſes* &c. atqui Luc. 2. igitur de purgatione mulieris, de qua ipſe Dominus legem tulit, Lev. 12. unde Lucas ſtatim ſubdit: *Sicut ſcriptum eſt in lege Domini.* Matt. 8. memoratur lex leproſi a Deo lata Lev. 14. ergo &c. Sic Marc. 7. habetur: *Moyſes dixit, honora patrem & matrem*, ſed ea lex a Deo lata eſt Exod. 20. ergo &c.

Ob. I. Eccl. 3. habetur: *Opera, quæ fecit Deus perſeverant in æternum*, & Deut. 32. *Dei perfecta ſunt opera*, ſed lex vetus, nec perpetua fuit, nec perfe-

(a) *Contra Marcionem.* (b) *In Ep. ad Titum.* (c) *In l. contra Fauſtum.* (d) 1. 2. *q.* 98. *art.* 2.

perfecta; ergo non eſt opus Dei. R. diſt. maj. Perſeverant pro eo tempore, quo ſunt a Deo conſtituta, & perfectionem habent ſui generis, conc. abſolute, neg. Quippe τὸ *in perpetuum* quamcumque continuationem ſignificat, ut perpetuus Conſul, Dictator &c. Temporalia autem bona promittebat lex vetus, ut ex iis carnales Judæi ad Deum paullatim aſſurgerent.

Ob. II. Clemens R. aliique Patres Moyſen vocant Judæorum legislatorem; ergo &c. II. Jo. 1. habetur: *Lex per Moyſen data eſt;* ergo ſaltem præcepta cærimonialia a Moyſe ſunt inſtituta, ut ex Patribus demonſtrat Salmeron (a). III. Matth. 15. memorantur traditiones ſeniorum; ergo ab his, & Moyſe lex lata eſt.

R. ad I. diſt. ant. Vocant legislatorem improprie, quia legem vulgavit, conc., proprie, quia condidit, nego. Ad II. neg. conſ. Ut enim notat Clemens Alexandrinus 1. Pæd. Joannes ait, legem per Moyſen *datam*, non *latam*, aut inſtitutam. Ad III. diſt. ant. Memorantur traditiones ſeniorum, tamquam inſtituta hominum a Dei lege aliena, conc., tamquam Dei verbum, aut lex, neg. Phariſæi enim, teſte Joſepho (b), multa, quaſi legitima, populo tradiderunt *ex patrum traditione*, ſed legitimis Patrum proprio marte horrenda, & frivola ſcita addidere. Pietatem enim locabant in extrinſeco veſtium ornatu, ac in dilatandis phylacteriis, & fimbriis. Solvebant decimas menthæ & anethi, nec dandas, nec exigendas; ergo &c.

Propositio II. Lex vetus bona fuit, & bonis non pravis conſtituta præceptis.

Prob. I. Ex Ap. Rom. 7. *Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum.* Et c. 5. *Scimus, quia lex ſpiritalis eſt;* ergo bona eſt. II. Lex vetus Deum habet auctorem, atqui bona opera Dei bona ſunt; ergo &c. III. Lex vetus qua-

(a) *In diſp. in Act. Ap.* (b) 13. *Ant.* 18.

quatuor bona præstitit. I. ex ea Christus Dominus suam probavit divinitatem, & morum dogmata confirmavit. II. Christum præfiguravit, & prædixit. III. superstitionem, & idololatriam eliminavit. IV. rationi fuit maxime consona; ergo &c.

Ob. I. Cum Marcione, qui ex duobus principiis Gnosticorum docuit, Deum esse malorum auctorem. Cum Deus sit conditor universorum, legem Mosaicam omnibus dedisset, si ejus auctor esset, atqui solis Judæis tradidit; ergo non est ejus auctor Deus. II. Lex carnalis est; ergo mala. III. Stultum est opinari, Deum cruentis immolationibus delectari; ergo &c. IV. Jubentur Judæi abstinere a pluribus animalibus, in creatione benedictis; ergo &c.

R. I. dist. min. Tradidit solis Judæis *specialiter*, ob promissa Abrahæ facta, conc., *absolute*, & cum exclusione aliorum, neg. Nam pro aliis etiam Mosaicam legem fuisse constitutam, ex Proselytis constat, & alienigenis, qui ad eam accessere. Spectat etiam ad Christianos, qui ob fidem reputantur in semine. R. II. neg. maj. Deus enim est donorum suorum Dominus, *dividens singulis prout vult*. Ad II. neg. ant. Ap. enim Rom. 7. ait: *Lex spiritalis* est, & quia Deus, qui eam dedit spiritus est, & quia Christum præfigurabat ex Tertulliano l. 5. contra Marcionem. Ad III. neg. cons. Offerebantur enim Deo sacrificia, non quia Deus victimarum sanguine delectaretur, sed quia iis revocabatur populus ab idolorum cultu, & iis figurabatur Christus in Cruce immolandus. Ad IV. neg. cons. Significatur enim ea exceptione ciborum a noxiis voluptatibus abstinendum.

Ob. II. cum Manichæis. Vetus Testamentum promisit terram Chanaam servantibus sabbatum, azymorum solemnia, circumcisionem &c.; ergo &c. II. Catholici, ut Manichæi, plures legis cæremonias abjiciunt; ergo & legem. III. Addere hebraicæ vetustati Christianam novitatem est *pejo-*

rem

rem scissuram facere ex Matth. 9. ergo &c. Apostoli ipsi abjecerunt vetus Testamentum; ergo &c.

R. ad I. neg. conf. Non enim vetus Testamentum recipimus, ut consequamur eas promissiones, sed ut intelligamus in eis novi Testamenti prænunciationes. Nam ex Apostolo 1. Cor. 10. *Hæc in figura facta sunt nostri.* Ad II. dist. min. Abjiciunt præcepta vitæ significandæ, ut illud: Circumcides &c. conc. vitæ agendæ, ut illud: *Non occides, non concupisces*, &c. nego. Hæc enim nova lex servat, ut servat vetus, illa vero abjicit, ut futurorum figuras & umbras: unde Apostolus Col. 2. *Nemo*, inquit, *vos judicet in cibo, aut in potu* &c., *quæ sunt umbra futurorum.* Ad III. dist. ant. Addere novæ legi veterem in servitute faciendo, quæ jussa sunt ad nos prænunciandos, est *pejorem scissuram facere*, conc. in libertate legendo, quæ scripta sunt, ad nos confirmandos, neg. Hoc autem sensu, non illo, veterem legem nos recipimus. Ad IV. dist. ant. Apostoli abjecerunt vet. Testamentum, quoad præcepta cæremonialia, conc. quoad moralia, nego.

Ob. III. cum Fausto. Jubet lex Moysis, ut diligamus tantum amicum, & proximum, atqui alios omnes oderant Judæi, juxta dictum antiquum, *odio habebis inimicum tuum*, quam legem Christus immutavit, dicens: *Oculum pro oculo* &c. ut constat ex Matth. 5. ergo &c. II. Lex vetus fornicationem vetabat, & permittebat repudium, sed hoc damnat Christus ibidem; ergo &c. III. Vetat juramentum invocatione divini nominis, aliis non improbatis, sed hæc etiam improbat Christus Dominus; ergo &c. IV. Divitias promittit, ventris saturitatem, filios, nepotes, & terram Chanaan; ergo &c.

R. ad I. dist. min. Juxta dictum antiquum male a Judæis intellectum, conc., recte intellectum, neg., dictum ergo illud: *odio habebis* &c. non recte intelligentes Judæi ferebantur in odium hominis,

nis, cum non deberent odiſſe, niſi vitium; quod corripit Chriſtus dicens: *diligite* &c. Alienigenas vero, non omnes averſabantur Judæi, ſed idololatras, quibus ſe jungere vetiti ſunt, ne contaminarentur inolita ſuperſtitione. Lex ipſa talionis, quæ *oculum* pro *oculo* ſtatuit, non *fomes*, *ſed limes furoris eſt* (a), ut immoderatæ ultioni lex modum poneret: unde a Græcis, & a Romanis probata eſt. Ad II. vide cap. 5. in reſponſione ad 6. Ad III. neg. maj. Nam juramenta alia, quæ abſque divini nominis obteſtatione fiunt, non tenere, Phariſæorum traditio erat, quam jure damnat Chriſtus Dominus loco citato. Ad IV. neg. conſ. Promiſſiones enim illæ Judæis carnalibus fuere ſtimulum Domino ſerviendi, nobis vero meliorem expectandi ſubſtantiam.

Ob. IV. Fauſtus. Lex vetus Chriſtum non prænunciavit; ergo &c. Prob. ant. Nam Judæis dicentibus: *Tu de te ipſo teſtimonium perhibes*, Jo. 8. non ait Chriſtus, prophetis credite, ſed *ego teſtimonium perhibeo de me ipſo;* ergo &c. II. Moyſes Chriſto maledixit, dicens, *maledictus, qui pendet in ligno;* ergo &c. III. Chriſtus nullibi laudat legem Moyſis, quæ enim extant Matth. 5. *Non veni legem ſolvere, ſed adimplere*, Matthæus non ſcripſit; non enim de ſe diceret, *vidit Matthæum, ſed vidit me.* Deinde ibidem dicitur Chriſtus, hæc protuliſſe in monte, ubi erat cum Petro & Joanne, ſed is in ſuo Evangelio hæc verba non refert, quomodo ergo ea ſcripſit Matthæus? Adde, Chriſtum ſacrificia, circumciſionem, & plura legalia ſubſtuliſſe; ergo ſolvit legem.

R. ad I. neg. ant., & retorq. argum. Nam Joan. 5. ait Chriſtus: *Si crederetis Moyſi, crederetis & mihi, de me enim ille ſcripſit.* Joan. 8. ſuum teſtimonium laudat, quia dicens, *ſcio unde veni, & quo vado*, Patrem intelligit, qui aperuit ora pro-

(a) *Ex Aug. contra Fauſtum l. 19. c. 26.*

phetarum. Vid. Aug. tr. 35. in Joan. Ad II. neg. ant. Chriſtus enim, ex Ap. ad Gal. 3. *factus eſt pro nobis maledictum*, ideſt mortuus, *quia mors ipſa ex maledicto eſt*, ut ait S. P. l. 142. *& maledictum eſt omne peccatum, ſive ipſum ſupplicium, quod vocatur peccatum, quia fit ex peccato. Cur ergo timeret Moyſes dicere maledictum, quod Paulus non timuit dicere peccatum?* Ad III. neg. Ad prob. neg. conſ. Sæpe enim ſcriptores de ſe ſub aliena perſona loquuntur, ut Joan. 21. de ſe ait: *Vidit diſcipulum, quem diligebat Jeſus*. & Chriſtus ait: *Filius hominis vadit*. Prætermiſit quidem Jo. ea verba, *non veni ſolvere &c.* ſed ait: *Sunt alia multa, quæ non ſunt ſcripta &c.* Ceterum, ſi Manichæi Joanni fidem habent, ſciant, illum c. 5. ſcripſiſſe: *Si crederetis Moyſi &c.* Poſt mortem Chriſti legalia abroganda erant, tamquam umbræ futurorum, ſed ea Chriſtus Dominus ad apicem tum figura, tum opere in finem uſque ſervavit, nam *jota unum*, ut ipſe ait Matt. 5. *non præteribit a lege.*

Ob. V. Fauſtus. Lex vetus laudat horrenda facinora; ergo &c. Prob. ant. Laudat I. Abrahami cum pellice commixtionem, ejuſque mendacium, quo Sarai uxorem ſuam ut ſororem venditavit. II. Laudat inceſtum Loth cum filiabus ſuis. III. Laudat Jacobum germanas ſorores Rachelem, & Liam, & famulas turpiter agnoſcentem. IV. Judam cum Thamar fornicatum. V. David adulterum, & homicidam. VI. Laudat etiam Oſeam fornicariæ mulieri conjunctum. VII. Ipſum denique Moyſem collaudat, homicidam, furem, bellatorem, & Polygamum; ergo &c

R. neg. ant. Ad 1. prob. neg. ant. Abraham enim ſibi ex Agar filios procreari curavit. Quippe Sara ancillæ uterum in uſum juris ſui vindicavit, non ſerviens viro concupiſcenti, ſed jubens obedienti, & Abraham credens, hoc Saram Dei nutu voluiſſe, conjugali poteſtati obtemperavit. In filio autem ancillæ vetus teſtamentum, in filio liberæ novum

figura.

figurabatur. Nec Abraham mentitus eſt, Saram ſororem appellans. *Fratres* enim dicuntur propinqui in ſacris literis: & in Evangelio fratres Domini memorantur. Loth etiam dicitur frater Abraham, & Job ſororem vocat uxorem ſuam. Quod prudenter Abraham geſſit, ne vitam ſuam, & mulieris pudicitiam in diſcrimen adduceret. Ad II. neg. ant. Ut enim ait S. P. l. 12. contra Fauſt. a c. 42. ad 46. *Narrata iſta ſunt, non laudata:* nec Loth, neque ejus filiæ vitio caruere, licet ille, ut harum triſtitiam levaret, vino ſe ſe hilarem præbens, temulentus evaſerit, iſtæ ob humani generis conſervationem paternos quæſierint amplexus.

Ad III. R. Polygamiam tunc temporis non fuiſſe damnatam, ut alibi dictum eſt. Neque laſciviendi, ſed gignendi cauſſa filios Jacob plures habuit uxores. Vid. Auguſt. ib. a c. 46. ad 60. Ad IV. neg. ant. Vid. R. ad 2. Judas ergo fornicator inter Patriarchas recenſetur, ut Judas proditor inter Apoſtolos, ejuſque benedictio non ad ipſum refertur, ſed ad Chriſtum. Ad V. diſt. ant. Laudat ut adulterum &c., neg. ut pœnitentem, conc. Nam Davidis peccata ſcriptura reprehendit. Ad VI. Vid. c. 5. R. ad 8. Ad VII. neg. conſ. Licet enim Moyſes fuiſſet homicida &c., quod nunc non attingimus, vocatus eſt in Sina ab angelo, ut Saulus perſecutor a Chriſto vocatus factus eſt in Apoſtolum. Vid. auctorem.

Ob. VI. cum Felice Manichæo. Ap. Rom. 5. ait: *Lex ſubintravit, ut abundaret delictum;* ergo &c. Et c. 7. *cum veniſſet mandatum, peccatum revixit.* Hebr. 7. ait, vetus teſtam. culpa non vocaſſe. Tandem Ezech. 20. habetur: *Dedi eis præcepta non bona;* ergo nec bona fuit ipſa lex.

R. diſt. ant. Subintravit, revixit &c. ideſt *apparuit, ſentiri cœpit,* conc. ideſt a lege eſt, neg. *Erat enim peccatum*, ait S. P. ibid. c. 2. *ſed non apparebat. Data eſt lex ſuperbo, fecit contra legem, & apparuit peccatum, quod erat, ſed non apparebat.*

bat. Idem eſt ſenſus c. 7. *Quid eſt enim revixit,* ait S. P. Ser. 4. de V. Ap. 7. *apparere cœpit, ſentiri cœpit, rebellare adverſum me cœpit.* Nam in hebraica phraſi ſæpe ſumitur *facere* pro rei cognitione, ſic Pſal. 50. *ut juſtificeris in ſermonibus tuis &c.* Dicitur etiam Hebr. 7. vetus teſtam. culpa non vacaſſe, quia ſine Chriſti gratia juſtificare non poterat. Quo ſenſu locum Ezech. exponit S. P. *Dedi eis præcepta non bona, ideſt non talia, ut illis homines boni fiant.* Deinde retorq. argum. Habetur enim ib. *Dedi eis præcepta mea, quæ faciens homo vivet in eis.* Deinde aut veracem Prophetam credit Manichæus, aut mendacem. Si primum; ergo non ſcripſit afflatu dæmonis: ſi ſecundum; ergo mendax etiam erit, dum ait: *Dedi præcepta non bona.* Vid. auctorem, qui contra Phereponum pluribus demonſtrat, Auguſtinum omnia Manichæorum objecta ſolviſſe.

CAPUT VII.

De Moſe hebraicarum legum promulgatore.

De Moyſis antiquitate, ac religione plura in ſuperioribus libris dicta ſunt. Nunc de ejus nomine, connubio, homicidio, lepra, cornuta facie, & literarum inventione dicemus. Sit ergo

Propositio I. Moyſis nomen hebræum eſt, non Ægyptium.

Prob. I. Moyſes enim Exod. 2. dictus eſt, quaſi ſervatus ab aquis, *quoniam de aqua tuli illum*, ait filia Pharaonis. Sed hoc etymon convenit hebraico verbo משה *maſci extrahere*; ergo hoc nomen hebraicum eſt. Deinde Moyſem Ægyptia lingua *Mneven* dictum ex 1. Diodori colligitur. Unde fabulatur Thalmud Moyſen eſſe Monjon Ægyptiorum, cum Monjos idem ſit ac Menos: at vetuſti Rabbini pro *mneve menon* poſuere; ergo &c.

Opp. Moyſis nomen eſt Ægyptium; ergo &c.
Prob.

Prob. ant. I. quia a filia Pharaonis eſt impoſitum, II. quia Moſes interpretatur, *ſervatus ab aquis*, quod Ægyptia lingua dici Μωυσης, aur Μωῦ-υσης plures obſervarunt, probatque ex vet. codice Copto Kircherus. III. quia a radice משה *maſcià extrahere* non *Moſcè*, ſed *Maſcià* dici debuit, quod extractum ſignificat; ergo &c. R. neg. ant. Ad I. prob. R. Aben-Ezra: *Filiam Pharaonis forte hebraicam linguam calluiſſe, aut de ea quæſiiſſe.* Ad II. R. Omnes linguas plura nomina, præſertim propria, ab hebraica lingua, omnium matre habuiſſe. Ad III. R. participium *Benonì extrahens*, paſſive uſurpari non ſine myſterio, ut ſignificet, non ſolum Moyſem ab aquis extractum, ſed etiam electum populum a Moyſe extrahendum.

PROPOSITIO II. Moyſes non fuit Polygamus.

Prob. Qui enim id affirmant, cenſent, uxorem illius Æthiopiſſam aliam fuiſſe a Sephora filia Jethro ſacerdotis Madianitæ: ideſt Tharbim Regis Æthiopiæ filiam, quæ Moyſi nupſit in expeditione Æthiopica, ut narrat Joſeph l. 2. Ant. c. 10. quem ſequitur Comeſtor, Fabricius, Abulenſis &c. Aliter nec Sephora Madianitis Æthiopiſſa dici poſſet, cum Madian ejus patria ſit in Arabia Petrea, non in Æthiopia: atqui infirma ſunt hæc momenta; ergo &c. I. quia hiſtoriam belli Ethiopici fabuloſam putat Theodoretus, Rupertus, Cajetanus, Genebrardus, aliique. Incredibile eſt enim, poſt illatam ab Ethiopibus cladem Regem Ægypti ducem elegiſſe Judæum, comparato exercitu ex cognatis Moyſi, & poſt deditionem *Meroæ*, pactiſque cum Regina nuptiis, tamen *ſævitum in hoſtes* a Moyſe viro mitiſſimo. II. quia Sephora dicitur Æthiopiſſa, quod Madian ſpectet ad Æthiopiam orientalem, Ægypto proximam, & ad Sinum Arabicum porrectam. Vid. Tabulas Lubin ad calcem Bibl. Vitrè. Verum cenſent nonnulli, Sephoram ignominiæ

 cauſſa

caussa dictam fuisse Æthiopissam. Jure ergo Tertullianus Monog. 6. Moysen *unijugum appellat.*

Propositio III. Non fuit Moyses percutiendo Ægyptium facinorosus homicida.

Prob. ex Act. Ap. 7. ubi habetur: *Et cum vidisset quemdam injuriam patientem, vindicavit illum . . . Existimabat enim intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis, at illi non intellexerunt.* Ex quibus constat, Moysen, licet nondum constitutus esset judex populi miraculorum virtute, vere tamen fuisse electum a Deo, & ideo actum illum justitiæ Dei nutu exercuisse, quia putabat, populum ex ejus opere satis percipere, se a Deo missum in ejus ducem, & redemptorem; cumque eum non recognoverint dicentes: *Quis te constituit principem? Hunc Deus principem misit cum manu angeli, qui apparuit illi in Rubo.* Sicque typum Christi gessit, qui in primo adventu a fratribus despectus, veniet in secundo *cum potestate magna*; ergo Moyses Dei auctoritate Ægyptium percussit, adeoque non fuit facinorosus homicida, sed Dei vindex. Vid. Basilium hom. 1. in Exam. Aug. q. 2. in Exod. D. Th. 2. 2. q. 6. &c.

Ob. I. Moyses cædem Ægyptio illaturus *circumspexit huc atque illuc* (a). Deinde *percussum Ægyptium abscondit sabulo.* Tandem audiens, scelus palam fieri, fugit in terram Madian, sed hæc sunt iniqui animi, suique criminis conscii argumenta; ergo &c. II. Exod. 2. Moysi exprobravit hebræus quidam: *Quis te constituit judicem super nos*; ergo Moyses occidit Ægyptium auctoritate privata. Hinc S. P. l. 22. contra Faust. ait: *Consulta æterna lege, non debuisse hominem ab eo, qui nullam ordinatam potestatem gerebat, occidi.* Sed etsi Judex fuisset, debuit caussam expendere, nec pro sola percussione judex simul, & carnifex necem inferre. III. In Ep. Judæ c. 5. habetur diaboli cum Michaele alter-

(a) *Exod.* 2. 12.

altercatio, quod indignum ſepultura eſſe ille contendebat corpus Moyſis ob occiſum Ægyptium, ut Oecumenius exponit. IV. Rabbinorum commentum eſt, Moyſen non gladio, ſed tantum enunciato Dei nomine *Jehova* Ægyptium occidiſſe; ergo &c.

R. ad I. neg. min. Moyſes enim attenta miſera Judæorum conditione, qua regi infenſi, exules, jugo ſervitutis preſſi, nondum videbatur eorum rector & judex in tam adverſis circumſtantiis publicandus, adeoque circumſpexit undique, Ægyptium abſcondit, & fugam arripuit, ne Pharao Dei populum gravius vexaret, aut Moyſen ipſum occidendo ejus liberationem impediret. Adde Moyſen non timore, nec *veritum animoſitatem Regis*, ut ait Apoſtolus Hebr. 11., ſed liberationis ſpe aufugiſſe. Ad II. Vid. Prob. ex Act. Ap. 7., quam reſponſionem uſurpat etiam S. P. poſt verba in argum. producta. Nec potuit Moyſes Ægyptii cauſſam expendere, ob graves temporis circumſtantias. Tandem *percuſſio* Ægyptii mortem Hebræo illatam ſignificat, quam Moyſes idcirco morte multavit. Utrobique enim habetur verbum נכה *nicha cædem ferre*. Ad III. R. Diabolum falſo Moyſen accuſaſſe: cui proinde reſtitit Michael. Probabilius eſt tamen contendiſſe diabolum, ne Moyſes tumularetur in Moab contra Phegor, ne idoli cultus aboleretur, vel forte in loco notiſſimo tumulandum curavit, ut populus illi cultum exhiberet. Ad IV. R. Non opus eſſe fabulis Rabbinorum, ut Moyſen ab homicidio excuſemus.

PROPOSITIO IV. Moyſes non fuit Heliopolitanus, ſed Judæus, nec fuit lepra infectus.

Prob. I. pars. Exod. 2. ejus pater dicitur *de domo Levi*, eumque uxorem accepiſſe *ſtirpis ſuæ*; ergo &c. Idem teſtantur Lyſimachus, Tacitus &c. Neque credibile eſt, elegantem puerum flumini expoſitum, niſi fuiſſet ex inviſa Ægyptiis gente Judæorum.

dæorum. Fallitur ergo Appion, qui Moyſen vocat Heliopolitanum.

Prob. II. pars contra Tacitum, & Ptolomæum Lev. 13. ubi ſtatuitur, ut leproſi a ſacerdotibus judicentur, ut ferant caput nudum, diſſutam veſtem, os panno conteċtum; ergo non fuit hoc vitio contaminatus dux, & populus, præſertim cum tali morbo, ut plurimum afficerentur iniqui, ut ſacra narrat hiſtoria; ergo &c. II. Tacitum, & Lyſimachum mendaces eſſe ex eo conſtat, quod narrent, Judæorum multitudine in mare demerſa, perpaucos in deſerta loca dejectos: quomodo ergo tot bella gerere, & Chananæam expugnare potuiſſent? Addunt, conditam a Judæis urbem, ab iiſdem *Jeroſylam*, ideſt *ſacrilegam* appellatam. Sed quis propriæ urbi tam fœdum nomen imponeret? *Protulit* quidem Moyſes *de ſinu manum leproſam inſtar nivis*, ſed eandem extemplo retulit ſimilem carni reliquæ, quod magnum prodigium Eccleſiæ & Synagogæ typus fuit, teſte Aug. ſer. 86.

Propositio V. Immerito Catholicos calumniantur Hæretici, quod cornutam faciem Moyſi tribuant.

Prob. Contendunt enim Novatores, ineptam eſſe vulgatæ lectionem, quæ Exod. 34. de Moyſe ait: *Ignorabat quod cornuta eſſet facies ſua.* Ejuſque auctorem deceptum in hebraica voce *Cheren.* Addunt Xiſtum, & Clementem in novis bibliis vulgi conſuetudinem probaſſe pingendi Moyſem cum radiis inſtar cornuum, eamque ex vulgata prodiiſſe opinatur Glaſſius, aliique, ſed hæc ineptiſſima ſunt; ergo &c. Prob. min. I. Enim *Cheren* proprie ſignificare cornu, & radios ita hebraice appellari, quod inſtar flammulæ in pyramidem aſſurgant, ut cornua; conſtat ex hebræis bibliis, Joſ. 6. Deut. 33. Pſ. 69. &c. ergo ea verba, *quod promicuiſſet cutis faciei ſuæ*, optime reddit vulgata, *quod cornuta eſſet.* II. Licet *Cherub* ſignificet etiam *regnum, furorem* &c. retinent tamen hæretici in ſuis verſionibus

bus *cornu*, quia *regnum*, *poteſtas*, & *pars eminentior cheren* dicitur, ducta metaphora a cornu; ergo retinere etiam debent τὸ *cornuta eſſet*, licet ſignificet *ſplendorem faciei*, quia ſplendor, ducta a cornu metaphora, dicitur *cheren*. III. Ipſi Hæretici ex Glaſſio metaphoram agnoſcunt; ergo debet ibi propria vox retineri, alias variatur ſtylus, nec verſio habetur, ſed paraphraſis. IV. Etiam Aquila habet, κεϱατώδης, *cornuta eſſet*, & Hieronymus in 6. Amos ait: *In Exodo juxta hebraicam & Aquil editionem legimus, quia cornuta eſſet* &c. ergo &c.

II. Non ignorant Catholici, his verbis ſignificari ſplendorem vultus, & cornua Moyſis Metaphorice ſumi: ut patet ex gloſſa, Lippomano, a Lapide &c., ex quibus nemo eſt adeo ſimplex, qui putet cornua Moyſi erupiſſe. Nec diffitetur Amama, recte hunc locum expoſuiſſe Eugubinum, Cajetanum, Xiſtum Sen. Bellarminum, & D. Thomam; ergo &c. III. Proferunt Schikardus, & Seldenus nummum vetuſtiſſimum Moſis auribus tenus cornuti, cum inſcriptione משה, *Moſes*, in poſtica autem: *non habebis Deos alienos coram me.* Notarunt etiam, in lamina æris cornua haberi arietina. Incertum eſt autem, an a Judæis hi nummi ſint cuſi: ſed vetuſtos eſſe, nemo negat. Non ergo ex imperitia *Pontificiorum* interpretum, ut hæretici criminantur, neque ex corrupta vulgatæ lectione, ſed ex priſca conſuetudine Moyſes cornuta facie pingitur in ſignum poteſtatis, & gloriæ.

Propositio VI. Non fuit Moyſes primus literarum inventor.

Prob. I. Act. 7. habetur, Moyſen *fuiſſe eruditum in omni ſapientia Ægyptiorum;* ergo erant ſcientiæ ante Moyſen. Hinc Joſ. 1. An ſcribit, Ab Abrahamo, & Chaldæis Arithmeticam, & Aſtrologiam in Ægyptum perveniſſe: & ante hos ab Aſſyriis cultas has ſcientias, ſcribit Proclus in Ti-

mæo. Narrat etiam Simplicius, Aſtronomicas obſervationes a Babylonia a Calliſthene miſſas fuiſſe an. 1093. nempe ann. 200. ante Abraham. Adde aſtrorum curſus duabus columnis ab antediluvianis inſculptos eſſe, ex Joſ. 1. Ant. 3. Prob. II. Nam in ep. Judæ v. 14. habetur: *Prophetavit autem & de his ſeptimus ad Adam Henoch*, cujus prophetia ib. exſcribitur. Unde Aug. l. 18. de C. D. nec non Tertullianus in l. de Habitu mul. Henochum quædam divina ſcripſiſſe non dubitant; ergo &c.

CAPUT VIII.

De præceptis decalogi, eorumque diſtributione, & interpretatione.

Decalogum, ut obſervat Philo, eſt juris univerſi ſummarium; ita dictum ob decem ſententias Domini, ac præſcriptiones rerum agendarum, quas duabus in tabulis taliter diſtributas fuiſſe opinatur S. P. ut prima tria ad Dei cultum ſpectantia una tabula; reliqua ſeptem ad proximi dilectionem altera tabula contineret. Quidam Judæi, poſt Joſephum, & Philonem in utraque tabula quinque præcepta locant, Hieronymus, aliique quatuor in prima, ſex in ſecunda. Sit ergo

Propositio. Probabilior eſt in decalogi partitione Auguſtini ſententia.

Prob. Probabilius eſt enim in una tabula extitiſſe, quæ ſpectant Dei cultum, in altera vero, quæ referuntur ad proximum. II. Præceptum de Diis alienis eſſe ordine primum, adeoque tria eſſe, non quatuor præcepta divini cultus. III. Nonum, ac decimum eſſe præcepta diverſa; ergo &c. Prob.I. pars. Matth. 22. & Marc. 12. duo tantum dicuntur præcepta legis. *Diliges Deum, & proximum*, atqui, ſi hoc dictum eſt ob diſtinctionem tabularum, cultus Dei in prima, amor proximi in ſecunda conſtituitur: ſi vero ut capita ceterorum hæc duo memorantur, probabilius eſt, non fuiſſe permixta,

quæ

quæ ad diverſa genera ſpectant: conveniunt proinde in hac partitione omnes Chriſtiani; ergo &c. Prob. 2. pars. Nam in verbis: *Ego ſum Dominus* &c. nullum eſt verbum imperativum; ergo eſt ibi præfatio quædam decalogi Dei majeſtatem, & benevolentiam denuntians; ergo mandatum, *non habebis Deos alienos* &c. eſt ordine primum. Hinc S. P. in tribus præceptis typum Trinitatis agnoſcit. Prob. 3. pars. I. Quia alias non eſſent decem præcepta, ſed novem. II. Quia repetito verbo *non concupiſces, non deſiderabis* videtur duplex ſententia diſtingui.

Inſt. Si præcepta multiplicentur relate ad numerum rerum, quas concupiſcimus, erunt infinita; ergo &c. R. neg. conſ. Nos enim præcepta diſtinguimus, non juxta numerum rerum &c. quæ appetuntur, ſed juxta bonorum genera, quæ concupiſcimus, quarum alia ſunt utilia, alia delectabilia; ergo &c.

Quæres: quinam ſit ordo præceptorum ſecundæ tabulæ, & an præceptum, *non mœchaberis*, ſit ſextum, an quintum? Præponitur enim præcepto *non occides* in vet. Græco codice, Marc. 10. Luc. 18. & Rom. 13. Ita etiam habetur apud Auguſtinum l. 3. contra ep. Pel. R. Præceptum, *non occides*, eſſe præponendum juxta vulgatam Exod. 20. ex Hebræo codice, ex Joſepho, Chryſoſtomo, aliiſque. Adde Lucam, & Matth. 19. Sed de partitione decalogi ſatis, ſequitur brevis ejuſdem expoſitio.

De primo decalogi præcepto, Non habebis Deos alienos; non facies tibi ſculptile &c.

NOT. I. Præmiſſa hac breviſſima, ſed vere divina præfatione. *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti*, qua Deus ineffabilem ſui majeſtatem demonſtrat nomine *Jehova*, & ſummam poteſtatem voce *Elohim*, recentiora beneficia commemorat, ut hebræorum animos ſibi devinciat. I. Præceptum ſtatuit his verbis: *Non habebis &c.*, quo præcepto prohibetur quilibet

cultus

cultus idolorum. Alieni vero dicuntur dii gentium, vel natura, si sint res creatæ, vel figmento, si sint opera manuum hominum. Quod latine legitur, *coram me*, habet Hebræus *super faciem meam*, & Græcus πλὴν ἐμοῦ, quod hanc vim habet: *Non habebis Deos alienos, sed tantum me*; recte ergo Theologi hoc præceptum exponunt non solum *negative*, prout cultum superstitiosum vetat idolis: sed etiam *positive*, prout Deo vero cultum exhibet religiosum.

Not. II. Pro sculptili habet Hebræus פסל *Phasal dolavit*, quo verbo non solum erectio simulacri, sed etiam quadrati, ac perpoliti lapidis positi ad religiosi cultus testimonium interdicitur. Nam in quadrato lapide Venerem, & usu stipitum, lignorum, & columnarum cultos Deos alios scribunt Pausanias, & Philo. Et Deut 16. ubi erectio statuæ vetatur, habetur græcæ στήλην; & Exod. 20. pro *sculptile* habetur Græce *idolum*, quod quamlibet imaginem designare putat H. Stephanus, Scapula &c. Classenius vero (a) inanis, ac fictæ rei similitudinem. Idem censent Vossius, Menochius, & Lirinus. Est ergo idolum simulacrum fictam exhibens divinitatem. Unde idololatria est translatio cultus, a creatore ad creaturam; ergo similitudines, non quæcumque ibi prohibentur, sed genus aliud idolorum. Cum enim sculptile significet statuam, prohibenda etiam erant reliqua idola, quæ aut conflantur, aut pinguntur; unde additur: *Neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo, & in terra, & in aquis.* Nam astra, aves, bruta, plantas, & pisces gentiles coluere. Sit ergo

Propositio. Ex I. Præcepto vetantur simulacra, & imagines ad adorandum, non omnes similitudines.

Prob. I. ex Aug. & D. Th. Ille enim his verbis: *Non*

(a) *De theol. gent. l. 1.*

Non facies tibi ſculptile &c. docet, prohiberi *colenda figmenta.* Is vero 3. p. q. 25. ait: *Non prohibetur illo præcepto facere quamcumque ſimilitudinem, ſed facere ad adorandum.* Prob. II. ratione. I. Verbis illis: *Non facies tibi ſculptile*, prohiberi quadratos lapides, columnas, & ſtipites in titulum divini honoris erectos, dictum eſt ſupra: atqui non prohibetur Judæis illa erigere, dummodo id non facerent ad extraneum cultum, ut fecerunt ad tumulos Jordanis filii Ruben & Gad; ergo nec iis vetatur habere imagines ac ſtatuas ſecluſa idololatria. II. Sculpti ſunt Cherubim in arca, boves in Mari æneo, leones in throno Salomonis; ergo &c.

Dices. Hæc Dei juſſu facta eſſe: nec fuiſſe rerum per ſe ſtantium figuras. R. Juſſum quidem Dei ibi adfuiſſe, at non diſpenſationem. Deinde conſtat, res etiam per ſe non ſtantes, imo & cylindrum, & ſculpturam omnem eſſe aliquando idolum; ſi ergo per ſe ſtantia vetantur, quia idolum eſſe poſſunt, poterunt etiam per ſe non ſtantia eadem ratione vetari. III. Oppoſita ſententia ſacræ hiſtoriæ repugnat. Nam 1. Reg. 19. legitur, Michol poſuiſſe ſtatuam hominis in lecto pro Davide; ergo in domo David viri ſancti erant ſimulacra. IV. Narrat Joſeph 15. Ant. Ariſtobolum & Mariamnem paſſos, ut pingerentur, & in Agrippæ palatio ſtatuas filiorum ejus fuiſſe locatas. V. Idem evincitur ex nummo Moyſis, de quo ſup. & ex alio apud Villalpandum cum imagine M. Antonii, & epigraphe hebraica, *Salomon Rex.* Inciſas imagines Judæorum nummis, conſentiunt docti omnes. Sicli a Judæis cuſi ante captivitatem, habent ex parte vas, ex alia virgam florentem. Matth. 22. numiſma profertur cum imagine Cæſaris, quod ſane non contrectaſſent Phariſæi rigidi legum obſervatores, ſi hoc Dei lege interdictum putaſſent. Aliunde ex hebraica inſcriptione ſatis conſtat, illud non fuiſſe monetam Romanam; ergo &c.

Opp. Joſephus l. 2. de Excid. Jeroſ. & l. 17. Ant. narrat,

narrat, Judæos, nec imagines Cæſaris, nec aquilam auream paſſos eſſe, ergo &c. Addit l. 8. Salomonem peccaſſe, cum bovum, aut leonum imagines mari æneo, ac throno inſculpſit; ergo &c. R. diſt. ant. Non paſſi ſunt Judæi illas imagines, quia ad cultum erant conſecratæ, conc. abſolute, neg. Ait enim ib. Joſephus: *Dedicaverat ingentem aquilam ex auro: lege autem vetitum eſt operam dare ſimulacris conſecrandis*; vetitæ ergo non erant imagines ad cultum non conſecratæ. Tales etiam fuiſſe Cæſaris imagines jure ſuſpicabantur Judæi, & quia Cæſares inter divos referebant Romani, & quia eas Pilatus clam, & velatas in Urbem intulerat. Reapſe alia ſigna, & militaria vexilla æquo animo paſſi ſunt; fallitur ergo Joſephus, dum ait, Salomonem peccaſſe, ob inſculptas bovum & leonum imagines: Deus enim omnia Salomonis opera ad templi ornatum probavit, non redarguit.

De altero Decalogi præcepto: Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.

Aſſumere nomen Dei eſt Deum, ut teſtem, & fidejuſſorem invocare, aut alia ratione Dei nomen proferre, quod ſi fiat reverenter, religioſum eſt, nec prohibetur: cavendum ergo eſt, ne aſſumatur in vanum, ideſt mendaciter. Vetantur proinde perjuria, ac falſa proferre obteſtatione divini nominis, item temere, & inconſulto jurare, ideſt ſine ratione & neceſſitate. Tres ſunt autem comites, ſeu conditiones liciti juramenti; nempe, ut fiant: *In veritate, judicio, & juſtitia* (a). Deeſt veritas, ſi juramentum mendaciter fiat, *judicium*, ſi fiat pro re levi, *juſtitia*, ſi pro re illicita. Aſſumitur in vanum Dei nomen, ſi illud aut ſacra irato ac polluto animo proferantur. Cenſet Joſephus l. 4. Ant., & Philo l. 3. de vita Moyſis, illicitum eſſe blaſphemare deos, quos colunt urbes gentium: alii

(a) *Jerem.* 4.

alii Judæi etiam ſimulacra, quod nomen Dei habeant, ex 22. Exod. *Diis non detrahes* Sed errant: nam Exod. 22. prohibetur, ne rectoribus & judicibus detrahatur, quos *elohim* ſeu *deos* vocat ſcriptura, quia judicium Domini proferunt. At dii gentium nil habent cum vero Deo affinitatis. Hinc Exod. 23. ſtatuitur: *Per nomen externorum deorum non jurabis.* Aſſumentes in vanum Dei nomen dicitur, eos Dominus non habere *inſontes*, ideſt de iis pœnam ſumere, & punire graviſſime.

De III. Decalogi præcepto: Memento, ut diem ſabbati ſanctifices.

Hoc præceptum partim morale, partim cæremoniale dicitur a D. Th. 1. 2. q. 122. *Morale, quod homo deputet aliquod tempus ad vacandum divinis, ſed in quantum determinatur ſpeciale tempus, in ſignum creationis mundi, eſt præceptum ceremoniale: unde ponitur inter præcepta decalogi, in quantum eſt præceptum morale, non vero in quantum eſt ceremoniale:* jure ergo potuit ab Apoſtolis in diem dominicum transferri cultus Deo debitus, ex vi hujus præcepti. Is enim, ex Auguſtino, eſt *primus dies ſæculi:* in ipſo creati ſunt angeli, reſurrexit Chriſtus, Spiritus S. ſuper Apoſtolos deſcendit &c. Lex ergo, quoad ſeptimæ diei determinationem temporalis eſt, impletiſque figuris, & abolita idololatria, in diem primum fuerat commutanda.

Ad feſti ſanctificationem abſtinendum eſt ab omni opere, quod a Dei cultu poſſit avertere, & præſertim a peccato, ut ait S. P. tr. 3. in Jo. *Omnis enim, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Abſtinendum eſt ergo feſtivis diebus a comeſſationibus, ebrietatibus, impudicitiis, aliiſque flagitiis. Tum ſanctis operibus inſiſtendum, ſupplicationibus, ſacrificiis, & verbi divini, & ſacramentorum ſuſceptioni. Quod innuitur ex verbis, *memento, ut ſanctifices.* Quod ſpectat ad abſtinentiam ab opere ſervili,

servili, summa est Judæorum superstitio. Censent enim, non exprimendam vestem madefactam, non venandum pulicem, non detrahendas clitellas asino &c., quam superstitionem redarguit Christus exemplo Davidis, qui esuriens panes *propositionis* comedit. Quæ ergo spectant ad humanæ vitæ necessitatem, ad templi ornatum, & pietatis officia non vetantur. Vetantur tamen die festo spectacula, choreæ, Bacchanalia &c. quæ per se amovent a Dei cultu.

De IV. Decalogi præcepto: Honora patrem, & matrem.

Hoc præceptum primum dicitur Eph. 6. ab Apostolo, & quia primum est in secunda tabula, ex Aug. Serm. de 10. Chord. c. 6. & quia primus est *in promissione*, ait ib. Apostolus, ob repromissam observantibus peculiarem benedictionem. Spectat autem ad secundam tabulam, *quia in divini honoris comparatione parentes debemus contemnere*, ut ait S. P. contra Adim. c. 6. eosque odio habere, ut ait Christus Luc. 14. hoc est minus diligere. *Qui amat patrem, & matrem, plus quam me, non est me dignus*, ait Christus Matth. 10. Hoc autem præceptum recte primum locum obtinet in secunda tabula, cum parentes sint quasi quædam Dei simulacra, ex catechismo Romano.

Honor parentum exigit sinceram animi benevolentiam, ac pietatem, qua non intuitu temporalium bonorum, sed ex ordine caritatis iis obsequium exhibeatur. Nec iis mortem, licet senio confectis, exoptent filii, aut de ea gaudeant, ob pingue patrimonium; sed ubi opus est solentur, & opem ferant. *Necessaria enim vitæ præsidia*, ait Tullius, *debentur his maxime*, & si justa præcipiant, obedientia. Sed licet patrifamilias peculiaris debeatur reverentia, matrem quoque honore prosequi, naturali, divinaque lege jubemur. Patrum nomine accipiendi sunt I. Genitores. II. Superiores,

riores, ac principes. III. Seniores ætate, non ſolum ex conſuetudine ſcripturarum, ſed etiam ex more omnium gentium. Hinc Romani, ex Tullio, Senatores vocabant, *Patres conſcriptos*. Promiſſio huic præcepto adnexa hæc eſt: *Ut ſis longævus ſuper terram.* Sicut enim Eccl. 3. *Benedictio patris firmat domos filiorum, ita meledictio matris eradicat fundamenta.* Cujus rei ſingulare extat exemplum in ſacris literis benedictionis in Jacob, & maledictionis in Chanaan. Verum Chriſtianis non vita corporis, aut terrena, ſed cæleſtia ſunt expetenda.

De V. Decalogi præcepto: Non occides, *Exod.* 20. *Deut.* 5. & *Matth.* 19. (1).

Licet occidi etiam de ſtirpibus, & plantis metaphorice dicatur, proprie tamen de hominibus dici-

 tur,

(1) Ibidem c. 26. 52. pœna talionis indicitur homicidis his verbis: *Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Huc ſpectat illud Gen. 4. v. 23. & 24. *Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum, in livorem meum: ſeptuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech vero ſeptuagies ſepties.* Ex quibus verbis putarunt nonnulli, a Lamecho Cainum ſenem, & Tubalcainum adoleſcentem fuiſſe necatos. Hanc tamen fabulam, quam cl. Mazochius, Spicileg. Bibl. ad Geneſ. 4. 23. & 24. viris graviſſimis placuiſſe miratur, Philoni, Joſepho, Onkeloſio, & antiquis ignotam fuiſſe ait, nec niſi ex ignoratione ἐπεξεργήσεως, qua una eademque ſententia bis inculcatur, ut hic: *Audite vocem meam, auſcultate ſermonem meum: virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in furorem meum*, profectam eſſe. Eamque figuram Theodoreto non latuiſſe, dum Interr. 4. in Geneſ. ait: *Non duos, ut quidam putaverunt, neque ipſum Cain, ut alii fabulati ſunt, ſed unum, & hunc juvenem.*

tur, maxime hoc loco, ubi vox רצח ratſa ſignificat *necem hominibus inferre;* fruſtra ergo ad beſtias, imo ad plantas, & ſegetes hoc præceptum extenditur a Manichæis. Nam Matth. 19. habetur: *Non homicidium facies, ut de hominibus intelligamus, quod dictum eſt non occides*, ait S. P. A. l. 1. de C. D. c. 201. Poteſt tamen aliquando homo licite occidi, & I., ſi accedat Dei juſſio, ut Abrahamo. II. Si pro Dei cultu, aut publica utilitate bella gerant, ut filii Iſrael contra Philiſtiim. III. Si

---

nem. Virum enim, inquit, occidi in vulnus meum, & adoleſcentulum in livorem meum, hoc eſt virum agentem juvenilem ætatem. Cenſet autem laud. Mazochius ib., cum interrogatione, verba illa legenda eſſe; atque illud כי *chi*, *quoniam* pro הכי *hachi*, *numquid* poſitam eſſe. „ Fortaſſis „ enim digamia tunc temporis magnam Lame- „ cho conflarat invidiam, „ itaut ejus uxores ab „ ejus conſuetudine ab- „ horrerent, quibus ille, „ *Numquid*, inquit, *occidi* „ *virum &c.?* quaſi di- „ ceret, numquid ſacer „ & inteſtabilis ſum? „ Profecto ſi in Caini fra- „ tricidæ inter ſectores „ Deus pœnam ſeptuplo „ graviorem ſtatuit, „ quanto magis ulciſce- „ tur eos, qui tantum ob „ digamiam intulerint „ mihi manus? Ac ſatis „ ſcio Arabem interpre- „ tem, & Rabbinos non- „ nullos hæc cum inter- „ rogatione legiſſe: On- „ chelofium autem nega- „ tionem addidiſſe, quæ „ tantumdem ac interro- „ gatio valet. Poſtremo „ verba illa, *in vulnus* „ *meum, & in livorem* „ *meum* idem valent *quod* „ *vulnus in caput meum* „ *recidet*, uti dicitur, Matt. „ 25. 52. *Omnes qui acce-* „ *perint gladium &c.* Hæc Mazochius. Ex quibus ſatis ſuperque conſtat; homicidium nedum a lege Moſaica, & Evangelica, ſed etiam a naturæ lege capitali pœna fuiſſe interdictum.

Si persona publica juste puniat sceleſtos, ut David Amalecitam. IV. Si fiat impulſu Spiritus S., ut fecit Sampſon. Peccant tamen graviſſime, qui hominem quomodocumque occidunt, ſed injuſte, ut cum David Uriam occidit. Item, qui ſibi necem inferunt, ad duellum provocant, aut abortus procurant. Vetamur etiam nimis iraſci, de fratrum infortunio lætari, maledictis aut contumeliis laceſſere, maxime irato animo. Nam zelo caritatis Chriſtus etiam diſcipulos ſuos *ſtultos* dixit, & *tardos corde*, Petrum *Satanam &c.* Paulus quoque Galatas *inſenſatos* appellat: nam ex Soſiphane, *cum jus, & æquum poſcit, iraſci licet.*

De VI. Decalogi præcepto: Non mœchaberis. *Exod.* 20. 14.

Hebræus נאף *nahaph* ex Deut. 22. ſignificat *cum aliena uxore coire.* Idem ſignificat Græcum μοιχεύειν, unde latinum *mœchari.* Promiſcue tamen hæc omnia pro quovis illicito concubitu uſurpantur. *Nahaph* enim ex Aben-Ezra & Grotio, impudicum omnem amplexum ſignificat. Unde in Arabica Valt. habetur: *Non forniceris.* Mœchiam etiam ſtuprum Græci vocant, & *Mechalidem* mulierem omnem, quæ ſe proſtituit. Male ergo nonnulli opinantur, ſexto præcepto ſolum prohiberi adulterium. Vetatur enim etiam inceſtus, ſtuprum, fornicatio, & quivis actus illicitæ oblectationis. Inceſtum vetat Moyſes hac phraſi: *Turpitudinem non revelabis*, ad deſignandam ſpecialem ejus nequitiam. Stuprum vero eſt vitium virgini illatum, quod gravius eſt fornicatione, maxime in ingenuis, honeſtiſque puellis. Hinc Romanæ leges permittentes ſcortationem capitali pœna plectebant vitiantes Romanam civem: Atticam vero ducere tenebantur. Simplicem fornicationem quidam excuſant non attendentes ad illud Apoſtoli 1. Cor. 9. *Neque fornicarii, neque adulteri &c. regnum Dei poſſidebunt.* Male audiebant meretrices

etiam penes ethnicos, a quibus *lupæ*, & *ſubmeniatæ* dictæ ſunt, ideſt ejectæ extra mœnia. Prohibentur etiam hoc præcepto inhoneſta quæque, vel motu corporis, aut verbo, ſcripto, nutuque fiant. Item oculorum ac ſenſuum licentia, & ipſa deſideria nociva.

De VII. VIII., IX., ac X. decalogi præceptis.

Furtum vetat VII. præceptum Exod. 20. Eſt autem furtum, cum res aliena ſurripitur invito domino. Quod ſi per vim fiat, *rapina* dicitur, & prohibetur naturæ lege: lædit enim humanam ſocietatem, & rempublicam, cujus recta conſtitutio poſcit, ut quiſque habeat quod ſuum eſt. Inter furta graviſſimum eſt *plagium*, quo liber homo venditur, aut emitur. Poſt vitam enim ſummum bonum eſt libertas. *Peculatus* eſt publicæ pecuniæ raptus. Furtum vero rei ſacræ *ſacrilegium* nominatur. Præter latrones & piratas, fures etiam ſunt fraudatores vectigalium, fœneratores, qui appetunt aut promovent annonæ caritatem, & divites, qui de ſuperfluis eleemoſynas non largiuntur, ideſt præter vitæ ſuæ neceſſitatem, & honeſtam conditionem. Non enim in ſuperfluo attendi debet ambitio, luxus &c. quibus deeſſe multa poſſunt, non ſupereſſe.

VIII. Præceptum linguam coercet; habetur enim ib. v. 16. *Non loqueris falſum teſtimonium.* Cumque hoſtis etiam ſit proximus noſter, ex Matth. 5. vetitum eſt etiam hoſti falſum crimen imponere. Nefas eſt etiam judici præſcripta juris formula interroganti veritatem occultare. Vetatur etiam hoc præcepto perjurium. Item mentiri, detrahere, & temere de aliorum moribus judicium ferre. De IX. ac X. præcepto dictum ſupra: iiſque inhibetur cupiditas cum rei, tum conjugis alienæ, quarum ſexto, ac ſeptimo præcepto interdicitur contrectatio.

CAPUT

CAPUT IX.

De ſecundariis præceptis, ritibuſque legis Moſaicæ.

CIRCA legalia errarunt Manichæi, & Gentiles, qui ea irridebant, & Judæi, qui ea nimis extollebant. Contra quos ſit

PROPOSITIO. Secundaria Judæorum præcepta recte ſunt inſtituta.

Prob. I. Ex ciborum, ac animalium delectu Lev. 11. Qua lege proviſum eſt, ne Judæi communes haberent cum ethnicis epulas, eorumque mores paulatim exuerent. Conviviis namque junguntur fœdera, & ſcita moreſque exterorum comparantur. Deinde, cum Ægyptii quibuſdam animalibus divinitatem tribuerent, aliis uterentur ad auguria captanda, Judæi iis tamquam immundis abſtinere juſſi ſunt. Sic a Suilla carne abſtinebant, quia porcus magis, quam aliud animal idolis immolabatur, ex Athenæo, qui ait, a ſue Veneri immolata hujus feſtum *Hyſteria* appellatum. Hinc Varro l. 2. de Re ruſt. ſus dictum putat a θύειν quod eſt immolare. Joſeph etiam refert, Antiochum capta Jeroſolyma ingentem porcum ſacrificaſſe. A Romanis etiam inter puras victimas porculos habitos eſſe teſtatur Gutherius, eaque hoſtia initiatos & expiatos, Meurſius, Sigonius, & Lorinus oſtendunt. Unde a veteribus latinis porci ſacres dicebantur. Tandem in immundis animalibus præfigurata hominum vitia, PP. & interpretes docent. In Milvo nempe, aquila, aliiſque rapacibus avibus fœneratorum avaritiam. In animali non ruminante, carnalem hominem, qui non ruminat, *nec percipit, quæ ſunt ſpiritus Dei.* In porco luxurioſum. Unde חזיר *Chazir* dictus eſt, quod luto convolvitur. Vid. Clem. Alex. 3. Ped., Aug. contra Adim. 15. & l. 6. contra Fauſt.

Prob. II. ex Paſchate Judæorum, quod contra Ægyptiorum idololatriam eſt inſtitutum. Exodi enim 12. jubetur, ut *tollat unuſquiſque agnum per fami-*

familias. Et v. 5. dicitur: *Tolletis & hœdum*, atqui Ægyptii ab agno vel hœdo abſtinebant ex Theod. & Juvenali Sat. 5. *Lanatis animalibus abſtinet omnis menſa, nefas illic fœtum jugulare capellæ.* Et Tac. l. 5. ait, a Judæis *cæſum arietem in contumeliam Ammonis.* Præcipitur ib. ut agnus ſit maſculus, apud gentes enim plus valuiſſe fœmineas victimas Servius teſtatur, v. 6. jubetur ſervandum eſſe ad 14. menſis *Abib*, ideſt ad plenilunium vernum, qua die Ægyptii arieti ſacrificabant. V. 7. jubetur, poni ſanguinem ſuper *poſtes &c.* contra Ægyptios, qui hœdi cædem putabant mortiferam, cum eadem nocte idipſum a cæde Ægyptiis illata Judæos ſervaverit. Cautum ib. *Ne crudum quid, aut coctum aquæ* comederent, idque contra ethnicorum inſaniam, quorum alii crudas carnes cruento ore vorabant, alii hœdum in aqua & lacte elixabant. Nihil ex eo remanere debebat uſque mane, contra ſacerdotum idololatrarum avaritiam, qui *hoſtias vendunt*, iiſque *abutuntur* ad turpia, ex Baruch 6. Tandem præſcribitur azymus panis *cum lactucis agreſtibus*, ſive amaris: ad differentiam gentilium, qui ſolum fermentatum in ſacris adhibebant, ex Maim. l. 1. & ſuccis dulcibus ex uva, aut melle utebantur. Hinc Lev. 2. *Nec quidquam fermentati, aut mellis adolebitur.* Ex Ovidio enim Faſt. 3. *Mella a Baccho reperta*, eique grata ſunt. II. In Judæorum Paſchate præfiguratus eſt Chriſtus, quem ſub agni nomine, ac typo Iſaias prædixit c. 16. dicens: *Emitte agnum Domine dominatorem terræ*, & Baptiſta Jeſum indicans ait Jo. 1. *Ecce agnus Dei.* Et Iſ. 5. *Tamquam agnus coram tondente ſe obmuteſcet*, quæ de Chriſto exponit Philippus Act. 8. De eo etiam accipitur, Jo. 9. illud Exod. *Nec os illius confringetis.* Tandem cabbalæ liber ait: 15. *Niſan redimendus eſt Iſrael.*

Prob. III. De aliis ritibus, ac ſacrificiis Judaicis. In iis enim animalia immolabantur, quæ colebantur a gentibus, idque in eorum contemptum. Sic vitulæ rufæ ſacrificium Num. 19. in contumeliam

fiebat

fiebat Apidis, & Isidis Ægyptiorum ex D. Th. 1. 2. q. 102. Hinc populus apostata conflato vitulo in deserto, Exod. 32. Apim adoravit. Perperam ergo vitulum illum Jehovæ consecratum somniarunt hæretici. Vid. l. 1. c. 5. II. Hoc sacrificium typum Christi fuisse scribit Ap. Hebr. 9. Vitula enim educta extra castra Christum passum extra portam præfigurabat. Et sanguis ejus aspersus Christi sanguinem Patri pro nobis oblatum. Nam ædificato templo sanguis Vitulæ rufæ aspergebatur in monte Oliveti, in eo scilicet monte, ubi Christus passionem sanguineo sudore inchoavit. Idem dicendum de hirco *emissario*, quo ex Origene, Idololatriæ ablegatio, & diaboli ejectio præfigurabatur. Duo enim hirci statuendi erant ante Dominum, & missa sorte unus offerendus erat pro peccato, alter emittendus in solitudinem. Unde objiciebat Julianus, in lege Moysi oblata esse dæmonibus sacrificia Nam caper *emissarius* dicitur hebraice *sors Azazeli*, quem diabolum esse fatetur Origenes l. 6. contra Celsum, Spercerus etiam ait, diabolum dici *Azazelem*, quia est *fortis*, & *abiens*. Et Magi illum statuunt in dæmonum classe. Sed hæc opinio nefanda dicitur a Procopio & Cyrillo, & ipsa Levitici lectione rejicitur. Habet enim vulgata pro *Azazele Caprum emissarium* Græca *ablegatitium* עז *Az* enim Capri nomen est proprium אזל, *Azel* vero idem est ac *emissus*. Quid nostra autem si magi diabolo Hirci nomen imponunt? Nec Origeni repugno, si in *Azazele* ita diabolum intelligat, ut in *capro emissario* significetur expulsio Idololatriæ. In duobus autem hircis, quorum alter dimittebatur, Barabbam & Christum designatum aliqui volunt, alii prædestinatorum, ac reproborum sortem, alii Ecclesiam, & Synagogam. Ex quibus constat, legalia utilia fuisse, quia Idololatriam arcebant, nec perpetuo duratura, quia umbræ erant futurorum.

CAPUT X.

De abrogatione legalium, & quando ea cœperint esse mortifera.

NOT. I. Cum Christus sit finis legalium, quæ signa erant futurorum, quæritur: an lex Moysis Christo moriente fuerit abrogata? Quod dupliciter accipitur, nempe, an legalia ex tunc *mortua* fuerint, sive desierint necessaria esse ad salutem, an exinde fuerint *mortifera*, seu noxia ad salutem. Ac primum affirmant communiter theologi, licet Scotus circumcisionem in institutione Baptismi censeat paulo post fuisse abrogatam; secundum vero difficilius est, & Hieronymi, ac Augustini diu exercuit ingenia. Putabat enim Hieronymus, legalia esse mortifera, sed cum nosset, Paulum quædam legalia servasse, in secundum ep. ad Gal. ait, utilem aliquando esse simulationem, eaque usum Apostolum, ut quæ nocebant eis, qui ex gentibus crediderant, correptionis hypocrisi emendarentur. Sic Petrum se gessisse cogendo gentes judaizare, nec eum ex animo, sed opportuna simulatione reprehensum, quæ sunt eadem ferme verba Hieronymi. His lectis S. P. scripsit ann. 395. ad Hieronymum epistolam 8. nunc 28. in qua ait, dolere se a Hieronymo, tali viro, patrocinium susceptum esse mendacii. Quod tanta humilitate præstitit S. P. ut sub finem epistolæ scripserit, se non bonum judicem futurum, sed aut timidiorem recto, aut cupidiorem; adeoque malle se veritatem audire a melioribus. Cumque hæc epistola reddita non esset, aliam scripsit S. P. circa an. 397. ubi Hieronyminianam simulationem rursus explosit, eumque ad palinodiam canendam hortatus est.

Hieronymus hac epistola accepta breviter respondit, optare se, ut Aug. aperte scriberet. Addit, unumquemque in suo sensu abundare, & puerilem esse jactantiam accusando illustres viros nomini suo famam quærere. Subdit: *Memento Daretis, & Entelli,*

telli, & vulgaris proverbii, quod Bos laſſus fortius figat pedem. Addidit Hieronymus epiſtolam 14. in qua poſcit, ut Auguſtinus epiſtolam mitteret ſua manu ſubſcriptam, aut deſineret ſenem in cellula latitantem laceſſere. Se vero quondam militem jam veteranum, debere aliorum laudare victorias, non effæto corpore dimicare. Huic epiſtolæ alia humillima reſpondit S. P. in qua ait, ſe agnoſcere peccatum ſuum, quod prior literis læſerit virum ſanctiſſimum, rogatque, ut ſibi dimittat, nec viciſſim lædendo malum pro malo reddat: addit, ſe non timere ſalubria verba, ut Entellus, qui cædebatur non ſanabatur, aliaque plura, quibus Hieronymi ſententias placide excipiens, earum frangit aculeos. His officiis captus Hieronymus circa ann. 404. reſpondit epiſtola 75., in qua fatetur, ſe Origenis commentaria ſecutum, & ſcripta ſua lectoris arbitrio relinquere. Ipſe tamen priori ſententiæ adhuc hæret: iiſdemque argumentis ep. ad Gal. diligentius pertractatis docet, ſimulationem Apoſtolorum non officioſum mendacium fuiſſe, ſed honeſtam diſpenſationem. At S. P. his argumentis reſpondet ep. 19. in qua Petrum a Paulo jure reprehenſum eſſe demonſtrat: Paulum vero, non ſimulate legis ceremonias ſervaſſe, quaſi putaret iis ſalutem conferri, ut Ebionitæ, ſed ne crederetur antiqua ſacramenta abjicere, velut profana.

Not. II. Ex Aug. tria diſtingui tempora I. ante Chriſti mortem, in quo legalia erant ſalubria. II. Statim poſt Chriſti mortem, ante Evangelii promulgationem, in quo non erant amplius ſalubria, nec ad ea cogi quis poterat, licebat tamen ea retinere, ut cum honore ſepelirentur. Adeoque reprehenſibilem fuiſſe Petrum, qui gentes cogebat judaizare, laudabilem Paulum, qui cum Judæis legalia ſine ſimulatione ſervavit. III. Cum lege ſepulta, promulgatoque Evangelio mortiferus fuit uſus legalium. His notatis ſit

Propositio I. Lex vetus folum in morte Chrifti, quoad ceremonialia præcepta defiit obligare.

Prob. I. Ex Ap. Hebr. 7. ubi habetur: *Translato facerdotio* (Levitico in aliud fecundum ordinem Melchifedech) *neceffe eft, ut etiam legis translatio fiat*, atqui facerdotium Leviticum confummatum non eft, nifi quando Chriftus fe ipfum obtulit in ara Crucis, ex Apoft. ibidem c. 5. 7. 8. 9. ergo tunc fuit lex abrogata. II. Apoft. c. 9. ait: *Nondum propalatam effe fanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente ftatum*, fed Chriftus propalavit fanctorum viam *per proprium fanguinem*; ergo &c. III. Chriftus factus eft novi teftamenti mediator morte intercedente ibid. ergo vetus ufque ad hanc mortem perduravit. *Ubi enim teftamentum eft, mors neceffe eft intercedat teftatoris.*

Prob. II. Matth. 27. habetur: *Velum templi fciffum eft in duas partes.* Et Joan. 19. *Confummatum eft*; ergo in Chrifti morte legis velamen difciffum eft, apertus eft aditus ad fecretiora myfteria, jugum fervitutis excuffum, & omnia de Chrifto prædicta completa funt.

Dices. Baptifmus triennio ante Chrifti mortem inftitutus circumcifionem eliminavit; ergo &c. Prob. ant. Nam Luc. 16. habetur: *Lex & prophetæ ufque ad Joannem*; ergo &c. ℟. neg. ant. Nam dato etiam, baptifmum ante Chrifti mortem fuiffe inftitutum, qua de re non una eft Patrum, & Doctorum fententia, non potuit tamen ante apoftolicam promulgationem obligare. Non enim ante mortem teftatoris novæ hæreditatis jura fubfiftunt. Ad prob. dift. ant. *Ufque ad Joannem* inclufive, conc. exclufive, neg. Lucæ ergo fenfus eft, aut Joannem ultimum fuiffe eorum, a quibus Chriftus in lege fuit prænunciatus, aut etiam Joannis tempore legem ftetiffe. Vide auctorem, qui tertiam addit expofitionem.

Propositio II. Legalia non ftatim a Chrifti morte fuere mortifera.

Prob

Prob. I. Scripturis. Act. 16. Paulus circumcidit Timotheum, ſe totondit in Cencris, & ſe purificavit more Judæorum ex c. 16. & 18. Petrus decennio a Chriſti morte ait: *Numquam manducavi commune, & immundum.* Act. 10. ergo adhuc legem ſervabat. Act. 15. Sancitum eſt, ut fideles in poſterum abſtinerent *ab immolatis, & ſanguine, & ſuffocato*, & nil ultra vetuſti oneris fidelibus imponeretur; ergo ad ea uſque tempora Apoſtoli legalia permiſerant. Ita facile difficultates enodantur, quæ in Act. Ap. occurrunt, Paulus enim circumcidit Timotheum mulieris Judææ filium, & inter Judæos verſaturum, ut oſtenderet, ſe circumciſionem non aſpernari. Vetuit circumcidi Titum, ne evangelicæ veritati faceret præjudicium: ſicque oſtendit legis ritus nec noxios eſſe, nec neceſſarios. Prob. II. ex Concilio Florentino, quod cum declaraſſet, legalia in Chriſti morte ceſſaſſe, ait: *Uſque ad promulgatum Evangelium illa potuiſſe ſervari, dum tamen minime ad ſalutem neceſſaria crederentur;* ergo &c. Prob. III. ex ratione Auguſtini. Nam lex Moſaica, *ſicut defuncta corpora, neceſſariorum officiis deducenda erat quoddammodo ad ſepulturam, nec ſimulate, ſed religioſe, non autem continuo projicienda.*

Ob. I. Ap. ad Gal. 2. ait: *Sed neque Titus compulſus eſt circumcidi;* ergo hoc vetitum erat. ℞. neg. conſ. Non enim permiſiſſet Apoſtolus circumcidi Timotheum, in eo faciens, quod vetitum putabat; ergo Titum non circumcidit, propter *ſuperinductos falſos fratres*, qui legalium jugo curabant *fideles in ſervitutem redigere.* Sed circumcidit Timotheum, *ne videretur deteſtari circumciſionem, ſicuti idololatriam; cum illam Deus præceperit, hanc Satanas perſuaſerit.* Ita S. P. ep. 82. Vide notas huius Cap.

Ob. II. Ap. ibidem c. 5. ait: *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit;* ergo &c. ℞. diſt. ant. Si circumcidamini, ut ſalvi ſitis, conc. in Dei honorem

norem, & ne aliis ſitis occaſio ſcandali, nego. Ap. ergo *illos arguit, qui ſe juſtificari in lege credebant*; ait S. P. ibidem, *non qui legitima illa in ejus honorem, a quo mandata ſunt, obſervabant, alias decepit Paulus Timotheum, & fecit ei nihil prodeſſe Chriſtum.*

Ob. III. Legalia erant ſigna futurorum, quæ in Chriſti morte completa ſunt; ergo poſt illam facta ſunt ſigna mendacia, adeoque noxia ad ſalutem. ℟. diſt. conſ. Facta ſunt ſigna mendacia & noxia ei, qui illis uteretur tamquam ſignis ad ſalutem neceſſariis, conc. tamquam ſignis legis mortuæ, & cum honore ſepeliendæ, neg. Hoc ſenſu ait ib. S. P. legalia *paullulum permittenda eis maxime, qui ex illo populo, cui data ſunt, venerant; poſtea vero, tamquam cum honore ſepulta, a Chriſtianis omnibus irreparabiliter deſerenda.*

Ob. IV. Hæc ſententia inſtaurat hæreſim Cerinthi, & Ebionis; ergo rejicienda eſt. ℟. neg. ant. Illi enim legalia ad ſalutem neceſſaria aſſerebant, & cum Evangelio retinenda.

Ob. V. Legalium obſervatio, aut bona erat, vel mala, ſed ex dictis non erat bona, nec ſalubris; ergo mala. ℟. I. Legalium obſervantiam ex variis circumſtantiis, & bonam fuiſſe, & malam. Bonam iis, qui non eam execrabantur, ut ſuperſtitioſam & noxiam, licet crederent non eſſe fidelibus imponendam; malam vero illis, qui jugum legis fidelibus imponebant, quaſi adhuc foret neceſſaria ad ſalutem. ℟. II. diſt. min. Non erat ſalubris, ideſt non neceſſaria ad ſalutem, conc. ideſt non religioſa, nec pia, neg. Sicut enim defunctorum corpora pie deferuntur ad tumulum; ita pie lex vetus cum honore erat ſepelienda. Qui ergo eam etiamnum ſervaret, non eſſet pius deductor cadaveris, ſed impius ſepulcri violator.

Propositio III. Apoſtoli non ſimulate legalia ſervarunt, & Paulus Cephæ ex animo reſtitit.

Prob. I. Nam ſi ea ſervare licuit, cur Apoſtoli ſimularunt? Id enim eos feciſſe ait Hieron. credens legalia

legalia esse illicita: si non licuit; ergo a Ss. viris nec simulate usurpari debuere, cum id culpa non vacet. Alias nunc etiam liceret ad lucrandos Judæos cum iis judaizare, quod impium est. Nam *si propterea* (ait S. P. ep. 40. ad Hier.) *illa sacramenta celebravit*, Paulus, *quia simulavit se Judæum, ut illos lucrifaceret, cur non etiam sacrificavit cum gentibus, ut eos quoque lucrifaceret?* ergo &c. Prob. II. Act. 21. habetur, Jacobum Paulo narrasse, plura Judæorum millia de ipso Paulo audiisse eum docere: *Non debere eos circumcidere filios suos, nec secundum consuetudinem ingredi. Nunc ergo*, ait Iacobus, *sanctifica te cum illis, & impende in illis, ut radant capita, & scient omnes, quia ambulas & ipse custodiens legem*, sed ex his evincitur sincere ab Apostolis legalia servata; ergo &c. Prob. min. Ex Aug. ep. 82. ad Hieron. ubi ait: *Nam si revera ea* (legalia *reprobaret*, Paulus, *& ideo celebranda susciperet, ut actione simulata, suam posset occultare sententiam, non ei diceret Apostolus: & scient omnes, sed putabunt omnes, quoniam quæ de te audierunt falsa sunt; præsertim quia Apostoli decreverant, ne quisquam tunc Judæos judaizare prohiberet, quamvis etiam ipsos doctrina Christiana non cogeret;* ergo &c.

Prob. III. Ap. ad Gal. 1. ait: *Quæ scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.* Sed si Apostolus ficte restitisset Petro, mendax esset; ergo &c. ℟. Baronius ad an. 51. non repugnat, Paulum vera scribere, & quæ narrat simulate fuisse peracta. Sed contra. Apostolus non solum scribit, se Cephæ restitisse, sed etiam, quod *reprehensibilis erat*, quod non *recte ambularet ad veritatem Evangelii*, & quod *cogebat judaizare.* Petrus enim aut bene se gessit, aut male; si primum; ergo non jure reprehensus est; si secundum; ergo Paulus mentitus est scribens, illum non recte ambulasse. Hinc S. P. ep. 40. ait: *Si recte illi ingrediebantur, iste mentitus est: si autem ibi mentitus est, ubi verum dixit?* Nec dicas, id Paulum scripsisse, *ut animos tumultuantium* delini-

ret,

ret, & Galatas removeret a servitute legalium; idipsum enim dici posset de nuptiis, quas quidam vetabant: Apostolum nempe eas commendasse *propter eos, qui dilectione conjugum tumultuari poterant fuisse mentitum.* Ita S. P. epist. 28. num. 4.

Prob. IV. ratione. Nam simulatio, & mendacium etiam officiosum est intrinsece malum, & cum veritate pugnat suapte natura; ergo illicitum est. Haud recte ergo D. Hieronymus simulationem Pauli honestam dispensationem, non officiosum mendacium appellat. Nam, si recte Petrus ad veritatem Evangelii ingressus est, mentitur Paulus scribens, *non recte ambulasse, non enim addito dispensationis nomine fieri potest, ut mendacium non sit mendacium*, ait S. P. ep. 82. II. Simulatio, & mendacium officiosum, ut ut alibi, certe in caussa religionis, qualis erat illa, de qua quæstio est, omnium consensu prohibetur, I. quia tunc esset falsæ religionis approbatio, & negatio fidei. II. quia scandalum præbuisset fidelibus, & occasionem judaizandi, unde Eleazarus renuit fingere se suillam comedisse, ne *multi*, inquit, *propter meam simulationem decipiantur.* Adde septem fratrum Machab. & Ss. martyrum exempla, qui huic simulationi mortem prætulerunt.

Ob. I. Ad Gal. c. 2. ait Apostolus, se Petro *in faciem restitisse*, sed τὸ *in faciem*, idem est, ac apparenter & simulate; ergo &c. ℟. neg. min. Nam I. ex Græca, Æthiopica, ac Syriaca lectione τὸ *in faciem* redditur, *palam*, *coram omnibus*, *in faciem ipsius.* II. Apostolus c. 5. ait: *Dixi Cephæ coram omnibus.* III. Caussam reddit: *Quia*, inquit, *reprehensibilis erat;* ergo &c.

Dices: 2. Cor. 5. τὸ *in facie* idem valet ac non in corde; ergo idem valet ad Galat. 2. ℟. neg. cons. aliud est enim ἐν προσώπῳ *in facie*, aliud κατὰ πρόσωπον *in faciem*, hoc enim idem esse ac palam, & coram ostendit Erasmus ex PP. Græcis & Latinis.

nis. Deinde omnem ambiguitatem tollit illud, *coram omnibus* v. 14.

Ob. II. habetur in græco: *Quoniam reprehensus erat;* recte ergo Græci hunc locum reddunt, quod male de Petro judicabatur, licet reprehensibilis non esset. ℟. I. Auctor Comment. *Unde reprehensus? utique ab Evangelica veritate, cui hoc factum adversabatur,* ℟. II. Retinendam esse lectionem Vulgatæ, quam probant Arabica, Syriaca, Vatablus, aliique: etenim v. 14. ratio redditur, cur esset reprehensibilis, nempe, *quod non recte ambularet.* In Græco autem ideo legitur *reprehensus*, quia Apostolus juxta hebraicam phrasim sibi familiarem participia pro verbalibus usurpavit. Sic Hebr. 12. quod nos habemus, *ad tractabilem montem, & accessibilem ignem*, extat in græco *monti contrectato, ignique accenso.* Et v. 27. habet, *commota pro mobilia,*

Dices: opinio Augustini favet Porphyrio dicenti, Apostolum Petrum redarguere ausum, cum in eodem esset errore, & Novatoribus, qui Petri culpam objiciunt adversus Rom. Pontificis auctoritatem; ergo &c. ℟. neg. ant. Melius enim cum August. defenditur Petri, & Roman. Pontificis auctoritas, quam si dicamus, illum simulate reprehensum, tunc enim objicerent Rom. Ecclesiæ, Apostolos in caussa religionis fuisse mentitos, ac Petrum erraffe cogendo fideles ad ritus abrogatos, & mortiferos. At in Aug. sententia apparet *laus justæ libertatis in Paulo*, ut ait S. P. Ep. 82. *& sanctæ humilitatis in Petro.*

Ob. III. Paulus ipse legalia servavit; ergo &c. ℟. Petrum non esse reprehensum, quod legalibus uteretur, sed quod ad hoc gentes cogeret, unde suspicari poterant fideles, *sine illis veteribus sacramentis, salvos se esse non posse.* Vide Augustin. ep. 82.

Ob. IV. Apost. 1. Cor. 9. ait, *factus sum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrarer;* ergo simulavit. ℟. S. P. dist ant. factus sum *mentientis astu*, neg. *compatientis affectu*, conc. Si enim factus esset

Judæus,

Judæus, ſimulate legalia obſervando, factus quoque eſſet gentilis ſimulate idolis ſacrificando, ut ſupra dictum eſt.

Ob. V. Ad Gal. 2. habetur: *Et ſimulationi ejus conſenſerunt ceteri Judæi*, itaut & Barnabas *duceretur ab eis in illam ſimulationem*; ergo &c. ℟. Obſervantiam legalium non dici ſimulationem, quod non fieret ex animo, ſed quia gentes falſo per illam deducebantur, ut crederent, Judæos a gentibus ſegregari: unde Syrus pro *ſimulatione* habet *ſegregationem*.

Ob. VI. Græcorum PP. ac ipſius Hieronymi auctoritatem. ℟. S. P. I. ſe magis credere *Apoſtolo pro ſuis literis juranti, quam cuiquam doctiſſimo de alienis diſputanti*, II. ait, ex iis plures ab ipſo Hieronymo refelli, ut Laodicenus, Alexander, Didymus, & Origenes. III. Aliis opponit Cyprianum, & Ambroſium: adde Tertullianum, & Auguſtinum, quos Hieronymo opponimus, quem tamen palinodiam ceciniſſe in ep. 260. ad Oceanum expreſſe aſſerit S. P. A.

Ob. VII. Chriſtus ipſe factus eſt *in ſimilitudinem carnis peccati*; ergo &c. II. Luc. 24. *Finxit ſe longius ire.* III. Magdalenæ ſub hortulani ſpecie apparuit Jo. 20. IV. Joſue ad fallendos hoſtes habetur terga vertiſſe. V. Eliſeus Naaman Syro permiſit, ut ſimulate idolum Remmon adoraret. VI. Jehu ſe dixit potiorem cultorem Baal quam Achab, ut perderet idololatras. VII. Catholici etiam ſe Priſcillianiſtas, & Euſebius Vercellenſis ſe Arianum ſimulavit, ergo &c.

℞. ad I. diſt. ant. Factus eſt &c. *compatientis affectu*, conc. mentientis dolo, aut officio, ſe alium exhibendo, ut alios ſimulatione deciperet, neg. Ad II. ℞. I. neg. conſ. Primo enim, quæ referuntur ad ſignificandam aliquam veritatem, mendacia non ſunt, licet talia primo aſpectu videantur, non enim mentitus eſt Abraham, dum ait pueris, ſe reverſurum cum Iſaac, nec Jacob, cum ſub hœdinis pellibus

pellibus ait, se esse primogenitum Esau, cumque incarnationis mysterium uterque prædiceret. Ita in Christo non fuit simulatio mendacii, quia significabat, se quamprimum ab Apostolis discessurum. ℟. II. Tirinus nullam fuisse ibi simulationem, revera enim Christus longius erat profecturus, nisi illum discipuli retinuissent. ℟. III. Estius, Christum, ut in discipulis amorem excitaret, corporis gestum ita composuisse, quasi longius esset digressurus. Ad III. dist. ant. Apparuit sub specie hortulani, quasi ligonem, aut sarculum manu gerens, neg. quatenus Magdalena nondum conversa corde, ut Aug. ait ib. *quod non erat putavit*, conc. id enim non simulationem in Christo arguit, sed dubitationem mulieris.

Ad IV. ℟. neg. conf. Licet enim in bello terga vertere, obsidionem relinquere &c. quæ dicuntur stratagemmata militaria, non fallendi animo adhibita, sed vincendi. Ad V. retorq. arg. Naaman quippe non petiit, ut posset idolo Remmon cum simulatione cultum religiosum exhibere, sed tantum, ut si Domino idololatræ serviens, isto adorante, ipse quoque politico obsequio debito principi caput inclinaret, non cultu superstitioso, id sibi culpæ non daretur expetiit. Verum se Remmoni nullum cultum præstare aperte ostendit, nunquam sine principe idolium intrando, & vero Deo sacrificia offerendo super terram, quam in publicum suæ religionis signum asportaverat de terra Israel. Unde Elisæus ait: *vade in pace*, ejus fidem laudans, qui nec simulate vellet idolo genua flectere.

Ad VI. ℟. Jeu peccasse *mendacio impio, & sacrilego sacrificio*, licet delendo domum Achab, laudem aliquam promeruerit. Ad VII. ℟. I. Simulationem Priscillianistarum, eorumque qui cum iis fovebant consuetudinem, merito ab Augustino damnari. Ad Eusebium vero ℟. Nullam in facto Eusebii esse simulationem; is enim a Constantio accersitus ad subscriptionem fidei Arianæ, quam Dionysius firmaverat, respondit: *Non est discipulus supra ma-*

giſtrum, nec filius ſupra Patrem, non poſt filium ſubſcribam, quem præceſſi nomine. Licet ergo Ariani putarent, velle Euſebium fidem illorum probare, non tamen reapſe ſimulavit, quia Conſtantium non adiit niſi accerſitus, nec affirmavit, Filium eſſe Patri inæqualem, neve ſubſcriberet veram attulit cauſſam, erat enim vere Dionyſii magiſter, & Pater.

Quæres: cur Act. 15. Gentibus, quæ ad legalia cogi non poterant, impoſitum ſit, ut abſtinerent *ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione?* Ac de immolatis quidem, & fornicatione patet ratio, quod illa ſint quædam idololatriæ conteſtatio, hæc vero per ſe flagitioſa; at abſtinentia a ſanguine lex eſt Lev. 7. qua, ſi fideles obſtringi nequeunt, cur Apoſtoli eam ſervari jubent? ℟. Id jure ſancitum, non in gratiam Judæorum, ut legalia ſervarentur, ſed ut a Gentibus ſuperſtitiones & vitia, quæ cultum idolorum comitantur, penitus tollerentur, propter quod legalia ſunt inſtituta. Unde hoc decretum diu in Eccleſia ſervatum eſt, ut conſtat ex Syn. Trullana & Gangren. & a Græcis etiamnum ſervatur: quatuor enim ſunt, a quibus abſtinendum jubent Apoſtoli. I. Ab immolatis carnibus, quas ob idololatriam vetari conſtat ex 1. Corint. 10. II. Ab eſu ſanguinis, maxime victimarum, quod erat ſignum ſuperſtitionis ex Origene & Tertull. III. A *ſuffocato*, quod eſt animal dæmoni ſuffocatione immolatum. IV. A fornicatione, quæ præſertim viguit inter gentes, quæ ea de re lucos prope delubra plantabant, ibique ſtrata cubilia ſcribit Iſaias c. 57. Cum ergo ex Apoc. 2. ſtuderet diabolus his quatuor homines trahere ad idololatriam, conſulto ab iis abſtinendum juſſerunt Apoſtoli: non præſcribitur ergo eo decreto legalium obſervantia, ut quidam Scholaſtici ajunt, ſed vetita ſunt quatuor illa idololatriæ adminicula. Si ergo Tyrannus immolatitias carnes fideli proponeret, ſervanda adhuc eſſet ea lex exemplo Ss. 80. martyrum, de quibus Martyrol. R. die 2. Mart.

Mart. Ubi vero ſanguis & ſuffocatum nullam ingerit infidelitatis ſuſpicionem, iis veſci licet.

Quæres II. Quando legalia cœperint eſſe mortifera? R. Incertum eſſe: probabile eſt tamen id contigiſſe poſtquam promulgato ſufficienter Evangelio diuturniori diſpenſatione non opus erat. Nempe circa an. Ær. V. 70. poſt Chriſti mortem 41. quando Jeroſolyma per Titum ſolo æquata, una cum ruderibus Urbis legalia ſepulta ſunt.

CAPUT XI.

De Cepha, cui Paulus reſtitit: an ſit a Petro Apoſtolorum principe diverſus?

NON defuerunt ex veteribus, qui ut Petrum facilius ab errore vindicarent dixere, Cepham a Paulo reprehenſum, alium eſſe ab Apoſtolorum principe. Horum opinionem jam extinctam ab Harduino, ac Boyleau excitatam ſcribit Calmet diſſ. 1. in Ep. ad Gal. Verum ante illos eam propugnarunt Pinthus, & Cornera, contra quos cum Hieronymo, aliiſque PP. ſit

Propositio. Cephas, cui Paulus in faciem reſtitit, non fuit alius a Petro.

Prob. I. Conſtat enim, Petrum Cepham eſſe cognominatum ex Joan. 1. ubi Chriſtus ait: *Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Atqui huic Cephæ, non alteri reſtitit Paulus; ergo &c. Prob. min. ex Gal. 2. ubi Ap. ait: *Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes*, ubi Apoſtolorum princeps deſignatur ex nomine, & charactere, atque v. 9. addit: *Jacobus, Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ, ut nos in gentes, ipſi in circumciſionem*, ergo huic Cephæ reſtitit Paulus ex v. 11. ſeq. Atqui hic Cephas eſt Petrus Apoſtolorum princeps, I. quia de eo loqui Paulum conſtat ex v. præcedenti. II. quia tres illos columnas ap-

pellat, & Apoftolos circumcifionis; ergo hoc nomine Cephæ folum Petrum intelligit. Nec obftat, Cepham poft Jacobum memorari, nam, ut pluribus exemplis probat Calmet, in perfonis laudandis non fervatur ordo dignitatis. Alias, fi de Cepha non Apoftolo loquitur Paulus, cur illum præfert Joanni? Adde, in vet. mff. apud Grotium, Cepham præcedere Jacobum, & Joannem.

Prob. II. ex v. 11. & 14. ubi Vulgata, & Syriaca habent *Cephas*. Petrus enim Syriace *Cephas* dicitur; atqui Græci codices habent ib Πέτρος *Petrus*; ergo Petrus in hac epiftola non eft alius a Petro. Nullus enim Cephas fuit alius a Petro, aut ejus Paulus non meminit. Hinc Hieron. Comm. in Ep. ad Gal. ait: *Alterius nefcio cujus Cephæ nefcire nos nomen, nifi ejus, qui in Evangelio & Pauli Epiftolis modo Cephas, modo Petrus fcribitur. Non quod aliud fignificet Petrus, aliud Cephas, fed quod Petram Hebræi, & Syri Cepham nuncupent.* Nec Cephas, de quo Paulus, fuit Martialis Lemovicenfis Epifcopus, is enim non Cephas fimpliciter, fed Martialis Cephas dictus eft: nec venit in Gallias ante an. 254. ex Greg. Turon. l. 1. Hift. 10. Qui vero eum falfo referunt ad ævum Apoftolorum ajunt, in Gallias profectum anno a Chrifti morte 14. fed Paulus Cephæ reftitit an. 19. poft Chriftum paffum; ergo &c. Tandem fcribit Hieronymus loco cit. fenfum eorum, qui Cepham a Petro fecernunt, repugnare argumento Epiftolæ, quod oblique de Petro, Jacobo, & Joanne dicitur; ergo &c.

Ob. I. Clemens Alex. (*a*), Eufebius (*b*), Dorotheus (*c*), Chron. Alex. Oecumenius (*d*), aliique PP. Græci Cepham alium a Petro effe opinantur; ergo &c. R. neg. conf. Stant enim contra hos paucos PP. omnes, cum Græci, tum Latini, Tertullianus præfertim, Hieronymus, Aug., Ambrofia-

---

(a) *L.* 5. *Hypotyp.* (b) *L.* 1. *H. E.* 12.
(c) *In Synopfi.* (d) *Ep. ad Gal.*

brosiaster, Greg. M., S. Th., aliique, ex quibus Hieron. hanc quæstionem accurate tractavit; Gregorius vero ait, quod adversarii ista non dicerent, *si Pauli studiosius verba legissent.* R. II. libros Hypot. esse dubiæ auctoritatis, nec certo tribui Clementi (præter Calmetum & Boyleau) asserit etiam Photius Cod. 109. ubi non solum plura errata recenset, sed ait etiam: *Sive ipse, sive quis alius ejus personam indutus.* R. III. Libros illos vere a Clemente esse exaratos, cum sub ejus nomine ab Eusebio laudentur, sed aliena manu plures iis fabulas assutas esse, Eusebius vero sententiam narrat, nec rejicit, nec probat. Ab Oecum. autem dicitur *probabilis sermo.*

Ob. II. Ap. 1. Cor. 1. ait: *Quisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego vero Cephæ, ego autem Christi*: ergo Cephas, qui judaizando schisma etiam Corinthi conflavit, est alius a Petro. Idem ib. c. 15. ait, Christum *visum esse Cephæ, & post hoc undecim*, sed Luc. 24. ait apparuisse 11. postea Simoni; ergo is est a Cepha diversus. R. I. dato etiam aliquem fuisse discipulum Cepham nomine, non de hoc, sed de circumcisionis Apostolo, de columna Ecclesiæ, quique Paulo & Barnabæ mandavit prædicationem gentium, in ep. ad Galat. sermo fit. R. II. ad I. neg. conf. Nam de Petro etiam loquitur Apostolus 1. Cor. 1. Ex Clementis ep. ad Cor., ubi ait, ad eos scripsisse Ap. *de se ipso, Cepha, & Apollo, quia etiam tum diversa in studia scissi.* Ad II. neg. conf. Nam etiam Luc. 5. habetur Christum primo Simoni, post undecim apparuisse.

Ob. III. Hæc sententia Petrum arguit erroris in fide, & Paulum, qui ei restitit, audaciæ; ergo &c. R. neg. ant. Nondum enim legalia erant mortifera. Hinc præclarum agnoscit exemplum S. P. A. Ep. 82. *Et sanctæ humilitatis in Petro, & justæ libertatis in Paulo.*

Ob. IV. Subortis Antiochiæ legalium dissidiis Paulus Jerosolymam venit, ubi in prima Aposto-

lorum Synodo legalia sunt abrogata: atqui Paulus restitit Cephæ Antiochiæ ex Gal. 2. ergo is non erat Petrus, qui tunc erat Jerosolymæ. R. I. Calmet, Paulum absoluto concilio statim rediisse Antiochiam, quo postea dissidiis compositis venit Petrus, ibique accidisse, quæ narrantur ad Gal. 2.

R. II. S. P. Ep. 82. ad Hier., hæc probabilius contigisse *ante illud Jerosol. Concilium*; ideoque aliam esse profectionem Pauli ex Antiochia in Jerusalem Act. 15. ac Gal. 2. & saltem biennio posteriorem esse Jerosol. Concilium, quod an. 50. aut 51. Ær. V. celebratum est, cum Petri reprehensio contigerit an. 48. Nam a Christo passo an. Ær. V. 29. ad eam reprehensionem fluxere an. 19. ut supra dictum est. Ait Calmet, hanc distinctionem temporum, fluxam esse, sed cum ipse fateatur, non convenire scriptores de anno Hieros. Concilii, & sive ante, sive post hoc dissidium evenerit, adhuc esse discrimen, dummodo ostendatur, in Ep. ad Gal. non referri quod extat Act. 15. omnis contradictio evanescit. In Epistola ergo ad Gal. diversa narrari constat ex c. 2. ubi Ap. ait, se venisse Jerusalem *secundum revelationem*. Act. 15. statutum esse, ut ascenderet Paulus & Barnabas, hoc est ex Ecclesiæ Antiochenæ consilio, non ex *revelatione*. In ep. ad Gal. dicitur Paulum, Jerosolymam profectum, ut conferret cum Apostolis Evangelium. Ast Act. 15. ob controversiam circumcisionis. Ibi dicitur ascendisse cum Barnaba & Tito, sed is Act. 15. non memoratur; ergo &c. Quod vero ait Calmet, Petrum post Concilium Jeros. statim venisse Antiochiam, in Act. 15. non legitur.

CAPUT XII.

De lege nova, ejusque præstantia, ac vi obligandi.

HOC interest inter veterem, ac novam legem, quod illa hujus mysteria præfigurabat, & gratiam

tiam pollicebatur. Quod explicant Theologi exemplo parvuli ac viri: ſicut enim vir hæreditatem capiens præſtantior eſt puero, qui ſub tutoribus eſt, ita lex novi Teſtamenti veteri perfectior eſt: in ea enim repromiſſa eſt hæreditas Ss., unctio Spiritus S., libertas filiorum, & regnum cælorum. Quam hæreditatem etiam Ss. vet. Teſtamenti habuere, ſed diverſimode: adoptionem quidem in ſpe venturi Meſſiæ, gloriam vero adepti ſunt redemptione perfecta. Nunc autem adoptamur per gratiam ſacramentorum, ſervatiſque mandatis gloriam jure hæreditario conſequimur. Quare lex nova Moſaica præcellit, & quia hæc illius gratia eſt inſtituta, ut ſymbolum futurorum, & quia retributionem, quam nova largitur, non conferebat. Non deſunt tamen in nova lege quædam præcepta, eaque ſervanda eſſe a fidelibus contra Novatores ſeq. Prop. monſtrabimus. Sit ergo

Propositio. Novæ legis præcepta a fidelibus ſervanda ſunt.

Prob. I. ſcripturis, & Conciliis. Matth. 5. habetur: *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis, minimus vocabitur &c.* Et v. 44. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros.* Plura etiam ſtatuuntur contra perjurium, adulterium &c. Et c. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Similia habet Joan. c. 14. Luc. 6. Eph. 5. &c. Hinc Trid. ſeſſ. 6. c. 9. iis dicit anathema, qui ajunt, *nihil præceptum eſſe in Evangelio præter fidem &c.* Prob. II. ex PP. Aug. l. 12. de C. D. c. 17. ait: *De chriſtiana lege prænuntiatum illud* Pſ. 109. *Virgam virtutis tuæ &c.* Virga enim principis auctoritatem, & legislatoris mandatum deſignat. Et l. 3. ad Bonif. *Si Chriſtus,* ait, *nobis abſtulit illud graviſſimum multarum obligationum jugum, numquid dicturi ſumus, non ad nos pertinere ipſum decalogum? Quis eſt tam impius, qui dicat, ideo ſe iſta legis non cuſtodire præcepta, quia eſt Chriſtianus, nec ſub lege, ſed ſub gratia conſtitutus?* ergo &c. Prob. III. ratione.

Probatio enim illius caritatis, quæ ad novam legem maxime ſpectat, *exhibitio eſt operis* ex Gregorio; ergo &c. Prob. ant. Si enim Deus diligitur, glorificandus eſt, ſi proximus, juvandus eſt, non lædendus, ſed hæc fiunt ſola legis obſervatione; ergo &c. II. plura ſunt, quæ cum ea caritate pugnant; ergo ab iis eſt abſtinendum, alias lex Evangelica legem naturæ evertit, eſtque imperfecta.

Ob. I. Lex Evangelica eſt lex libertatis; ergo &c. Prob. conſ. ex Ap. Gal. 5. ubi ait: *Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.* Rom. 6. *Non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia:* & ex c. 3. eruitur, veterem legem eſſe factorum, novam fidei. II. lex ſpiritalis eſt, & per eam regnum Dei intra nos eſt, ſed in regno ſpiritali, non ſunt opera externa; ergo &c. III. Evangelium eſt bonum nuntium noſtræ liberationis per gratiam; ergo &c. R. diſt. ant. eſt lex libertatis prout gratiam confert, & adjuvat, ad differentiam veteris, quæ jubet, non juvat, peccata monſtrat, non tollit, conc. prout eximit ab obſervantia legis, neg. Eſt etiam nova lex libertatis, quia a legalium jugo fideles eximit. Ad II. diſt. ant. Spiritalis eſt, quia ſpiritalia promittit, & qui eam ſervant ſpiritu Dei aguntur, & opera faciunt etiam intentione & rectitudine finis, conc. quia externa opera excludit, neg. Ad III. diſt. ant. Evangelium eſt bonum nuntium &c. quia eximit ab operibus, neg. quia per gratiam efficit, ut faciamus, concedo.

Quæres: quænam præcepta contineat nova lex? R. Continere I. eadem præcepta moralia, quæ continet lex vetus: Chriſtus enim ea ſingulis ſervanda propoſuit. II. Præcepta fidei circa Trinitatis, & Incarnationis myſteria. III. Loco plurium ſacrificiorum vet. legis, unum eſt inſtitutum, ſed iis longe præſtantius. IV. Sacramenta ſeptem enumerantur, queis accedunt Conſilia evangelica paupertas,

tas, caſtitas, obedientia, quibus ad montem perfectionis, qui Chriſtus eſt, facilius pervenitur.

Quæres II. Quomodo in tanta graviſſimorum præceptorum copia, ut ſunt Confeſſio, Monogamia &c. lex Chriſti levis cenſenda ſit? R. Pluribus de cauſis. I. Si veteri legi comparetur, in qua innumera erant ſacrificia, ritus, & præcepta. II. quia nova lex amoris eſt, & ubi amor eſt, labor non eſt, ex Aug. III. ex gratiæ ſubminiſtratione. Vid. Aug. Ser. 22. Confeſſio autem, & Monogamia non omnibus jubentur, ſed prima iis, qui ſua voluntate peccarunt, ſecunda iis tantum, qui nubunt, ac illis quidem confeſſio gravis videri non debet, neque enim remedium præſcribi potuit, aut ſalubrius, aut facilius. Imo dura lex eſſet, ſi impiis naufragio pereuntibus hæc tabula deeſſet. Sed de hac re alibi. Monogamia etiam fidelibus eſt utiliſſima: arcet enim vel uxorum ſimultates, vel inter natos diſſidia. Quod Saræ & Agar, Rachelis & Liæ, earumque filiorum exemplis ſatis oſtenditur. Qua de re polygamia a Græcis, & a Romanis proſcripta eſt.

Propositio II. Lex Evangelica nunquam eſt interitura.

Prob. I. ſcripturis. Matth. 24. habetur: *Et prædicabitur hoc Evangelium in univerſo orbe, & tunc erit conſummatio:* ubi Matthæus non ſolum de excidio Jeroſolymæ, ſed etiam de fine ſæculorum verba facit. 2. Hebr. 7. *Chriſtus ſempiternum habet ſacerdotium*, ſed permanente ſacerdotio perdurat lex; ergo &c. Prob. II. ratione D. Th. Finis Moſaicæ legis fuit Chriſtus, & ipſa lex gratiæ; ergo finis legis gratiæ erit regnum, & hæreditas Chriſti, ideſt vita æterna.

DISSERTATIO II.

De lege humana.

De hoc argumento novem capitibus eo, qui ſequitur, ordine pertractabimus.

CAPUT I.

De conditionibus requiſitis ad hoc, ut lex humana obligandi vim habeat.

PRÆTER conditiones c. 2. enumeratas, ut lex valida ſit, requiritur promulgatio. Ut enim habetur c. *In iſtis* d. 4. *Leges inſtituuntur cum promulgantur.* Nunquam enim exiget legislator a ſubditis obedientiam, niſi iis mandata innoteſcant. Ad hoc autem non opus eſt, ut cuique in particulari intimentur. Sed ſat eſt, ſi publico loco ſint promulgatæ. Hinc Juſtinianus in Authentica: *Ut factæ enim conſt.* ſtatuit eas valere, ex quo in commune factæ ſunt manifeſtæ. In provinciis autem, ex quo a metropolitis palam factæ ſunt, idque poſt 2. menſes. Idem de legibus Eccleſiaſticis ſtatuunt Nat. Alex. Cabaſſutius, Juenin &c. Oppoſitum tamen docent alii plures, & ex noſtratibus Vanroy, Poncius, Guerrero &c. qui ajunt ſufficere (niſi in ipſa lege exprimatur oppoſitum) ſi leges civiles in urbe primaria, Eccleſiaſticæ vero Romæ publicentur. Sit ergo

PROPOSITIO I. A legislatoris nutu pendet, cum publicationis locus, tum obligationis tempus.

Prob. I. pars. Tertull. de Pud. c. 1. ſcribit Zephyrini Papæ decretum affixum Eccleſiæ valvis, & promulgatum in provinciarum Eccleſiis. S. Cyprianus ait, Stephani Papæ decretum ad Orientis, & Africæ provincias fuiſſe directum: & Nicænos canones per totum orbem eſſe tranſmiſſos Marius Victorinus affirmat. Idem ſcribit de Chalcedon. Leo M. de Sardic. Theodoretus. Siricius etiam juſſit, decretalem ſuam in Hiſpaniæ, & Galliæ provinciis ema-

emanari. Trid. Syn. ſuum de abrogatione matrimonii cland. decretum in omnibus Parœciis juſſit publicari; ergo promulgatione opus eſt vel in ſingulis provinciis, vel in ſola metropoli ad nutum legislatoris. Ex his tamen non ſequitur, novas leges civiles, aut eccleſiaſticas non obligare, niſi in ſingulis provinciis promulgentur. Plures enim ſunt Rom. Pontificum Conſtitutiones, quas inviolabiliter obſervandas eſſe declarat Rom. Pontifex, *ac ſi eſſent ſingulis exhibitæ, vel oſtenſæ*, poſtquam Romæ affixæ ſunt. Tales ſunt Conſtitutiones Sixti V. de male promotis ad ordines, Alex. VII. editæ ann. 1660. & Innocentii XI. ann. 1681. Plures etiam ſunt decretales, quæ ſervantur etiam, ubi publicatæ non ſunt. Deinde in Romana curia cauſæ dirimuntur ex decretis ibi affixis. Supremi namque legislatoris imperium nequit vel privatis inſtitutis, vel ſubditorum voluntate labefactari; ergo ab ejus nutu pendet promulgatio.

Nec obſtat Zephyrini, Stephani, aliorumque decreta extra urbem per Eccleſias eſſe promulgata, id enim iis viſum eſt opportunius occaſione ſchiſmatis, perſecutionis, aut hæreſis, ne illa refractarii occultarent, & fideles proſtrati Paſtoris voce recrearentur; promulgatio ergo mandata eſt, non ut vim haberent, ſed ut excuſationibus aditus clauderetur, ut ait Siricius ad Himer. Multo minus obſtat Authentica, *ut factæ &c.* de qua ſupra. Ea enim neque de omnibus legibus accipienda eſt, nec duos menſes ad obligationem præſcribit, ſed ad tollendas excuſationes. Ibi enim ſtatuitur *valere, ex quo in commune factæ* ſunt manifeſtæ. Et Baldus docet, illam authenticam factam eſſe *ad ignorantiam non excuſandam*, atque in aliis legibus præſertim municipalibus ſpatium 2. menſium non eſſe expectandum.

Prob. II. pars. Licet enim in authentica datum ſit tempus duorum menſium, hoc tamen pro lubitu legislatoris ampliari, aut reſtringi poteſt. Nam

in

in 6. decretalium cap. *Statuimus* impugnantibus electionem, unius mensis tempus præscribitur, quo ad sedem Apostolicam iter arripiant. Idem spatium statuit Trid. Synodus circa matrimonium cland. In cap. *Decernimus* sex menses. Sixtus V. de male promotis Romæ degentibus dies 15. citra alpes menses 4. ultra alpes 9. constituit; ergo &c.

Dices in Gallia, & alibi constitutiones pontificias vim non habere, nisi regis placito receptæ sint; ergo &c. R. neg. cons. Id enim fit aut conventione Papæ cum regibus, aut Apostolicæ sedis indulgentia; non enim spiritalis potestas a temporali debet auctoritatem accipere.

Propositio II. Neque lex civilis, neque ecclesiastica a Populi acceptatione pendet.

Not. Non loquimur de dominio Aristocratico, aut Democratico. In his enim valorem legis pendere ab optimatum, aut populi assensu, ambigendum non est; loquimur ergo de lege lata a supremo Domino. Et prob. I. ex ipsa legis definitione. Hæc enim vis est quædam, aut præceptum honesta imperans, vetans inhonesta, atqui præceptum ex Aug. l. 3. de Lib. arb. c. 24. vim habet, *non ab illo, cui præcipitur, sed ab illo, qui præcipit;* ergo &c. II. Legislativa potestas non solum proponit legem, sed eam jubet, alias etiam consiliarii essent legislatores, quia regibus constituenda proponunt, sed, si a populi acceptatione lex pendeat, legislator proponet tantum, non præcipiet; ergo &c. III. *Potest rex convenienti vigore leges sancire* ex Aug. Ep. 48. sed hoc falsum esset in opposita sententia, posset enim populus eas non acceptare; ergo &c. IV. Nec cogi posset, nec peccaret populus: *etiamsi absque ulla caussa non recipiat legem a principe promulgatam*, sed hoc ab Alex. VII. Prop. 28 damnatum est; ergo &c. V. Ut subditi legibus teneantur, sat est, quod in legislatore sit potestas, & voluntas eos obligandi, atqui legislator habet voluntatem, quæ ex cap. *Quisquis præceptis* invicte demonstra-

monſtratur per verba præceptiva, alias lex eſſet conſiliatrix, non præceptiva: habet etiam poteſtatem ex l. 1. ff. de conſt. Princ. §. *Sed quod Principi*, alias ludibrio eſſent leges; ergo &c. VI. Poteſt legislator præcipere indictis pœnis ex c. *Non fruſtra*, ne refractarii glorientur de contumacia, ex cap. *In Eccleſiis*; ergo &c. Quæ argumenta valent etiam de lege civili, aut eccleſiaſtica in particulari.

De civili conveniunt etiam Gallorum plurimi; ut enim conſtat ex authent. *ut factæ novæ conſt.* leges principis ſæcularis vim habent ſtatim poſt intimationem (1); ergo poſt illam nequeunt a populis repu-

(1) Extat quidem, ut animadvertit Arnoldus Vinnius lib. 1. tit. 2. de Jur. Nat. Gent. & Civ., Conſtitutio quædam *Ex* τῶν νεαρῶν, quæ indulget ſpatium duorum menſium, a die publicationis obſervandum in omnibus novis legibus Nov. 66. c. 1. Verum ea Conſtitutio recte ſic a pleriſque accepta eſt, ut proſit hoc ſpatium ad allegationem ignorantiæ, atque hæc interim præſumatur, non quia lex promulgata citius obſtringat eum, in cujus notitiam ante pervenit. Quod ſi quis poſt lapſum illius temporis ignorantiam allegat, eſſe quidem adhuc audiendum, ſed hac conditione, ut cauſam ignorantiæ, quam allegat, probet l. ult. de decr. ab ord. fac. Hæc Vinnius. Addit Heinnecius, *ſcriptum jus* idem eſſe, ac promulgatum, locutione a Græcis deſumpta, quibus γράφειν νόμους non eſt *leges ſcribere*, ſed *publicare*: hinc Lycurgus γράψαν νόμους, ait Libanius p. 476. tom. 1. cum tamen Lycurgi leges ſcriptura vulgatas non eſſe, ſatis conſtet. Hinc & jus civile a prudentibus invectum ſine ſcripto conſiſtere dicitur l. 2. §. 5. non quod literis conſignatum non fuerit, ſed quod non ſolemniter publicatum: eodem modo Plato apud Laertium l. 3. νόμον dividit legem in γεγραμμένον &

repudiari. Idem colligitur ex l. *Formam* c. cum inferior. De ecclefiaftica vero probat. I. ex Matth. 16. *Quodcumque ligaveris &c.* & Jo. 21. *Pafce agnos meos*, ex quibus conftat, Roman. Pontif. auctoritatem a Chrifto immediate defcendere, ut definitum eft cap. *Sacrofancta* d. 22. neque id poteft ex Fagnano falva fide negari: auctoritas quoque Epifcoporum a Chrifto faltem mediate defcendit; ergo &c. Adde, verbum *ligandi* fignificare vim coactivam, quæ cenfuris exercetur, ut infra oftendemus, ergo poteft Papa non acceptantes compellere. Hinc Luc. 10. habetur, *qui vos fpernit me fpernit.*

R. Marca. Magnum effe civilium legum ab ecclefiafticis difcrimen. Poteftas enim Ecclefiæ data eft in ædificationem, non in deftructionem; ergo nihil fidelibus obtrudi debet, quod eos poffit offendere. II. Chriftus Luc. 22. hoc difcrimen affignat dicens: *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non fic.* III. Regibus commiffa eft Reip. falus, hinc fit, ut in cives etiam invitos ad fovendum Reipub. corpus jus iis competat, atqui oppofitum evenit in imperio ecclefiaftico, ubi præcipue fingulorum faluti profpicitur, & divini Paftoris exemplo oves 99. deferuntur, ut centefima reducatur ad caulas; ergo &c.

Verum ex tam labili fundamento jure conjicit Antonius Charlas, fententiam oppofitam per fe ruere. Nam etiam civilis poteftas ad ædificationem eft inftituta, & quævis honefta lex improbos offendit. Vid. c. 2. libri hujus. Ad II. R. ex loco cit. erui, fublimiorem dignitatem in regno cælorum, de qua inter Apoftolos erat contentio, non auctoritati, fed humilitati rependi, Reges enim poteftas exaltat, Apoftolos abjectio & humilitas. Ita Chryfoftomus, Cyrillus, Bafilius, aliique a D. Thoma laudati. Addit Eftius ibidem, non minui ecclefiafticam

---

& ἄγραφον in *fcriptam*, more, vel confuetudine *& non fcriptam*, quæ in pofita eft.

ſticam poteſtatem, ſed ſolum innui, non eſſe, inſtar civilis, armis & metu exercendam. Ad III. R. Etiam Eccleſiæ paſtores commune bonum privato præferre, nec pro una ove gregem deſerere, ſi hanc lupi rapaces invadant. Nec obſtat exemplum oppoſitum, nam in ovibus 99. ſignificantur juſti, vel angeli ex Hieronymo, in una genus humanum, aut peccatores.

Ob. I. Gratianus, Covarr., Navarrus, Gerſon, Sylveſter, Major &c. docent, leges valere, quia a populis ſunt acceptatæ; ergo &c. R. neg. conſ. Nam longe plures a Fagnano laudati noſtram ſententiam propugnant. II. Oppoſitam ſententiam cenſoria virgula notant viri cl., & ſi de lege Pontificia ſermo ſit, fidei contrariam eam appellat Fagnanus, & Charlas Gallus. III. Quia ipſa Pariſ. Facultas ann. 1521. damnavit, *tamquam in fide erroneam*, hanc propoſitionem Lutheri, *neque Papa, neque Epiſcopus, nec ullus hominum habet jus ſupra Chriſtianum, niſi id fiat ejuſdem conſenſu*. IV. Quia Mauclerus D. Pariſien. ait, R. Pontificem legibus ſuis *obligationem inferre in conſcientia*. Idque *ſecundum fidem negari non poſſe*, nec legem minori eſſe dignam honore, *ſi juſta, & ſufficienter promulgata non recipiatur a populo*. R. II. diſt. ant. Et antiqui ſcholaſtici loquuntur in ſuppoſitione „ quod „ princeps leges ferat ea conditione, ut non aliter „ obligent, quam ſi fuerint a republica receptæ „ ut ait Covarr. & Navarrus, conc. de legibus abſoluta auctoritate ſancitis, neg. Vel accipiendi ſunt de lege inutili, neque ad bonum directa, de qua Charlas ait, loqui Gerſonem, vel excipiunt leges R. Pontificis: *Cui omnes Eccleſiæ non poſſunt auferre auctoritatem*, ut ait Sylveſter. Major vero loquitur de lege divinæ oppoſita: ait enim d. 15. Papam a Chriſto *immediate* pleniſſimam habere auctoritatem, non ab Eccleſia.

Ob. II. D. 4. cap. *In iſtis* habetur: *Leges inſtituuntur cum promulgantur, firmantur cum moribus uten-*

utentium approbantur; ergo &c. II. D. l. 32. habetur: *Leges non tenent, quod judicio populi receptæ ſunt*; ergo &c. III. Principes ipſi habent a populo auctoritatem; ergo &c. IV. Ex oppoſita populorum conſuetudine leges abrogantur; ergo & firmantur. V. Leges eccleſiaſticæ eſſent cauſſa ſubverſionis: non enim ſcire poteſt Romanus Pontifex, quid omnium provinciarum fidelibus magis expediat. Hinc nova Eccleſiæ ſtatuta alicubi non obligant, quod non ſunt particularium Eccleſiarum acceptatione firmata.

R. Ad I. retorq. argum. Si enim leges inſtituuntur, cum promulgantur; ergo leges promulgatæ ſine acceptatione populorum per ſe obligant. R. II. diſt. ant. Leges firmantur, hoc eſt non abeunt in deſuetudinem, cum utentium moribus probantur, conc. hoc eſt acquirunt a populo vim obligandi, neg. Ex inducta quidem moribus populorum conſuetudine, connivente legislatore, lex ipſa enervatur, & progreſſu temporis ceſſat, ſed aliud eſt, abrogata per deſuetudinem lege, eam non obligare, aliud validitatem legis a populi acceptatione pendere. Ad II. neg. conſ. Ibi enim ſermo eſt de legibus Romanæ reipublicæ abolita Monarchia, cum ſtaret juris auctoritas penes populum, ut liquet ex l. 1. tit. 2. §. 4. unde retorq. arg. Leges enim Populi Romani non pendebant ab acceptatione ſubditarum provinciarum, imo per Juenin, nec ipſæ leges civiles a populo pendent, cur ergo Eccleſiaſticæ? Ex obedientia, ais, jure divino principi debita; atqui ea debetur etiam Eccleſiæ paſtoribus, ex Luc. 10. *qui vos audit, me audit* &c. ergo &c. Ad III. retorq. arg. Non enim a populo auctoritatem recipiunt Eccleſiæ paſtores, ſed a Dei; ſi ergo per Gallos civilis lex vim non habet a populis, a quibus quandoque regia poteſtas tradita eſt, a fortiori pendere non debet a populo lex eccleſiaſtica. R. II. neg. ant. *Non eſt enim poteſtas, niſi a Deo*, ex Rom. 13. *qui ergo reſiſtit poteſtati,*

Dei ordinationi resistit, sed qui legibus principum non subjicitur, eorum potestati resistit; ergo &c. Licet autem electio principis a populo, aut optimatibus quandoque pendeat, eo tamen electo ejus mandatis resistere nefas est. Ad IV. Vid. R. 2. ad 1.

Ad V. neg. ant. Mandatis enim resistunt rebelles, non cives. Jussa ergo majorum nonnulli contemnunt, non a legum æquitate, sed a superbiæ vitio permoti. Non debet autem providus legislator ob illorum arrogantiam alios mandatis non regere, sed potius refrænare licentiam. Alias nec naturalis lex, nec divina obligaret, cum eæ etiam subversionis occasio esse possint. Novit autem Romanus Pont. quid dispersis per orbem provinciis expediat, tum divino edoctus magisterio, tum præscriptionibus canonum, sapientum consilio, congregationum consultationibus, licet non ab his, sed ab Apostolica sede leges ejus acquirant auctoritatem: sicut a sola regis potestate, non a subditis pendet vis obligandi. Denique, si princeps urgeat executionem legis suæ, tenetur populus ei morem gerere, quia censere debet, reipub. bonum exigere, ut nulla habeatur ratio suæ etiam vetustæ consuetudinis; atqui idipsum potiori jure putare debet de summo Ecclesiæ pastore, cui data est ligandi & solvendi plenaria potestas &c. Perperam ergo Ecclesiæ Gallicanæ libertates Galli deprædicant, quas Apostolicæ sedis aut conniventia, aut concessione consistere facile ex dictis eruitur.

CAPUT II.

Quanta obligandi vis humanis legibus insit?

NOT. I. Hæc quæstio alias plures complectitur, an scilicet leges obligent etiam in conscientia? An cum propriæ vitæ periculo? Num etiam sub mortalis culpæ reatu, dum levia imponunt?

Not. II. Valdenses opinatos esse, humanam legem sublato scandalo sine culpa violari posse. Idem censuit

censuit Gerson, qui tamen in eo a sectariis recedit, quod fateatur, Ecclesiæ antistites posse statuere modum ac tempus, quo jus divinum subditos stringat, itaut peccent violatores humanæ legis ob violatum divinum præceptum. Sit ergo

PROPOSITIO I. Humanæ leges etiam civiles obligant in interiori conscientiæ foro.

Prob. I. ex Ap. Rom. 3. *Subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis.* 1. Pet. 2. *Subjecti estote propter Deum* sive regi, sive duci. Et infra: *Servi subditi estote dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis;* ergo &c. Prob. II. ex PP. Aug. ep. ad Bonifacium ait: *Quicumque legibus Imp. quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium*, quia justas leges ferendo serviunt reges æterno Regi ad bonum promovendum. Quod probat S. P. exemplo Ezechiæ, Josiæ &c. Reges enim etiam infideles, ut Nero, Domitianus &c. a Deo potestatem regni habent. Vide Augunst. (a), & Bern. (b).

Prob. III. ratione. I. Principum constitutiones ad reipub. commodum, religionis incrementum, atque ad salutem plurimum conferunt, teste Aug. Ægidio R. Ammiano, aliisque; ergo iis obtemperandum est. II. Humanis legibus ab æterna promanantibus in certis rerum circumstantis humana vita dirigitur; ergo &c. III. Tenemur obedire rectori familiæ, cœnobii &c. quia ex Ap. ad Eph. 5. Dei vicem gerit; ergo a fortiori præfectis urbis, provinciæ &c. IV. Christus Dominus de Ecclesiæ pastoribus ait Luc. 10. *Qui vos audit me audit &c.* ergo qui eorum leges spernit, Deum spernit. V. Proscriptæ sunt hæ propositiones: *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, & frangens jejunium*

(a) *L. 5. de C. D. 21.* (b) *De præc. & disp. c. 9.*

junium non peccat mortaliter. VI. Præcipit Ecclesia etiam sub pœna anathematis plura, quæ non sunt directe juris naturalis & divini, ut cœlibatum, communionem paschalem &c. quibus catholici omnes obtemperant; ergo &c.

Ob. I. Deuteron. 4. habetur: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor.* Matth. 28. *Docete servare quæcumque mandavi vobis.* Et c. 15. *Sine causa colunt me docentes mandata hominum.* Ap. 1. Cor. 7. ait: *Nolite fieri servi hominum*; ergo &c. ℞. ad I. dist. ant. Non addetis ceremonias, & sacrificia gentilium, conc. humanas leges, & traditiones divinas, neg. Alias lex nova, quæ veteri superaddita est, rejicienda esset. Matth. 28. mandatorum observantia præcipitur, non contemptus legum humanarum. Et c. 15. Pharisaicæ institutiones pugnantes cum lege divina, aut naturali rejiciuntur. Apostolus vero hortatur Corinthios, ne fiant servi hominum, legalibus se subjicientes. Si vero humana præcepta sint rectæ rationi consona parendum est. Solvendum tributum, auscultandum Ecclesiæ &c. Instat Calvinus: solus Christus est legislator, & judex; ergo nemo alius, præter illum. ℞. dist. ant. Solus Christus est judex supremus, & scrutans renes, conc. dependens, & de externis judicans, neg.

Ob. II. Ex Aug. ep. ad Jan. 119. ubi ait, resecanda statuta hominum, quæ religionem *servilibus oneribus premunt*; ergo &c. II. In Serm. 6. de Verb. Dom. ait, posse Imperatorem damnare ad carcerem, non ad gehennam; ergo &c. III. In l. 22. contra Faustum c. 27. ipsum peccatum definit per oppositionem ad legem æternam; ergo &c. ℞. neg. cons. Nam Ep. ad Jan. loquitur S. D. *de iis, quæ neque scripturarum auctoritatibus, neque consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt*, ut sunt statuta varia, & præsumpta, quæ religionem servili onere premunt, eaque jure censet esse resecanda. At cum legis vinculo, & multitudine præceptorum suave jugum, & Christianam libertatem recte consistere

ſupra viſum eſt. Ad II. diſt. conſ. Imperatori parendum non eſt, ſi injuſta præcipiat, conc., ſi juſta, neg. Ait enim S. P. ex Apoſtolo, omnem animam poteſtatibus ſublimioribus ſubjici; *ergo, ſi aliud Imperator, aliud Deus jubeat, Deo parendum eſt, qui eſt major poteſtas. Nam Imperator carcerem, ille gehennam minatur.* Ad III. neg. conſ. Subdit enim ibi S. P. *Lex æterna eſt voluntas Dei ordinem naturalem perturbari vetans*, ſed hoc præſtat, qui humanam legem tranſgreditur; ergo &c.

Ob. III. ratione. I. nequit inferior ligare in foro ſuperioris; ergo &c. II. Nequit homo inferni pœnam inferre, aut gratiam ſanctificantem ſubtrahere; ergo &c. III. Non omnia præcepta ſunt juris divini; ergo non omnia obligant. R. ad I. diſt. ant. Nequit &c. abſolute, conc. ut miniſter ſuperioris, neg. Tales ſunt omnes ſuperiores, ut ſupra dictum eſt. Ad II. diſt. eodem modo ant. Nequit auctoritate propria, conc., a Deo accepta, neg. Ad III. diſt. ant. Non omnia præcepta ſunt juris divini *proxime*, conc. *remote*, nego.

Quæres: quid ſentiendum ſit de lege pœnali? ℟. ſi ſit lex mere pœnalis, in qua nullatenus exprimitur vis obligationis, atque præcepti, nec pœna culpæ reſpondet, non obligat ſub peccato, ſecluſo contemptu: tales ſunt leges plurimæ in noſtri ordinis conſtitutionibus. Obligant tamen leges iſtæ poſt tranſgreſſionem ad pœnam, idque ante ſententiam judicis, ſi ſint *latæ ſententiæ*; ideſt cum in lege apponuntur hæc verba *ipſo facto, abſque ulla declaratione &c.* Tunc enim non requiritur ſententia judicis, ut executioni mandetur. Requiritur autem, ſi ſint *ſententiæ ferendæ*. In legibus tamen mere pœnalibus punitio *multa* dicenda eſt, non pœna, hæc enim, *ſi juſta eſt, peccati pœna eſt, & ſupplicium nominatur*, ait S. P. de lib. arb, 18. At aliæ ſunt pœnæ, quas Theologi *pœnales mixtas* vocant, quæ tam ad opus obligant, quam ad pœnam, ſi illud negligatur. Vide Vanroy de leg. c. 7. q. 9.

PRO-

PROPOSITIO II. Humanæ leges non ſemper obligant cum gravi detrimento, ac vitæ periculo.

Prob. Ipſa divina lex non obligat cum vitæ periculo; ergo nec humana. Prob. ant. Exemplo Davidis, qui urgente fame panes propoſitionis comedit. Diſcipuli ſabbato vellebant frumenti ſpicas, ea de re a Domino exemplo Davidis excuſati. Mathatias ſtatuit ſabbato eſſe pugnandum; ergo &c. II. Eccleſia quoſdam eximit ab audiendo ſacro, & jejunio; ergo &c. III. latæ ſunt leges humanæ reipublicæ bono, & religionis cauſſa; ergo, ubi gravis cauſſa ad eas violandas impellit, non obligant. IV. Leges Etruſcæ ab Hebræis derivatæ non vetabant feſtis diebus, *ſegeti prætendere ſepem, inſidias avibus moliri, incendere vepres &c.* apud Virg. Georg. I. ergo &c. Ubi vero id poſtulat bonum publicum, aut religionis cauſſa, obligant etiam cum vitæ diſcrimine: hinc nefas eſt militi in patriæ interitu fugam arripere, aut Chriſtiano veſci carnibus immolatitiis, aut azymis cum ſcandalo puſillorum &c.

Ob. I. Lex humana ad bonum commune eſt ordinata, ſed pro eo debet quiſque vitam ponere; ergo &c. II. Innoc. III. ſtatuit, non eſſe communicandum cum excommunicato per metum. III. Nec in extrema valetudine fas eſt Carthuſiano veſci carnibus, aut moniali ſalutis cauſſa e ſeptis egredi monaſterii; ergo &c.

℟. ad I. diſt. min. Si agatur de ſalute reipublicæ, aut de religionis negotio, conc. ſecus, neg. *Nemo quippe dubitat*, ait S. P. *cavendi majoris damni cauſſa, patiendum eſſe damnum, quod minus eſt*, ut ait S. P. de mend. 18. Ad II. diſt. ant. Per metum levem, conc. gravem, neg. Loquitur enim Pontifex de communicatione cum ſcandalo, & contemptu. Nam in gravi neceſſitate non tenemur excommunicatum vitare ex can. *Quoniam multos.* Ad III. de Carthuſianis cenſet Vaſquez, Sylvius, Vanroy, Piette &c. Carthuſianis illicitum eſſe carnibus veſci,

ſi præſto ſint alii cibi, tum ob voti præſtantiam, ac inſtituti conſuetudinem, tum ob aliorum ciborum, maxime olerum, ac piſcium ſalubritatem. Alii id iis licitum putant, ſecluſo ſcandalo, ut Gerſon, Major, Adrianus. Sed hi olera & piſces putant nocens obſonium. De moniali etiam ob monaſteriorum fœminarum decus & honeſtatem pluris faciendam, quam unius morbum, cenſeo non eſſe permittendum, ut egrediatur e clauſtro, quod tamen expedit, ſi epidemia aut peſtilentia laborat, aut adſit alia gravis cauſſa, expreſſa in Bulla Pii V. &c. Id tamen aſſertioni noſtræ non opponitur, cum fateamur, privatam cujuſque vitam cedere honori, ac bono communitatis.

Propositio III. Non poteſt legislator opus per ſe leve ſub pænam mortalis culpæ præcipere.

Prob. I. Nam humanæ leges debent æternæ legi conformari, ſed hæc leviſſimo furto, aut officioſo mendacio, aut jocoſo verbo non reddit damnationis ſupplicium; ergo &c. II. Si rex capitali pœna puniret leviſſimam tranſgreſſionem, eſſet tyrannus, atqui longe hac pœna peccatum gravius eſt, quodve ex eo ſequitur, gehennæ ſupplicium; ergo &c. Id enim eſſet ſequi Phariſæorum exemplum, de quibus Chriſtus Dominus Matth. 23. ait: *Imponunt onera gravia.* Fieri tamen poteſt, ut res per ſe levis, ob loci, temporis, ac perſonarum adjuncta, gravis habenda ſit, ut lex Adamo, et Evæ facta de non comedendo fructu, quæ attenta Adæ conditione, & obedientia creatori debita, graviſſima fuit. Talia ſunt etiam ſuperiorum præcepta, quæ attenta regularis obſervantiæ neceſſitate, gravia cenſentur. Sic in parva etiam materia carnes guſtans vetitis temporibus pergrave peccatum admittit.

CAPUT

CAPUT III.

Possunt ecclesiasticis legibus præscribi etiam actus interiores.

NOT. I. Aliud *directe* præcipi, aliud *indirecte*. I. est, quod per se, & absque consideratione alterius proponitur, ut interesse sacro, tributum solvere &c. II. est quod, alterius caussa jubetur, sine quo aut fieri nequit, aut non fit, sicut oportet. Ita lex persolvendi horas canonicas jubet etiam indirecte attentionem, & devotionem, sine quibus in vanum lingua laborat.

Not. II. Præcipi Ecclesiastica lege actus interiores constat ex Later. IV. c. *Dolentes*, ubi præcipitur, ut officium recitetur *studiose pariter & devote*: & S. P. A. c. 2. Regulæ mandat: *Ut hoc versetur in corde, quod profertur in ore.* Bern. Ser. 41. ait: *Ex voluntate suscipienda imperia prælatorum.* Voluntas enim legislatoris est, ut faciat homines bonos, quod maxime de legislatore ecclesiastico dicendum est.

Not. III. Controversiam esse de actibus interioribus per se & *directe* præscriptis. Qua in re, licet plures DD. negativam sententiam teneant, nos tamen sequimur affirmativam, quam tradunt post Ægidium, Vanroy, Guerrero, Piette, aliique nostrates, quibuscum sit

Propositio. Potest Ecclesia, etiam interiores actus per se & *directe* præcipere.

Prob. I. ex legibus latis ab Ecclesia. Hæc enim circa actus istos jurisdictionem exercet, non solum eos dirigendo, ut recte fiant, sed etiam puniendo, si male fiant; ergo &c. Prob. ant. I. Ex Clem. I. (*a*), ubi excommunicatio indicitur Monacho ad curiam accedenti animo accusandi prælatum. II. dist. 30. (*b*) dicitur anathema his, qui jejunia Ecclesiæ spernunt, opinantes cum Eustachia-

 nis

(a) *De statu Monachorum.* (b) *C. 8. Si quis.*

nis se esse perfectos. III. Conc. Constant. Sess. ult. jubet denuntiari, ut hæreticos, qui crediderint, Jo. Hus, & Viclefum sanctos esse, aut injuste damnatos. IV. Alexand. VII. & Innoc. XI. damnant eorum sententiam, qui putant, per sacrilegam communionem satisfieri præcepto. V. An. 1687. proscripta est una cum aliis pluribus hæc Michaelis de Molinos assertio: *A' superiori si deè obbedire solo nell' esteriore*; ergo &c.

Prob. II. ex Ecclesiastica historia Sozomeni l. 6. c. 28. ubi narratur, S. presbyterum Eulogium *accedentium cogitatione usque adeo prænovisse, ut delicta eorum certissime argueret. Eos ergo, qui mali quidpiam patrassent, aut decrevissent aliquandiu, arcebat ab altari, delicta eorum in apertum proferens.* Vid. Soz. ex Valesii interpr. p. 679. Prob. III. ex Aug. qui de Mor. E. C. 30. de Ecclesia ait: *Tu fœminas viris suis non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem casta & fideli obedientia subjicis. Tu viros conjugibus sinceri amoris legibus præficis.* Ex quo sic arguitur, Ecclesia viris fœminas subjicit casta & fideli obedientia, fœminis autem viros præficit sinceri amoris legibus, sed obedientia casta, & amor sincerus ex intimo corde procedit; ergo &c.

Ob. I. Ecclesia non judicat de occultis ex c. *Sicut tuis*, & Trident. sess. 24. ergo nec præcipit. ℞. dist. ant. non *judicat &c.*, quoad vim *directivam*, neg. quoad *coactivam* subdist., defectu potestatis, neg., cognitionis, conc. Nam interiores actus ad Ecclesiam, rectoresque animarum spectare, supra probatum est. Eos etiam cohiberi, si ad Ecclesiæ notiam veniant ex factis laudatis evincitur. Hinc Trident. Syn. loco cit. loquens de malis ex matrimoniis clandestinis exortis, & de periculo damnationis ait: *Cui malo, cum ab Ecclesia, quæ de occultis non judicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur &c.*; ergo Ecclesiæ munus est etiam occultis adhibere remedium.

Quare

Quare S. Synodus hos contractus clandestinos nullos irritosque declarat, quamvis nullo jure sint vetiti; ergo Ecclesia etiam de occultis sententiam profert, licet nequeat de hoc vel illo in particulari judicare, nisi, notitiam habeat aut per testes, aut per confessionem delinquentium. Hinc ℞. II. dist. ant. Non judicat lege generali illos præscribens, aut vetans, neg., lege particulari, hunc aut illum puniens, nisi sciat leges suas violasse, conc.

Ob. II. D. Th. 1. 2. q. 91. ait: *De his potest homo legem ferre, de quibus potest judicare*, sed nequit homo judicare de internis: ergo nec legem ferre. ℞. dist. maj. De his potest legem ferre vi coactiva, conc., directiva, neg. De hac vi loqui D. Th. patet ex seq. ait enim: *Et ideo lex humana non potuit cohibere & ordinare sufficienter actus interiores.* Vel accipiendus est D. Th. juxta sententiam in individuo prolatam. Potest enim vetare Rom. Pontifex, ne eadem missa applicetur pro duobus stipendiis, quae applicatio est actus interior, sed ignorat Ecclesia, hunc in individuo sacerdotem ita applicasse, ideoque non punit, qnod faceret, si nosset.

Ob. III. Dist. 1. de Pœn. c. *Cogitationis* habetur: *cogitationis pœnam nemo patitur*, quod de humana lege accipiendum est; ergo &c. ℞. I. dist. ant. si nequeat probari, conc., secus, neg., punitur enim qui armarium aperuit, nec rem potuit asportare. Vid. Prob. 2. R. II. hunc canonem spectare ad jus civile, nam can. 20. ib. habetur. *Cogitatio non meretur pœnam lege civili.*

Inst. Lex civilis actum interiorem non præcepit; ergo nec Ecclesia. R. neg. conf. & paritatem. Lex enim civilis ad temporalem politiam directa est, Ecclesia ad animarum quoque salutem. Adde, in legibus etiam civilibus quædam esse, in quibus externus actus attenditur, ut venditio, locatio &c., quædam, quæ effectum intentant, ut maleficia: unde laud. c. 20. habetur: *Discernuntur tamen a male-*

maleficiis ea, quæ de jure effectum desiderant; in his enim nonnisi animi judicium consideratur.

Ob. IV. Ecclesia, utpote visibilis, debet humano modo operari; ergo &c. R. neg. cons. Nihil enim obstat, quin Ecclesia per legem humano modo prolatam ad actus internos obstringat, sicut per visibilia sacramenta spiritales producit effectus.

CAPUT IV.

Ad quos spectet leges ferre, iisque subjici.

PUTARUNT nonnulli, principes sæculares imperium tenere in res sacras, iisque ecclesiasticos viros, in iis etiam, quæ ad regimen Ecclesiæ spectant, subjectos esse, itaut, quantavis auctoritate præpolleant, non aliud munus exerceant, quam declarandi ac suadendi; contra quos sit

Propositio I. Potestates sæculares non habent auctoritatem statuendi leges ecclesiasticas.

Prob. I. Matth. 16. Soli Petro, & successoribus ejus data est ligandi, & solvendi potestas, & Act. 20. solos Episcopos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei; atqui sæculares nec episcopali, nec pontificali dignitate præfulgent; ergo &c. II. Nequit sæcularis potestas excommunicatum in communionem admittere; ergo &c. III. Nec potest sacras functiones obire, nam Ozias ea de re lepra percussus est; ergo multo minus potest sacra præscribere. IV. Nequit *judex sæcularis*, ut extat in Can. tit. de Judicibus *in spiritalia se intromittere*; ergo &c. V. Osius Cord. ep. ad Imp. ait: *Neque te misceas ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe &c.* Hilar. ep. ad Const. eum monet, *ut provideat, ne judices præsumant caussas cognoscere clericorum.* VI. Non spectat corpori spiritum regere; ergo nec temporalibus potestatibus ecclesiasticam communitatem; ergo &c.

Propositio II. Possunt tamen leges ferre ad divinas,

vinas, & ecclesiasticas promovendas, non ut judices, sed ut defensores, & vindices.

Prob. I. Ex Scripturis. David enim jussit, arcam Dei a Levitis afferri de domo Obededom, sed jam Dominus Levitas elegerat ad portandam eam. Joas sancivit, congregandam pecuniam ad ædificium Templi, sed soli Levitæ arcam pecuniæ deferebant: idque a Moyse statutum erat Exod. 30. Josias celebrandum phase constituit, sed juxta verba libri fœderis ex c. 5. v. 2. Adde exempla Ezechiæ, aliorumque apud Aug. in ep. ad Bonifacium. II. Fecit conditio temporum, ut pro divinarum & ecclesiasticarum legum custodia, fideles etiam infidelium principum opera uterentur, sic Judæi Persarum rege usi sunt pro constructione secundi Templi. Ptolomæus diremit controversiam de Jerosolymitano, & Garizim. Templo, Paulus Cæsarem appellavit, Justinus, aliique Imperatoribus exhibuere Christianæ fidei apologias; contra Paulum Samosatensem etiam Aurelianus sententiam dixisse fertur. Athanasius ante Probum contra Arium disputavit: Eugenius ante Hunnericum. Alios apud Christianos principes, nedum ecclesiasticas leges promovisse, sed & Synodos coegisse, & Episcoporum electionibus præfuisse fatemur. Et in antiqua epigraphe Constantinum dici, *auctorem religionis, & fidei.* Carolum Magnum, *veræ religionis rectorem*, Britanniæ regem, *Dei vicarium* dictos esse concedimus.

Verum ex his non evincitur auctoritas potestatis sæcularis in Ecclesiam. Exempla enim primo loco producta ostendunt, reges Israel nullas tulisse de sanctuario leges, sed statuta a Moyse servanda curasse. Quæ vero secundo loco ex Augustino producta sunt, ostendunt, quomodo reges Domino in timore servire debeant: *Ea, quæ contra jussa Domini fiunt, religiosa severitate prohibendo.* Debent enim principes Deo rationem reddere propter Ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt, ex

Isidoro

Isidoro Hisp. Imperatores vero idololatriæ fuerunt Dei ministri, & *vindices in iram eis, qui male egerunt*, ex Ap. Rom. 13. Quæ ergo ab iis pro Ecclesia tuenda gesta sunt, non probant imperium in res sacras, sed Christianæ fidei triumphum ex ipso hostium patrocinio: idcirco tot splendidissimis titulis reges Christiani sunt insigniti, & fidei, & religionis auctores dicti sunt.

Propositio III. Pollent Ecclesiæ pastores nedum directiva, sed etiam coactiva auctoritate.

Est contra Grotium, M. Ant. de Dominis, aliosque vetustiores, quorum assertum ab Ecclesia proscriptum est, eamque damnationem recepere ann. 1330. DD. Parisien., ex quibus aliqui plura pro nostra sententia scripsere, ut Gerson, Hervæus, Petrus de Alliaco, Hallierius, aliique, & Prob. I. exemplo Christi, qui profanatores ejecit e templo, ac Petro potestatem fecit *ligandi* &c., atqui ligantur etiam inviti; ergo &c. Petrus ipse Ananiam & uxorem acri objurgatione interemit. Paulus Elymam luce privavit, tradiditque satanæ in carnis interitum Corinthium fornicarium. Veteres etiam sacerdotes cæcum natum, item Stephanum, & Paulum ejecerunt a synagoga, quod, etsi summa injuria factum est, ipsorum tamen coactivam facultatem satis ostendit. II. Hanc vim Ecclesiæ pastorum coactivam ostendunt plures ab iis latæ excommunicationis sententiæ, quibus fideles cogi ex eo patet, quod inviti a communione arceantur, unde abscindi dicuntur, erui, ac projici in ep. ad Gal. & Matth. 5. Idem probant patrata miracula. Nam, præter Ananiæ, & Elymæ exempla, excommunicatum ab Ambrosio famulum Styliconis a dæmone discerptum, & Eudoxiam a Chrysostomo communione privatam infelicem exitum habuisse narrat historia. Idem de ejectis ab Ecclesia Judæorum narrat Jos. lib. 2. de Bell. Jud.

III. Coactiva Ecclesiæ vis ostenditur etiam ex ipsa

ipsa ab Ecclesia expulsione, quæ mandatur l. 2. Const. Ap. c. 57. Qua de re Ostiarios institutos narrat Ivo Carnot., aliique. Et S. P. l. 6. Conf. c. 2. narrat, vetitos ab Ostiariis eos, qui ad memorias Mart. panes, vinumque deferre volebant. Nicephorus l. 6. scribit, Numerianum a S. Babyla pulsum ab Ecclesia. Ambrosius purpura Imperatoris Theodosii apprehensa, post cædem Thessalonicensem, a sacris liminibus prohibuit, teste Theodor. l. 5. H. E., Sozom. l. 7. & Niceph. l. 12. IV. Idipsum invicte demonstrat S. Gregorii VII. zelus, & constantia, qua Henricum primo paterne adhortatum, tum graviter monitum, ut a Simoniacis investituris abstineret, nec resipiscentem, indicta Synodo omnium votis regno privavit: cujus sententiæ æquitatem infelix Henrici exitus comprobavit, Vide Pagium ad ann. 1076, ubi hæc testimonio scriptorum illius ætatis confirmat.

Dices. Chrysostomus, aliique fatentur, non esse Ecclesiæ Pastoribus vim cohibendi homines a delictis; ergo &c. R. loqui SS. PP. de vera fide & innocentia, quæ cum animo inhæreat, persuasionibus, non vi promoveri debet, ut alieni ab Ecclesia trahantur verbo, non compellantur imperio.

Propositio IV. Non repugnat spiritali Ecclesiæ regimini temporalis regni potestas.

Prob. I. scripturis: quæ veteres Patriarchas Noe, Abraham, Jacob &c. sacerdotio functos esse, victimasque mactasse docent: & Melchisedech rex Salem *sacerdos erat Dei altissimi*, ex Gen. 14. Idem de Moyse, Eli, Samuele, & Machabæis ex libris Exodi, Regum, & Machabæorum ostenditur. Christus Dominus, quem David *sacerdotem in æternum* vocat, *secundum ordinem Melchisedech*, *rex Judæorum* a Magis dictus Matth. 2. regiam sibi auctoritatem collatam a Patre declarat Matth. ultimo: nec se, utpote regem, teneri ait ad solvendum tributum, licet ad evitandum scandalum, solvi jusserit ex Matth. 17. Prob. II. ratione. Utraque enim pote-

poteſtas, & finis utriuſque alter alteri ſubordinari poteſt, ut idem corpus carne ac ſpiritu eſt conflatum, ut infra oſtendemus: nam & ipſi hæretici in una Angliæ regis perſona politicam ſimul, & eccleſiaſticam poteſtatem agnoſcunt. Reges etiam apud Æthiopes Ægyptios, Spartanos, Athenienſes, Romanos ſacerdotes fuiſſe narrant Diodorus, Plutarchus, Plato, Livius. Hinc Virg. 3. Æn. ait: *Rex Anius rex idem hominum, Phebique ſacerdos.* Hinc Servius ait ad hunc locum: *Majorum hæc erat conſuetudo, ut rex eſſet ſacerdos, & Pontifex, unde Imperatores dicimus Pontifices.* Hinc tamen non infertur, poſſe ſæcularem poteſtatem jura ſacerdotum uſurpare; ſcribente Apoſt. Hebr. 5. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.*

PROPOSITIO V. Pluribus argumentis oſtendi poteſt, Rom. Pontifici etiam civilem poteſtatem competere.

Momentum I. ex ſcripturis. Nam Jer. c. 1. habetur: *Ecce conſtitui te ſuper gentes, & regna &c.*, quo teſtimonio utitur Innoc. III. Ep. ad Imp. Conſtantinop. Accedit facta Petro ampliſſima ligandi, ac ſolvendi poteſtas, & oves paſcendi. Tandem ex Ap. nos ſumus unum corpus, & plura ſub uno capite membra, ſed ad caput ſpectat membra dirigere; ergo &c. Mom. II. ex Ss. Can. ſtatutis & præſertim cap. *Poſtulaſti* in Extrav. & c. *Quidem ea*, ubi Rom. Pontifex percuſſores clericorum pœna pecuniaria multavit, militibuſque paravit ſtipendia. Mom. III. ab exemplis Rom. Pont., qui reges, & Imperatores depoſuere. Mom. IV. ex PP., inter quos Bern. de Conſid. duos gladios Pontifici tribuit, alium manu ſua, alterum ad ejus nutum evaginandum. Vid. Bellarminum, Turrecrem. &c.

Rom. V. ex ratione D. Th. qui 2. 2. q. 40. a. 2. ait: *Omnis perſona, ad quam pertinet finis, habet diſponere de iis, quæ ſunt ad finem*, ſed omnis civilis poteſtas ordinata eſt ad bonum ſpiritale, cui

præeſt Rom. Pontifex; ergo is diſponere poteſt de omni poteſtate civili. Prob. min. ex Ep. Theodoſii ad Cyril. ubi ait, *Cæſarei eſt muneris, ut non ſolum pacifice, ſed pie etiam ſubditi vivant.* Et Ammianus, l. 39. ait: *Nihil aliud eſt imperium, niſi cura ſalutis æternæ.* Et S. P. l. 3. contra Creſ. 51. *In hoc ſerviunt Deo reges, ſi in ſuo regno bona jubeant, mala prohibeant, etiam quæ pertinent ad divinam religionem.* In corpore autem Eccleſiæ, quæ ad religionem, ac ſpiritale bonum ſpectant, ſacerdotali auctoritate regenda eſſe, & hanc eſſe veluti in corpore animam prob. ex Auctore Conſt. Ap. l. 2. c. 34. *Quanto ergo anima corpore præſtantior, tanto eſt ſacerdotium regno excellentius. Quocirca Epiſcopum oportet ut patrem diligere, & regem metuere.* Naz. Or. 17. alloquens principes ait: *Vos quoque imperio meo, ac throno lex Chriſti ſubjicit, æquum eſt enim ſpiritui carnem faſces ſubmittere.* Iſid. Peluſ. l. 3. Ep. 249. ait: *Ex ſacerdotio, & regno rerum adminiſtratio conflata eſt: illud enim eſt velut anima, hoc velut corpus;* ſicut ergo anima non tantum ſpiritales actiones regit, ſed etiam corporalia membra movet, & ſi rationi adverſentur, coercere debet, ita in corpore fidelium Rom. Pontifex moderatur ſpiritalia, & ad ejus nutum diriguntur imperia.

Ob. I. Lucæ 12. renuit Chriſtus inter duos fratres, de hæreditate diſputantes, ſententiam ferre. Jo. 6. in montem aufugit, ne rex fieret, & 18. ib. ait: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Ap. 2. Tim. 2. ait: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus;* ergo &c.

R. ad I. Non debuiſſe Chriſtum fratrum hæreditatem dividere, quia; licet poteſtatem omnem haberet in cælo & in terra, non eſt tamen conſtitutus, ut per ſe vilia ac terrena moderetur, quæ ſæcularibus mandat, ut anima corporeos motus membris imperat, 2. quia Chriſtus nondum Eccleſiam acquiſierat ſanguine ſuo, 3. quia non decebat regem

gem pacificum inter fratres dividere. Ad II. renuit rex fieri, non enim debebat regiam a terreno populo auctoritatem recipere. Ad III. Regnum suum de hoc mundo esse negavit, & quia non ab homine, sed a Deo accepit, & quia regnum suum dixit Ecclesiam, & fideles, in quibus regnat; non hæreditate terrena, sed prædestinatione divina. Unde *non ait, regnum meum non est hic, sed non est hinc: hic est enim regnum ejus usque in finem sæculi*, ut ait S. P. tr. 115. in Jo.; ergo in hoc Christi regno continentur etiam reges fideles, qui Christi vicario subjiciuntur in spiritalibus, adeoque in ipsa regni administratione, prout Dei cultum, & tutelam religionis importat. Ad IV. Vetat. Ap. ne Domino militantes, ideſt clerici Ecclesiæ addicti, negociis sæcularibus, puta mercimoniis, negociis forensibus, & usui armorum, sese admisceant. Verum ut dux præsidet iis, quæ ad bella spectant, ita Rom. Pontifex iis præest, quæ terrenam remp. respiciunt, ad spiritale bonum directam, neque a religione divulsam.

Ob. II. spiritalis, ac regia potestas invicem pugnant, adeoque a Christo sunt separatæ. Hinc PP. complures docent, Ecclesiæ interdici imperium, ac pastorale dominium; ergo &c. R. neg. conſ. Sicut enim anima & corpus, licet invicem pugnent, junguntur tamen una, ita ut illa corpus dirigat, & coerceat: ita spiritalis potestas diversam habet naturam a potestate civili, & simul consistunt in Rom. Pontifice, qui utraque utitur, ubi opus fuerit, ne adversus Petram, Ecclesiamque possint portæ inferri prævalere, ut ait D. Th. Cantuar. Ep. 97. Hæ duæ potestates erant ante Christi adventum permixtæ, iisque sacerdotes præerant Templo & Urbi; victimas immolabant, & exercitus regebant, nunc autem Rom. Pontifex spiritalia per se, per administros autem terrena moderatur; recte ergo monent SS. PP., ne Ecclesiastici immediate terrena moderentur, sed, si potestas civilis spiritali,

tali, & corpus animæ opponatur, tenetur Pontifex ipsam potestatem civilem cohibere: ex quibus argumenta Grotii, aliorumque solvuntur.

Propositio VI. Legislator & ipse aliquo pacto suis legibus obstringitur.

Dixi aliquo pacto: non enim absolute subjicitur alicujus positivæ legis imperio, cum hoc stringat solos inferiores. Hinc princeps suis legibus non subjicitur, quoad vim coactivam, tenetur tamen suam legem servare vi superioris legis æternæ, ac naturalis jubentis, ut omnia sint ordinatissima caput inter & membra. Nam Matth. 23. Christus eos redarguit, qui aliis *imponunt onera gravia, digito autem suo movere nolunt.* Et dist. 9. c. *Justum* habetur: *Justum est principem legibus obtemperare suis.* Ambrosius ep. 21. sic Valentinianum alloquitur: *Quod præscripsisti aliis, præscripsisti tibi. Leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat.* Accedit ratio. Debet pars universo congruere, ex Aug. l. 3. Conf. 8. sed princeps est reipublicæ caput; ergo debet aliis conformis fieri, ut medicus, qui dum ipse a morbo detinetur, debet iisdem remediis uti, quæ aliis præscripserat.

Propositio VII. Advenæ & peregrini tenentur legibus locorum, ad quæ accedunt, non unde abiere.

Prob. ex Aug. ep. 18. ad Jan. ubi ait: quod *neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum est.* Ambrosius etiam de Mediolan. jejunio ab Augustino rogatus R. *Cum Romam venio, jejuno sabbato, cum hic sum, non jejuno. Sic tu ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.*

Ob. I. S. P. ibidem ait: *Totum hoc genus rerum liberas habet observationes;* ergo &c. R. dist. ant. *liberas* &c. extra Ecclesiam, ubi laudabili usu ea probata sunt, conc., secus, neg. Decet enim, ut pru-

dens Chriſtianus, *eo modo agat, quo agere viderit eccleſiam, ad quam forte venerit.*

Ob. II. Epiſcopus loci, unde advenæ tranſeunt, nequit eos matrimonio jungere, aut ad ordines promovere. Latinus etiam in Græcia, Græcus in Latio ſuis ritibus utuntur; ergo &c.

R. In his, & ſimilibus ab Epiſcopis, & Synodis ſtatutas exceptiones ad tollenda ſcandala, & ſchiſmata, ut de Græcorum, & Latinorum ritibus (1) ſtatuit Florentina Synodus.

CA-

(1) De ritibus Italo Græcis egregie pertractavit Benedictus XIV. in tract. de Synodo Diœceſana, nec non in ſua Conſtitutione edita die 26. Maii 1742. ubi inter tot alia ſapientiſſime conſtituta hæc habet: „Cum „in Florentino Concilio „præſcriptum ſit, ut u„nuſquiſque ſacerdos „Euchariſtiam juxta Ec„cleſiæ ſuæ ritum, ſive „Latinæ, ſive Græcæ in „azymo, ſeu fermenta„to conficere valeat, „vetitumque a Romanis „Pontificibus, ne Lati„nus ſacerdos Græco ri„tu, aut Græcus Latino „utatur, diſtrictius inhi„bemus, etiam ſub pœ„na perpetuæ ſuſpenſio„nis a divinis, ne pres„byteri Græci latino mo„re & Latini Græco ri„tu, ſub quovis licentia„rum, & facultatum Miſ„ſas, & alia divina offi„cia, Græci Latino mo„re, & Latini Græco ri„tu, celebrandi ab Apo„ſtolica ſede, vel ejus „legatis, ac etiam majo„ri Pœnitentiario obten„tarum prætextu, cele„brare præſumant." Vide Flor. Conc. in Bull. unionis, & S. Pii V. Conſtit. *Providentia Romani Pontificis* ed. an. 1566. Falluntur ergo Diana Reſol. 99. Macedo de Clav. Petr. l. 4. c. 5. & Henno de Euch. q. 2. concl. 2. qui cenſent, Græcis apud Latinos commorantibus, aut peregrinantibus fas eſſe conſecrare azymum, & ex adverſo Latinis apud Græcos fermentatum,

CAPUT V.

De immunitate, & asylo.

IMmunitas sive locorum, sive personarum, est libertas a communibus oneribus, muneribusque. Eique affine est jus securitatis, vel asylum, ita dictum ab *a* privativo, & συλάω, *rapior*, quasi locus refugii. Sit itaque

Propositio I. Clerici legitime possident bona temporalia.

Prob. I. Ex veteri Testamento. Num. 25. habetur: *Præcipe filiis Israel, ut dent Levitis de possessionibus suis urbes ad habitandum, & suburbana eorum per circuitum.* Jos. 2. *Dederuntque filii Israel, de possessionibus suis juxta imperium Domini.* Dices hæc data esse Levitis, ut habitarent, non ut potirentur, sed contra. V. 12. habetur: *Agros & villas datas Caleb ad possidendum.* Et Lev. 25. *Domus urbium Levitarum pro possessionibus sunt inter filios Israel*; ergo &c. Prob. II. Ex novo Testamento. Nam in ipsis exordiis Ecclesiæ *quotquot erant possessores agrorum, aut domorum vendentes afferebant pretia ante petes Apostolorum* ex Act. 4. ergo Apostolorum arbitrio pecuniæ subjiciebantur. Hinc Beda recte colligi putat, Dominum ad informandam Ecclesiam loculos habuisse. Prob. III. Ex Patribus. Gregor. M. ep. 19. recenset pensiones domorum, quas ecclesiam S. Agathæ habuisse constabat a Gothorum temporibus. Domos ecclesiarum proprias

 laudat

tum, nec obstat commune proloquium: *Cum fueris Romæ, Romano vivito more*, nec Augustini monitum ep. ad Bonif. 54. ubi traditur servandam esse Ecclesiarum, ad quas proficiscimur, consuetudinem. Aliud enim judicium ferendum est de ritu sacrificii, ad quem servandum sacerdotes sacramento ordinis initiantur, aliud de variabili consuetudine, cujusmodi sunt festi dies, & jejunium sabbati, de quo in ea epistola Augustinus.

laudat etiam Eusebius l. 7. Hist. Eccl. ibique Joannes Papa c. *ut in domibus* vetat exerceri judicia; ergo &c.

Propositio II. Clerici, eorumque bona ab omni civili onere gaudent immunitate.

Prob. I. Scripturis. Genes. 47. Joseph Pharaoni subjecit totum Ægyptum, *præter terram sacerdotum*, & vers. 26. habetur: *Ægypti regibus quinta pars solvitur absque terra sacerdotali, quæ libera fuit.* Num. 3. *Tribum Levi noli numerare, neque pones summam eorum cum filiis Israel.* I. Esdr. 7. Artaxerxis edicto vetatur, *ne ministris domus Dei vectigal imponatur.* Matth. 17. Christus ait Apostolis: *Reges terræ a quibus accipiunt tributum? A filiis, an ab alienis? ergo liberi sunt filii,* ubi Hieronymus ait: *Nos pro illius honore tributa non solvimus, & quasi filii regis a vectigalibus immunes sumus.* Prob. II. Ex Conc. Lateranen. IV. sub pœna excommunicationis, vetatur, ne reges ullas collectas, decimas &c. clericis, prælatis, aliisque ecclesiasticis imponant. Trid. Syn. sess. 25. Ecclesiæ *immunitatem Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constitutam* esse declarat. Eadem habet Conc. Aurel. IV. Tol. III. & IV. Colon. &c. Accedunt decreta Adriani VI. Clementis VII., Pii III. & IV. Declarat etiam Bonifacius VIII. Ecclesias, & ecclesiasticos *etiam jure divino* a sæcularium exactionibus immunes esse. Vide Bullam *in Cœna Domini.* Idem sancitur a jure civili ex c. *De sacrosanctis Ecclesiis* l. 5. *Placet*, & l. 8. *Sacrosancta.* Et l. 6. *Presbyteros*, & in Aut. *Statuimus*, qua Fridericus I. Imp. revocat omnia huic immunitati quomodolibet adversantia.

Prob. III. Ex Patribus. Chrysostomus hom. 65. in Gen. 47. exposito mandato Joseph, quo a vectigalibus excipiebatur solum sacerdotum terra, ait: *Si errantes illi, ex hoc putabant idola magis coli, si ita eorum ministros colerent, quanta non condemnatione digni, qui nunc imminuunt, quod ad sacerdotum Dei spectat cultum?* De Hieron. dictum supra.

S. P. A.

S. P. A. l. 1. Q. Evang. 23. ait: *In omni regno filios non esse vectigales, multo magis liberi esse debent in quolibet regno terreno filii regni illius, sub quo sunt omnia regna terrena.*

Prob. IV. Ratione theol. I. Clericus a κλῆρος *sors* dictus est, quia in sortem Domini est electus, ex Augustino, Isidoro &c. sed per hoc a vectigalibus immunis esse debet; ergo &c. Prob. min. I. enim nemo inferior ad ea cogit filium, aut hæredem alicujus sæculari dignitate præeminentis. II. Æquum est, ut clerici a Dei cultu non abstrahantur, sed absque inquietudine suæ legi deserviant. III. Summa Deo injuria irrogatur, si majori honore habeantur idolorum flamines, quam ejus ministri. IV. Leges subvertuntur, si homines audeant angelis imperare; ergo &c.

Prob. V. Ratione politica. Censent enim nonnulli principes sæculares, ecclesiasticos a tributis non esse immunes, ob reipublicæ commodum, plebisque levamen: & sane ubi necessitas postulat debent Ecclesiæ præsules sacra vasa frangere exemplo Augustini. Sed aliud est clericis habendam esse rationem de publica necessitate, aliud sæculares bona invadere clericorum, quibus si putant vires acquirere, & thesauros augere, magno in errore versantur. Direptis quippe in Anglia reditibus ecclesiasticis, quorum census annuus computabatur librarum, quas vocant sterlingas 320180. rex Henricus VIII. pauperrimus factus plura solus imposuit vectigalia, quam omnes simul per 500. an. ejus antecessores, teste Sandero de Schism. Angl. Emmanuel Lusitaniæ rex coactus est decimas fructuum remittere, quas exigebat ex concessione Leonis, eo quod omnia illi sinistre evenirent. Præclarum hac de re Clotarii regis exemplum narrat etiam Gregorius Turonensis l. 4. Hist. Franc. c. 2. ergo &c.

Ob. I. Matth. 17. Christus pro se & Petro didrachma solvit in ore piscis inventum; ergo &c. R. neg. cons. Nam ex hoc exemplo eruitur oppositum. I.

enim ait Chriſtus, ſe utpote filium immunem eſſe a tributo ſolvendo, quod ab alienis exigitur. II. ait, a ſe perſolvi propter ſcandalum, *ut non ſcandalizemus eos.* Unde S. P. l. 1. de Conjug. adult. 14. hæc ſcribit: *Chriſtus Dominus, cum ſe tributum non debere monſtraſſet, ſolvit tamen, ne ſcandalizaret eos, quibus ad ſalutem conſulebat.* R. II. poſt Hilarium, Bellarminum, Gonzalez &c. ibi ſermonem fieri de medio ſiclo ſolvendo ad uſum Templi, Exod. 30. ſed verior eſt prima reſponſio, quia Chriſtus etiam ab eo ſolvendo ſe liberum dicit. II. Quia ea data occaſione etiam de tributo, & cenſu Chriſtus loquitur. III. Quia didrachma pondere idem erat ac denarius, Exod. 30.

Ob. II. Matth. 22. ait Dominus: *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris Cæſari* &c. ergo &c. R. neg. conſ. Non enim ſunt Cæſaris, quæ Domino, ejuſque miniſtris ſunt conſecrata.

Ob. III. Roman. 8. habetur: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; etiamſi Apoſtolus ſit, Evangeliſta, Propheta* &c. addit Chryſoſtomus in hunc locum; ergo &c. R. diſt. ant. Subdita ſit, *juxta divinam ordinationem*, ut ait Apoſtol. itaut major ſit Eccleſiæ, quam mundi poteſtas, & ſacrarum legum, quam civilium, conc. ſecus, neg. Cum ergo leges civiles canonicis non repugnent, tenentur clerici eas ſervare, in quantum jure canonico ſunt confirmatæ; in his ergo, quæ pugnant cum Eccleſiæ decretis, ut vectigalia imponere, cogere ad pugnam &c. clerici ſubditi non ſunt ſæculi poteſtatibus, nec ſunt iſtæ Dei ordinatione *ſublimiores.*

Ob. IV. C. *Si tributum* 2. p. decr. c. 11. q. 1. habetur: *Si tributum petit Imperator, non negamus: Si agros deſiderat, poteſtatem habet;* ergo &c. R. diſt. antec. *Non negamus* de facto, conc. de jure, neg. Ita Gloſſa decreti, quæ ex oratione Ambroſii de non tradendis Baſilicis deſumpta eſt, ubi narrat, Arianos ipſum circumveniſſe, ſicut

olim Judæi Chriſtum, ut Baſilicas traderet, ut enim *illi quærebant, utrum ſolvendum putaret Cæſari jus tributi, iſti Imperatori volunt dare jus Eccleſiæ*. R. ergo S. D. nullo modo Eccleſiam Imperatori tradendam, cujus non præfert imaginem. De agris autem, quia periculoſum erat hæc etiam negare principi, cui perſuaſerant aulici omnium habere dominium, R. II. S. D. *Non faciant de agris invidiam, tollant eos, ſi libitum eſt: Imperatori non dono, ſed non nego;* perperam ergo ex canone illo adverſarii patrocinium quærunt.

Ob. V. C. *Pervenit* tit. 49. lib. 3. Decr. ſtatuitur, clericos a murorum cuſtodia non excuſari, ſed omnes compellendos; ergo &c. R. diſt. ant. In gravi patriæ periculo, conc. ſemper, nego.

Ob. VI. in C. tit. de Sacroſ. eccleſiis l. 7. habetur, etiam eccleſias teneri ad ſolvendum pro Imperatoris itinere, & hoſpitio; ergo &c. R. neg. conſ. Non enim agitur hoc loco de tributis & vectigalibus, ſed de viaticis & hoſpitio, ad quæ non civilibus legibus clerici obligantur, ſed canonicis & decreto Jo. IX.

Ob. VII. Ex immunitate clericorum tollitur principibus robur ad hoſtes propulſandos, ad levandam annonæ caritatem, & Eccleſiam protegendam; ergo &c. R. neg. ant. Oppoſitum enim evincitur ex ſacris literis & ex ipſis profanis hiſtoriis ſupra laudatis: nam Iſraelitas majores reportaſſe victorias Levitis circumferentibus arcam, quam militibus arma tractantibus, omnibus notum eſt, atque extructum ab iis Templum celeberrimum, & urbem ampliſſimam, exhauſtis in captivitate theſauris. Verum urgente neceſſitate tributum perſonis, boniſque clericorum imponi poteſt ab Eccleſia, non autem a ſæculari poteſtate.

Propositio III. Immunitatem eccleſiaſticam quocumque jure inductam, ſive perſonarum, ſive locorum nefas eſt violare.

Dixi quocumque jure: sunt enim, qui putant immunitatem ecclesiasticam sola principum liberalitate institutam, posse ab iis revocari, vel minui. Reapse Constantinus a muneribus civilibus clericos declaravit immunes, ut patet ex l. 2. *Qui divino*, quam legem confirmat ipse Constantinus in Ep. ad Episcopos Numid. Idem præstitit Constantius l. *Juxta sanctionem*, qui etiam addidit leges 9. & 10. quibus clerici eximuntur a sordidis muneribus. Idem statuerunt Gratianus, Theodosius, & Justinianus Imp. nec non Galliarum, & Hispaniarum reges Clodovæus, Clotarius, & Childebertus apud Thomass. de Eccl. disc. p. 3. l. 1. c. 34.

Verum his non obstantibus immunitatem, non a principum munificentia, sed a lege superiori, divina, & ecclesiastica ortam esse ex dictis eruitur. Nam personarum immunitas Prop. 2. ex Levitarum exemplis, & ex Christi sententia de censu didrachmatis ad evitandum scandalum aperte colligitur. Immunitas etiam locorum ex præcepto Exod. 21. colligitur, ubi statuitur, evellendum quoque ex altari eum, *qui per insidias occiderit fratrem suum*, cum tamen homicidis aliis altare esset perfugii locus. Hinc Trid. Syn. sess. 25. definit, immunitatem ecclesiasticam *Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus* esse constitutam, & Conc. Later. IV. sess. 9. *Jure tam divino, quam humano.* Leges etiam ecclesiasticas spectantes ad immunitatem ecclesiasticarum personarum citavimus Prop. 2. ad Locorum vero immunitatem proferentur prop. seq.; ergo immunitas tam divina, quam ecclesiastica lege fuit instituta.

Imo illam confirmat lex naturalis singulis hominibus indita, per quam Ægyptii reges immunitatem sacerdotibus concessere. Orestes occisa matre ad aram Apollinis confugiens liber evasit. Pausanias proditionis patriæ reus aufugit ad templum Palladis; & ad Dianæ templum confugientes, ad Junonis aram, aliorumque idolorum erant securi. Vide

de Thucididem de Bello Pelop., Cicer. Act.3. in Verrem, August. de C. D. l. 1. c. 4. Principum ergo de immunitate constitutiones non tam sunt liberalitate, quam æquitate præscriptæ: ecclesiasticos vero præsules constitutiones ipsas probasse, quod Ecclesia diu vexata eorum ope indigeret, ut propria jura tueri posset.

Prob. ergo his prænotatis prop. hoc dilemmate: immunitas Ecclesiæ aut Dei ordinatione, ac jure divino constituta est, aut regum liberalitate. Si primum, est inviolabilis, cum inferior legem superioris abrogare non possit, & omnis potestas Deo supremo legumlatori subjecta sit. Quæ ratio valet, etiamsi immunitas esset constituta lege ecclesiastica, cum nulla civilis potestas major sit potestate Petro, ejusque successoribus concessa. Si secundum, est etiam inviolabilis, cum privilegium istud absolute, nullaque conditione apposita legibus Imperatorum supra citatis concessum sit, adeoque est perpetuum, nullaque ratione restringi potest, aut violari. Adde, Imperat. & reges testari, se immunitatem templis, & personis Deo sacris largiri ob utilitatem, quam reipubl. afferunt ministrantes in sanctuario orationibus, sacrificiis &c. *Scientes*, ait Constantius l. *In qualibet*, *magis religionibus*, *quam officiis*, *& labore corporum nostram remp. contineri.* Unde immunitas ecclesiastica hoc sensu dici potius debet justa merces, quam liberalis largitio.

Deinde repetere, quæ Ecclesiæ donata sunt, est repetere, quod Deo datum est, sed hoc est sacrilegium; ergo &c. III. Donatione facta immunitas transit in jus, & in potestatem, aut ecclesiarum, quæ supremo Domino sunt consecratæ, aut clericorum ipsis ecclesiis inservientium; ergo &c. Ut enim ait Ambr. de invadentibus Basilicas: *Ad Imperatores palatia pertinent*, *ad sacerdotem ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium jus commissum est*, *non sacrorum.* Idem dicendum de ecclesiasticis viris. Sicut

cut enim gravis regi injuria irrogaretur, ſi ejus palatium cives invaderent, bona diriperent, & familiares vi extraherent, licet hæc omnia civium liberalitate regi eſſent donata, quia hæc principis jam eſſent, non civium; ita Deo gravem injuriam afferunt principes, qui domus ejus, aut miniſtrorum lædunt immunitatem, licet ipſorum largitionibus templa conſtructa ſint &c. quia hæc vel jure, vel liberalitate collata, jam non Cæſaris ſunt, ſed Dei; ergo &c. Nec obſtant Juliani Apoſtatæ, aut Chilperici Gallorum regis decreta contra eccleſiaſticam immunitatem, illa enim Valentinianus, & Clodovæus abrogarunt, qui Juliano Apoſtatæ Conſtantinum, Juſtinianum, ac Theodoſium, Chilperico vero impiiſſimo Clotarium, Theodebertum, Childebertum, merito prætulere. Quod vero quidam proferunt de Heraclio, qui Perſis in imperium irruentibus ex aureis, argenteiſque vaſis eccleſiæ pecuniam cudit, nihil eſt: non enim vi, ſed mutua accepit hæc vaſa, eaque in ampliorem formam poſtea reſtituit.

Propositio IV. Recte latina vulgata Joſ. 20. connumerat quatuor civitates aſyli in Tribu Ruben, ſunt autem Boſor, Jaſer, Jethſon, & Mephaath.

Non extant quidem in cod. Hebræis, neque in conſcriptis tempore Thalmud, & Maſoretharum, at conſtat, eas optime poſitas eſſe, & prob. I. Nam v. 7. habetur, datas filiis Merari urbes 12. de tribubus Ruben, Gad, & Zabulon, ſed, niſi extarent quatuor urbes recenſitæ, non eſſent duodecim; ergo &c. II. Cum recenſeantur urbes Levitarum, cur prætermiſſæ eſſent aſſignatæ in Tribu Ruben. III. quia hæ quatuor urbes recenſentur etiam l. 1. Paral. c. 6. IV. extant & in vetuſtiſſ. cod. Chaldæo Complutenſi, & in Plantiniano, item in Græc. omnibus, in antiqua Itala: item in quibuſdam vetuſtiſſ. Hebraicis exemplaribus recte additas & appoſitas teſtatur Rab. Kimchi. V. In bibliis aliis deſiderari, nec poſſe aliter ſummam duodecim confici, teſtantur

tur Glaſſius, Maſius, Amama &c. Ex his ſequitur, vetuſtiſſimas eſſe leges aſylorum. Horum alia ſacra ſunt, alia profana: ſacra ſunt præſertim eccleſiæ etiam non conſecratæ, in quibus cauſæ ſanguinis agitari non debent, nec ab iis vi reus extrahi. Extenditur immunitas ad cœmeteria, & loca eccleſiæ adhærentia. Polluto tamen atrio, vel cœmeterio, templum interius non violatur: ex noto namque axiomate odia reſtringi, favores convenit ampliari. Aſyli privilegio non fruuntur publici latrones, nocturni depopulatores agrorum, graſſatores, quique in eccleſiis homicidia, & mutilationes membrorum commiſere, & ex conſtitutionibus Greg. XIV. Bened. XIII. Clem. XII., „ qui proditorie proximum occidit, aut aſſaſſinii, vel hæreſis, aut læſæ majeſtatis in perſona principis rei.

Gaudent etiam aſyli privilegio baptiſteria, quæ alicubi ſunt a templis ſejuncta, ut Romæ, Piſis, Florentiæ, Senis &c. Item Epiſcoporum palatia, ex Conc. Aurelianen. I. c. 3. & ex cap. *Id conſtituimus*, nec non S. R. E. Cardinalium, ex Leonis X. conſt. hoſpitalia etiam, monaſteria virorum, ac mulierum ex bulla Pii IV. *Dum ad uberes* ann. 1566. Aſyli rationem etiam gentiles habuiſſe, qui confugientes ad templa araſque deorum non trahebantur ad ſupplicium, teſtatur Auguſt. l. 5. de C. D. 4. ubi memorat aſylum Junonis, hinc Plautus in Moſtell. *Ego hanc aram occupabo*. Qui mos confugiendi ad aras, derivatus ex legibus Hebræorum infertur ex c. 21. Exod. & 3. Regum 1. Unde Demetrius Græcorum more templo Judæorum jus dedit aſyli 1. Mach. 10. Romulus etiam aſylum conſtituit inter Palatium & Capitolium. Datum etiam jus aſyli ſtatuis & ſepulcris principum, ut Athenis Theſei, Romæ Jul. Cæſaris.

CAPUT

CAPUT VI.

De lege canonica, & de canonum collectionibus.

NOT. I. Plures fuere Ss. canonum collectores, quorum complexio corpus Juris Canonici communiter appellatur. Dionyſius Exiguus monachus, Fulgentius Ferrandus Carthag. eccleſiæ diaconus, Creſconius, Anſelmus Lucenſis epiſcopus, Burchardus monachus, Ivo Carnotenſis, Deuſdedit Cardinalis, aliique apud Gonzalez: ſpecialiter tamen commemorandi ſunt Iſidorus, & Gratianus. Iſidori nomen præfert antiqua collectio, a canonibus Apoſtolicis ad ſecundam Synodum Hiſpalenſem, & complectitur etiam veteres decretales ante Siricium, quas non modo hæretici, ſed etiam catholici, licet ſaniori conſilio, cenſent ſuppoſititias. Illi enim cum Blondello & ſpurias habent eas decretales, & plenas erroribus. Turrianus, aliique etiam noſtrates, autographas, & catholicas. Nos vero cum Petro de Marca, Antonio, & Franciſco Pagio, Baronio, aliiſque interpolatas fatemur, ſed ſanæ doctrinæ.

Not. II. Plures exiſtimant incertum eſſe, an hujus collectionis auctor fuerit Iſidorus Mercator, an Hiſpalenſis; huic enim eam tribuunt Hincmarus, Trithemius &c., illi autem Scheleſtratus, Pagius, alii, quibus ſubſcribimus. Nam in vet. cod. S. Mariæ ſup. Minerv. habetur in præf. *Iſidorus Mercator lectori &c.* Nec aliter in Vaticanis. Adde, in ea collectione mentionem fieri VI. Synodi Gen. ann. 681. celebratæ demortuo an. 636. Iſidoro Hiſpalenſi.

Not. III. Alter canonum collector fuit Gratianus monachus Cluniacenſis, qui Cluſis in Etruria natus S. Benedicti inſtitutum Bononiæ in monaſterio S. Proculi amplexus, in altero S. Felicis & Naboris collectionem adornavit. In ea deſiderant omnes ordinem ac methodum, ſed barbara ſæcula, in quibus floruit, hunc nævum excuſant. Ejus auctoritatem

ritatem aliqui nimis deprimunt, alii plus æquo extollunt: nos medium iter incedimus. Sit ergo

Propositio I. Decretales ab Isidoro collectæ sunt magna ex parte suppositititiæ, sed sanæ doctrinæ.

Prob. I. pars ex ep. Leonis IV. ubi regulas omnes decretalium, & canonum singillatim enumerans, quibus tunc temporis Ecclesia utebatur in omnibus judiciis, non meminit decretalium Anacleti, Evaristi, aliorumque veterum Pontificum ante Siricium. Nec dici potest cum P. Coustant, additionem hanc factam in codice, qui Romæ servabatur ante dimidium VIII. sæculi. Nam hujus codicis extant in Vaticana tria exemplaria mss. in quibus omnibus eodem ordine canones sunt dispositi. Tria similia mss. extant in monasterio Erbachensi, queis addit Pagius codicem Vigilanum an. 876. quibusve nostra thesis firmatur. Prob. II. ex stylo, & sparsa per omnes similitudine jejunæ & dissipatæ orationis, quæ nec diversis auctoribus tribui potest, nec præsefert II. sæculi comptam, & elaboratam verborum circuitionem. Accedit silentium veterum, quibus hæ decretales ignotæ fuere: & frequens citatio textuum juxta vulgatam, quæ solum post Hieronymum obtinuit. Vide utrumque Pagium.

Prob. II. pars ex ep. 42. Nicolai I. ubi ait: *Si ideo non esse decretales epistolas Rom. Pontificum admittendas dicunt, quia in codice canonum non habentur adscriptæ; ergo nec S. Gregorii est aliquod scriptum recipiendum, quia in codice canonum non habetur adscriptum;* ergo per Nicolaum canonum collectio, nec confirmat, nec minuit decretalium auctoritatem. *Non enim omnia*, inquit, *in uno corpore compaginari possunt.* Adde collectores canonum nullam posse decretis Pontificum tribuere firmitatem; ergo iniquum est collectionem Isidori rejicere, eo quod plures decretales in veteri codice non habeantur. II. Licet Isidori decretales non

ſint omnes genuinæ, nequeunt tamen rejici velut ſpuriæ plures vet. Pontificum epiſtolæ a PP. & hiſtoricis laudatæ, ut Julii I. ab Athanaſio (*a*) laudata, Liberii ab Hilario (*b*), Damaſi ad epiſcopos Illyrici, de qua Theodoricus (*c*) aliæque complures; oportet ergo genuinas ſecernere a ſpuriis, quales ſunt tres decretales Anacleti, duæ Evariſti, 3. Alexandri, (*d*) Teleſphori, duæ Pii, duæ Soteris, 4. Victoris, 2. Zephyrini, Urbani 1. Anteris 1. S. Felicis 3. 2. Marcellini, 2. Marcelli, 3. Euſebii, 1. Melchiadis, epiſtola S. Marci, ſuppoſitum denique Damaſi decretum de libris recipiendis, de quibus Lupus, Pagius, Labbe &c.

III. Ipſæ ſpuriæ Iſidori epiſtolæ non ſunt temere rejiciendæ: I. quia eas probarunt, teſte de Marca, Gallicanæ eccleſiæ Præſules, II. quia illis, ut traditioni conſonis, fideles uſi ſunt uſque ad Concilium Conſtantiæ an. 1414. III. A ſcholis receptæ & commentariis ſunt illuſtratæ. IV. Soli hæretici ajunt, in iis errores deprehendi. V. denique catholicorum conſenſio, uſus univerſalis, cum ſacris litteris ac PP. harmonia earum orthodoxiam ſatis oſtendunt.

Propositio II. Canones a Gratiano collecti non aliam auctoritatem habent quam fontium, unde derivantur.

Prob. ex deciſ. S. Rotæ apud Pen. 480. *Quilibet canon inde relatus non habet majorem auctoritatem, quam in proprio loco conſiſtens de ſui natura eſſet habiturus. Nec Gregor. XIII. Gratiani librum tamquam legalem authenticavit, cum ſolum emendari juſſerit.* Adde, poſt Greg. emendationem adhuc extare errores aliquos, de quibus vide Placidum Bokn in controv. Jur. l. 1. tit. 2. Sequitur ex dictis, canones Conciliorum generalium a Gratiano produ-

(a) *Apol.* 2.
(b) *In frag.* (c) 2. *Hiſt. Eccl.* 22.
(d) Ex Gratiano diſt. cap. *Nocte Sancta* 5. 48. de Conſecr.

productos plenissimam habere auctoritatem, decreta Syn. Provincialium vim habere in provincia, pro qua sunt statuta, spectata approbatione, & confirmatione Rom. Pont., quæ addit canoni robur, non reddit ampliorem. Sequitur etiam, leges Imperiales, nisi constitutionibus Rom. Pontificum sint insertæ in foro canonico non valere; Patribus autem, historicis, & canonum collectoribus suam stare auctoritatem.

Idem dicendum de *Paleis*, quas ita dictas censet Fagnanus, quasi τα παλαια, idest *antiqua*, licet in vet. codicibus non reperiantur. Post Gratianum variæ sunt adornatæ canonum collectiones, inter quas celebris est, quæ nomen præfert decretalium Greg. IX. a divo Raymundo de Pennafort O. P. concinnata, item quæ dicitur liber VI. Decretalium sub Bonifacio VIII. edita an. 1298. Addidit Joann. XXII. *Clementinas*, idest Clem. V. constitutiones, quibus accessere *Extravagantes*, & *Extravagantes communes*, & liber octavus decretalium, qui est corpori superadditus. Gratiani decretum dividitur in partes tres. Prima continet distinctiones CI., & quævis dist. plures habet canones. Secunda continet caussas 36. & in his est ordo quæstionum, in quæstionibus canonum. Tertia De *Consecratione* habet distinctiones 5. Decretales Greg. IX. continent libros 5. I. habet titulos 43. II. habet 30. III. habet 50. IV. 21. V. denique 41. Quisque titulus habet capita & numeros. Sextus decretalium dividitur in libros 5. I. habet titulos 22. II. 15. III. habet 24. IV. 3. V. habet 12. quibus subjiciuntur regulæ juris 88. Clementinæ item habent libros 5. I. habet titulos 11. II. 12. III. habet 17. IV. unicum. V. 11. Extravagantes Joannis XXII. libri unius habent titulos 15. Communes habent libros 5. I. habet titulos 9. II. 3. III. 13. IV. locus est vacuus, V. 10. De VII. dictum supra.

Ex his facile dignosces, canonum citationes non omni-

omnibus notas: e. g. ex I. Parte decreti Gratiani ſic citantur canones, C. *ſi Romanorum*, diſt. 19. Ideſt in canone, qui incipit, *ſi Romanorum*, in diſtinctione 19. Ex II. Parte ſic. Can. *Nulli Epiſcoporum* III. q. 5. Ideſt in canone, qui incipit, *Nulli Epiſcoporum* Cauſſa 3. quæſtione 5. Ex III. Parte ſic, C. *Qui manducant* 58. diſt. 2. *de Conſecr.*, ideſt canone, qui incipit *Qui manducat*, ordine 58. diſtinctione 2. partis tertiæ decreti, qui inſcribitur *de conſecratione.* Decretales Gregorii ſic citantur, cap. *Recolentes* 3. *Extra de ſtatu monachorum*: nempe capite, quod incipit, *Recolentes* 3. quod eſt extra Gratiani decretum, titulo *de ſtatu &c.* Ex VI. decretalium ſic, Cap. *Si Apoſtolicæ* de Præb. in 6. ideſt in capite incipiente: *Si Apoſtolicæ* titulo de præbendis in ſexto Decretalium. Eodem modo alia citantur.

CAPUT VII.

De Apoſtolicorum canonum auctoritate.

NON una eſt ea de re eruditorum ſententia. Auctoritate Apoſtolica conditos eſſe, & antiqua traditione ad nos derivaſſe opinantur Binius, Turrianus, Gruterus, Lindanus, aliique, qui ajunt, eos fuiſſe a Clemente digeſtos. Circa finem V. ſeculi editos cenſent Dallæus, & Pearſonius. II. aut III. ſæculo Marca, Albaſpinæus, Beveregius, Hammondus, Blondellus, & Joſephus Scaliger. Vide Ant. Pagium, Nat. Alex., Scheleſtr., Beveregium. Sit itaque

Propositio I. Canonum Apoſtolicorum certus numerus definiri non poteſt.

Prob. I. Siquidem recepti olim ab Orientalibus ex Herveti interpretatione ſunt n. 84. apud Occidentales vero ſunt 50. ex quibus 45. de Baptiſmo hæreticorum eſt valde ambiguus. Eo enim uſus eſſet Firmilianus, aut Rebaptizantium aliquis adverſus Stephanum, ſi an. 256. innotuiſſet Occidentalibus

talibus. Videtur ergo iſte canon a rebaptizantibus congeſtus Iconii, aut Synadis, ut putant Baluzius, & Pagius, ut conſuetudinem a Stephano laudatam eo canone rejicerent. II. cap. *Sexaginta* diſt. 16. in ep. Zephyrini numerantur can. 60. in textu autem epiſtolæ habentur 70. Cap. *Clementis* 50. Cap. *Placuit* 85. III. in collectione 84. Herveti, licet non omnes, tamen præter 50. communiter receptos, plures eſſe antiquiſſimos eruditi fatentur; ergo &c.

Propositio II. Canones Apoſtolici etiam primis eccleſiæ ſæculis obtinuere.

Prob. I. ex Nycæna Synod. celebrata an. 325. ubi definitur c. 1. non eſſe excludendos a ſtatu clericorum eos, qui a barbaris per vim caſtrati ſunt: *Tales quippe admittit canon*, nempe 21. Apoſtolicus vetans, ne clericus fiat, qui ſibi ipſi virilia amputaverit. 2. canone vetat Nycæna Syn., ne nuper baptizati ad epiſcopatum, aut presbyteratum promoveantur, *contra eccleſiæ canonem*, nempe 79. Apoſt. cum can. 5. ſtatuatur, ab aliis ejectos non eſſe admittendos, *juxta veterem canonem*, nempe 33. Apoſt. Canone 10. laudatur canon eccleſiaſticus, qui ab eruditis putatur 61. Apoſtolicus. Conſtantinus etiam ep. ad Euſeb. & Antiocheni epiſcopi laudant can. 13. Apoſtolicum; conſtat ergo, ait Pagius, ante Nicæn. Syn. hos canones innotuiſſe. Prob. II. ex Antioch. Syn. an. 341. celebrata, ubi canones 25. ab ea editi cum Apoſtolicis conveniunt, qui cum non adeo ſint perſpicui, aut ampli (licet floridæ phraſeos priſcis ſæculis congruentis) facile conjicitur, Antiochenos, utpote ampliores, ex iis derivatos, non Apoſtolicos ab Antiochenis.

Prob. III. ex PP. Athanaſius ep. ad Orth. contra Gregorium Cappad. intruſum a præfecto Ægypti in ſedem Alexandrinam ait: *Non enim nunc dierum canones eccleſiis dati ſunt, ſed a PP. noſtris*, ſed nullus eſt ea de re canon Athanaſio prior, præter Apoſtolicum 73. ergo &c. Baſilius epiſt. ad Amphil. laudat antiquum canonem, quo deponi-

tur diaconus fornicarius, sed is est Apostolicus 25. ergo &c. Ubi nota: nos non tenere omnes canones 84. Apostolicos vetustos esse, & receptos ante tertium sæculum; sed eos ex Apostolica traditione, aut doctrina derivatos, qui cum Ecclesiæ fide omnino cohærent. Exploduntur ergo 65. de depositione clerici, si jejunet die Dominico, vel Sabbato, & 84. de canone script. Ex Apostolicis fontibus canones 50. fluxisse a Dionysio translatos declaravit Stephanus IV. in Syn. Later. an. 769. Act. 4. dicens: *Non amplius suscipiantur Apost. canonum prolata per S. Clementem, nisi 50. capita, quæ suscipit Rom. Ecclesia.* Nec obstat decretum Gelasii cap. *Sancta Romana* dist. 15. ubi legitur: *Liber canonum Apost. apocryphus*; 1. quia Gelasius loquitur de libro 84. canonum, de 50. capitulis, teste Humberto, qui adversus Nicetam ait: *Apostolicos canones numerant PP. inter apocryphos, exceptis 50. cap. quæ decreverunt fidei adjungenda.* 2. apocryphos dixit, ideft falso Apostolis tributos.

CAPUT VIII.

De legibus civilibus, & earum origine.

CIVILES leges imagines sunt divinarum: non est ergo inutile viro theologo aliquam illarum notitiam assequi. Itaque, præter hebraicas, & Ægyptias veniunt leges Atticæ, a quibus Romanæ habent originem. De his agunt Sigonius (*a*), Salmasius (*b*), Meursius (*c*), aliique a quibus ostenditur, Atheniensibus, post Cererem, omnium primum leges tradidisse Triptolemum, easque Solonem explicasse scribit Gellius l. 2. 10. Triptolemi leges sunt: *Parentes honorare, Deos fructibus colere, animalia non lædere*, ideft non vesci carnibus, ut

(a) *De repub. Athen.* (b) *De jur. Att. & R.*
(c) *In Them. Att.*

ut explicat Hieronymus. Speciales leges ſunt circa homicidium, matrimonium, furtum, maledicta, & magiſtratum. De homicidio ſtatutum eſt, nullum eſſe impunitum. Permiſſum juſtum bellum, ac filiis Patrum in eo decumbentium ſancitum alimentum uſque ad pubertatem.

De matrimonio ſcribit Pauſanias, legem adulterii vindicandi poſuiſſe Draconem. Et Solon, ex Plutarcho, adulterum permittit interfici: addit Sopater, adulterum etiam dote multatum, quæ cederet viro. Contumeliam ingenuis pueris illatam arguit Æſchines. Nothos inter propinquos non habendos ſtatuit lex Attica. Nefas erat etiam cum tutore, aut ejus filio virginem pupillam inire conjugium. Nupta vero cum impotenti poterat ad alium tranſire. Furtum etiam oleris, aut fructuum hortenſium morte multatur. Publici ærarii fraudator, aut debitor ab omni reipub. munere arcetur. A pupillis nil alienandum ſine Archontis poteſtate. Datur actio in falſos teſtes. Vetitum ſervo proſcindere conviciis liberum, & cuique maledicta jacere in mortuos. Magiſtratum nemo capiebat ante ann. 30. Scortatores & maleficos a ſuggeſtu lex arcebat, & nova lex 100. annorum conſuetudinem pro inviolabili auctoritate poſcebat. Poſt Atticas veniunt leges Romanorum, quarum aliæ a regibus latæ regiæ dictæ ſunt; aliæ tribunicæ a tribunis. Leges XII. *Tabularum* a decemviris ſancitæ. *Lex curiata* dicta eſt lata a magiſtratibus patriciis jam deſignatis. *Plebiſcita* erant decreta populi. Legès *triumphales* erant de jure triumphi. *Sacratæ*, quorum violatores diis ſacrabantur. Leges de rebus variis *Satyræ* a ſaltando dictæ ſunt. Plures a Legislatoribus nomen habent, ut *Aurelia*, *Pedia*, *Clodia*, *Hoſtilia &c.* Vid. Briſſ. (*a*). Inter Romanas leges præcipuæ ſunt leges ſacræ, quibus Romulus vetuit a plebeiis divina tractari (*b*), iiſque

 augu-

(a) *De verborum ſign.* (b) *Tullius l.* 3. *Nat. D.*

augures, & ſacerdotes conſtituit, vetuit nocturna mulierum ſacrificia, & vigilias in templis. Numa vero electis a Romulo ſacerdotibus ſexaginta addidit Flaminem, Dialem, Veſtales virgines, Salios 12. & Pontificem maximum ex Patriciis. Statuit etiam; *Ut Deos fruge colerent, & mola ſalſa litarent*, ait Plin. l. 8. Pro familiæ regimine legem recitat Feſtus: *Si parentem puer verberit, aſt olle plorasſit parentes; puer divis parentium ſacer eſto*. Nulla fuit lex Silvia, ideſt Romuli contra percuſſores parentum, quia id inhumanum putavit. Adoptio in filios lege *Curiata* fiebat apud Pontifices. Filii ut hæredes fierent erat lex *Junia Velleja*. *Æbutia* vetabat curationem affinibus. *Claudia* tutelam fœminarum conſanguineis mandat. *Atilia* tutorem præſcribit dandum a prætore. *Voconia* vetat, filiam hæredem fieri ſupra H. S. 25. m. Uxorem cum viro rerum ſociam, eoque functo cum filiis cohæredem conſtituit Romulus, ex Dionyſio, & Plutarcho.

De homicidio ſtatuit lex Cornelia, publico judicio damnandum, qui hominem occidit, aut ei venenum paravit, aut vendidit. Parricida L. *Pompeja* inſutus culeo cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & ſimia mergendus.

De adulteriis & divortiis erat Lex Julia, qua indicitur, *Adulterii convictam vir, & cognati, uti volent, necanto*. Stuprator verberibus necabatur. Pellex Junonis ædem non poterat tangere. Qui divortium faceret, ei diis inferis ſacrificandum. Corruptam veſtalem vivam defodi juſſit Numa. Vim facientes adoleſcentibus, aut pudicam ſollicitantibus, aut ſe proſtituentibus X. m. numm. multati ſunt. Vetitum lege XII. Tabularum Patricios cum plebe jungi, aut ingenuum cum libertina.

De furto in l. XII. Tab. habetur: *Si quis nocte furtum faxit, & in aliquis occiſit, jure cæſus eſto, ſi frugem noctu ſecuerit, necator, impubes verberator*. Furtum quodlibet vetat L. *Hoſtilia*. Plagiariis

giariis Lege *Fabia* pœna capitis irrogatur. Lege *Julia* punitur, qui ſocietatem iniit, quo annona carior fieret. L. *Agraria* extat de pecunia pro frumento contra jus accepta.

De conviciis, falſo teſtimonio, & calumniis habetur in L. xII. Tab. capite plectendum, qui carmine infamiam alteri inferret. *L. Cornelia* pœna irrogatur ei, qui falſum ſcripſerit teſtamentum, *L. Remmia* quibuslibet calumniatoribus. Falſus teſtis e ſaxo Tarpejo erat dejiciendus. Vide Sigonium, & Panvinium Tom. I. Rom. antiqu. Romanæ Leges cum Atticis concordant. Nam circa ann. 300. U. C. tres legati Roma Athenas adiere, ut Græcas leges in Latium deferrent. Poſtea leges illæ in x. Tabulas digeſtæ ſunt, duabus præterea adjectis. Suæ tamen leges Romæ fuere ante reges exactos. Romulus enim (ſi fides ſit Volaterranis fragm.) ſacerdotes, & augures Volaterris Romam accivit, & Leges Etruſcas populo denuntiavit, ſicque vetuſtiores Romanorum Leges ab Etruſcis ortum habent. Iſtæ enim cum illis, non ſecus ac Atticæ, mirifice congruunt, ut demonſtrat cl. auctor. Conſtat etiam ex earum collatione, Romanas, Atticaſque leges ex Hebraicis ortas eſſe, præſertim vero ex legibus adverſus homicidas, mœchos, fures, ac falſos teſtes. Lex enim Moſaica de homicidio Num. 35. extat apud Paullum l. 5. Sent. & Ulpianum l. 7. de officio Proconſulis. De adulteriis eadem eſt lex Lev. 20. ac Romana. Quod Moyſes ſtatuit de homicidiis fortuitis c. 5. extat ap. Paullum ibidem. Lex Moſis de percuſſione rixantium Exod. 21. non differt a Romanis legibus quæ extant apud Ulpianum lib. 8. Item inceſtus, turpiores concubitus, falſi teſtes, furta &c. iiſdem ferme pœnis Romanis legibus multantur, ac in lege Moſaica. Ex quibus conſtat, Romanas leges ab Atticis, haſque ab Hebraicis derivatas: Moyſes enim, ex Huetio l. 8. Demonſtr. Ev. c. 8. alios omnes legislatores præceſſit.

Leges recensitæ fere omnes spectant ad jus naturæ primarium, sed rerum ac regnorum vicissitudines peculiaria statuta addidere, quæ adeo excrevere, ut ante Justiniani ævum 37. juris conditores sint numerati. Quorum celebriores sunt Papinianus, Ulpianus, Paullus, Gregorius, & Hermogenes, qui Diocletiani tempore duos codices edidere. His tertium Theodosius adjecit continentem Imperiales constitutiones a Costantino, ad se ipsum. Justinianus ergo ex tribus Codic. Gregorii, Hermogenis, & Theodosii unum suo nomine edidit ann. 529. & sua auctoritate firmavit. Veteres etiam Leges sub nomine Digestorum, seu Pandectarum complexus est. Addens Juris Civ. institutiones: collegit etiam, quæ in primo codice erant omissa aut errata. Atque hic est codex Justiniani, quomodo utuntur JCC. Huic additæ sunt Novellæ, idest novæ constitutiones. His autem Authenticæ, seu breves sententiæ accessere, quibus Novellæ quasi imperatoria auctoritate fulciuntur. Corpus ergo universi Juris civilis constat Institutis, Digestis, seu Pandectis, Codice, Novellis, & Authenticis. Institutionum libri sunt quatuor, & continent universi juris epitomen. Digestorum libri 50. distincti sunt 3. volum., quorum 1. libros habet 24. & dicitur Digestum vetus. II. libros habet 14. & dicitur Digestum novum. III. dicitur *Infortiatum*, & habet libros 12. IV. dicitur *Codex*, & 9. habet libros Constitutionum Imp. usque ad Justinianum. V. continet 3. alios const. libros, idest 21. & 22. Novellas cum subjectis Authenticis 168. Textus citantur hoc pacto. D. significat digesta, ff. nota est librariorum ejusdem codicis, C. Codicem constitutionem designat. Novellæ & Authenticæ prima voce & numeris indicantur, e. g. l. 8. parag. 4. De seu ff. *de lib.* & *post. hær.* legitur sic: Lege 8. §. 4. in digestis, seu pandectis titulo *de liberis & postumis hæredibus.* L. *Addictos* 29. Cod. *de appell.* hoc

hoc eſt, Lege, quæ incipit *Addictos*, quæ eſt 29. in Codice titulo de appellationibus.

Præter corpus juris civilis eſt etiam Codex Legum antiquarum, ut Viſigotorum lib. 12. Edictum Theodorici cap. 154. Leges Burgundiorum C. 89. Lex Salica, Alamannorum, Baiwariorum, Ripuariorum, Saxonum, Anglorum, & Verinorum, Leges Longobardorum libris expoſitæ 3. Conſtitutiones Siculæ, Capitula Caroli Magni, & Ludovici Pii, nec non regnorum ac provinciarum ſtatuta, quæ ſingillatim perſequi longum eſſet.

CAPUT IX.

De legum exemptionibus.

TRIA ſunt, quæ ſubditos poſſunt a Legum obſervatione eximere. Privilegium nempe, diſpenſatio, & conſuetudo. De quibus breviter pertractabimus.

§. I. *De Privilegio.*

Privilegium definitur a Tullio, *Privata lex ſpeciali favore homini irrogata.* Ubi lex non proprie, ſed late accipitur. Proprie enim lex pro communitate conſtituitur, privilegium privatis irrogatur. Et melius dicitur conſtitutio, aut exemptio. Privilegium aliud eſt *Locale*, aliud *Perſonale*. l. ratione loci conceditur, ut immunitas eccleſiarum. Quod privilegium eſt perpetuum, niſi princeps certum tempus conſtituat. Perſonale eſt, quod alicui expreſſo nomine conceditur: Privilegium perſonam ſequitur, & cum ea extinguitur ex Reg. 7. Juris in 6.

Quod ſi quis Privilegio gaudeat non ſpeciali titulo, ſed communi ordinis, civitatis &c., nequit is privilegio renunciare, ut clericus privilegio Canonis, aut Fori. Secus de aliis dicendum eſt. Canonis privilegium C. *Si quis ſuadente*, quo excommunicantur percuſſores clericorum, comple-

ctitur etiam Novitios, Moniales, Equites Hierosol. &c. Sed ab eo excidunt tonſuram dimittentes, degradati, hæretici, bigami, aliique officia exercentes, quæ clericos dedecent. Fori privilegium eſt, ut clericus ad Epiſcoporum judicium provocetur in cap. *Sylveſter* c. 11. q. 1. eoque gaudent Beneficiati, tonſura initiati, clerici conjugati, regulares omnes, ac moniales, tertiarii S. Franciſci, ſi collegialiter vivant, domus mulierum pœnitentium, & eremitæ ſuperiori eccleſiaſtico ſubjecti.

Irritum redditur privilegium dupliciter: *Obreptione* nempe, & *ſubreptione.* I. ſi falſa narrentur. II. ſi taceantur neceſſario exponenda. Hoc vero, ſi fiat ſimpliciter, aut ignoranter, gaudent privilegio, ſi tamen etiam ea falſitate aut ſilentio ſublato adhuc privilegia impetraſſet, ſecus ſi non impetraſſet. III. irritum eſt privilegium, quod alicui conſtitutioni adverſatur, niſi huic expreſſe derogetur. IV. ſi ſit contra latam ſententiam, eamque non exprimat. V. ſi ab excommunicato ſit impetratum. VI. ceſſat privilegium cauſſa ceſſante. VII. ex ejus abuſu, & canonum contemptu. VIII. ex ejus detrimento. IX. ex ejus renunciatione. X. tandem ex revocatione concedentis, ex decurſu præſcripti temporis, & ex morte.

§. II. *De Diſpenſatione.*

Differt diſpenſatio a privilegio, quod illud, niſi irritum fiat, perpetuum eſt, hæc vero certo tempore limitatur. Eſt enim diſpenſatio remiſſio, ſeu relaxatio communis juris facta quibuſdam in caſibus ab eo, qui juriſdictione pollet, lege in ſuo robore permanente. Si enim lex tollitur, non diſpenſatio dicitur, ſed abrogatio. Fit autem diſpenſatio in legibus canonicis ab eccleſiæ Paſtoribus. In civilibus ab ordinata poteſtate. Nec poteſt inferior diſpenſare in lege ſuperioris. Papa diſpenſare poteſt in jure eccleſiaſtico, non in divino, epiſcopus in iis, quæ ab ipſo, aut diœceſana Synodo ſtatuta

ſunt.

ſunt. Poteſt etiam diſpenſare in votis ſimplicibus, & in caſibus parvi momenti, quæ ſpectant ad Jus Pontificium. Item in impedimentis ſupervenientibus, non præcedentibus matrimonium, ſi non eſt facilis recurſus ad Apoſtolicam ſedem, aut ſit periculum ſcandali. Diſpenſatio eſt illicita, ubi deſit urgens & juſta ratio, ut definit Trid. Seſſ. 25. Eſt enim diſpenſatio, juſtum prementis legis levamen. Ex quibus ſequitur. I. Peccare Paſtores, dum abſque gravi cauſſa diſpenſant. Sunt enim eo caſu non cuſtodes, ſed fractores S. Canonum, ut ait S. P. (*a*), & D. Thom. (*b*) II. Non eſſe tam frequenter cum inferioribus diſpenſandum, ne aditus pateat ad leges violandas, ut ait Trid. Seſſ. 24. III. Non eſſe petendam diſpenſationem ſine legitima cauſſa.

Quæres: an uti liceat diſpenſatione ſine gravi cauſſa petita, aut conceſſa? R. I. Talem diſpenſationem ex Trid. (*c*) eſſe ſubreptitiam, adeoque nullam. II. Spectandum in ea eſſe, num diſpenſationem petens veritatem ſuppreſſerit, qua cognita non eſſet cum eo diſpenſatum? III. Non peccare, qui bona fide putat habere juſtam cauſſam, aut rem proponit ſuperiori diſcutiendam. IV. Valere diſpenſationes, quas vocant *ſine cauſſa*, pro quibus ſolvitur Cam. Apoſt. pecunia, licet enim ſint abſque cauſſa *intrinſeca*, at non ſunt abſq. *extrinſeca*, cum ea pecunia deſerviat ad R. Curiæ honeſtatem, *piis operibus, Eccleſiæ conſervationi, aut ſervitio, adverſus infideles, hæreticos & ſchiſmaticos*, unde in privatam alicujus auctoritatem non cedit, ait Card. de Luca (*d*), *ſed exigitur tamquam ſpecies multæ a potentibus, non autem ab impotentibus, cum quibus practicatur pœna luitionis in corpore, mediante acceſſu ad Urbem, ac mechanico ſervitio in fabrica S.*

 Petri

(a) *L. 2. c. Adv. leg. c. 2.* (b) *Q. 197. a. 4.*
(c) *Seſſ. 25. de Reform. c. 18.*
(d) *Rel. Cur. Rom. diſc. 1.*

Petri &c. Errant ergo, qui ajunt, diſpenſationes haſce in Romana Curia, nonniſi pecunia obtineri, nec eandem eſſe divitum pauperumque rationem. V. Denique diſpenſationes ſine cauſſa, poſtquam executioni mandatæ ſunt, non eſſe reſcindendas, ne ſcandala oriantur, & pax Eccleſiæ turbetur. Dicimus tamen plura valere in foro fori, quæ in foro conſcientiæ non tenent.

§. III. *De conſuetudine.*

Hæc ab Aug. l. 83. q. 31. definitur: *Jus, quod aut leviter natura tractum aluit, & majus fecit uſus & religio, aut quod in morem vetuſtas vulgi approbatione perduxit.* A Gratiano autem cap. *Conſuetudo* definitur: *Jus moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cum deficit lex.* Et triplex eſt. I. dicitur præter legem, quæ nec lege præſcripta eſt, nec ipſi adverſatur, ut conſuetudo jejunandi certis diebus, quorum non extat eccleſiaſticum præceptum. II. dicitur juxta legem, quæ a lege præſcribitur, ut quadrageſimale jejunium &c. III. dicitur contra legem, quod non divinæ, ſed humanæ legi adverſatur, ut conſuetudo, quæ eſt Mediolani edendi carnes feria 4. & 5. cinerum; in Caſtella veſcendi in ſabbatis extremis animalium &c.

Ut autem conſuetudo vim legis acquirat, requiritur I., ut ſit rationabilis, & ad publicam commoditatem inducta; remittendæ ergo ſunt conſuetudines pugnantes cum lege naturali & divina. Hinc S. P. Ep. ad Caſulanum ait: *Conſuetudinem laudamus, quæ tamen contra fidem catholicam nihil uſurpare dignoſcitur.* Tolerandæ ſunt tamen, quæ, licet non rationi, ſed voluptati deſerviant, ſi ab iis populi averterentur, pejores fierent, ut de Bacchanalium conſuetudine habetur in can. *Denique* diſt. 8. c. *Mala conſuetudo*, quoniam pernicioſas corruptelas pro legibus venerari non decet. II. conditio eſt temporis præſcriptio, in civilibus ad decennium, in eccleſiaſticis quadragenalis. In jure communi præſcriptio requiritur temporis immemorabilis

lis

lis, qualis eſt centenaria. III. Conditio eſt, ut conſuetudo inducatur actibus externis libere, & pluries repetitis, neque ab uno, vel altero, ſed a majori, ac ſaniori populi parte. IV. Conditio eſt, ut conſuetudo inducatur intentione obligandi. Si enim inducta ſit tantum devotionis cauſſa, ut veſpere ac meridie ſalutare Deiparam, cineres ſumere prima die quadrageſimæ &c. non peccat conſueta prætermittens, præciſo ſcandalo, aut contemptu. Sed ſi recepta ſit conſuetudo ad legalis oneris levamen, ut eſt parva refectio diebus jejunii, poteſt quis a conſuetudine ſine peccato, & cum merito recedere. Cenſetur autem inducta conſuetudo cum intentione obligandi, quando tranſgreſſores puniuntur, aut apud viros probos male audiunt, vel plebi ſcandalum præbent. V. Conditio eſt, ut conſuetudo inducatur legislatoris conſenſu, non requiritur tamen conſenſus explicitus, ſed ſufficit tacitus, qui habetur, ſi legislator non repugnet, nec urgeat legis obſervantiam, dicitur enim in hoc caſu legem ceſſare via conniventiæ. Si autem invaluit conſuetudo, inſcio legislatore, ut vim habeat requiritur temporis præſcriptio, ex qua conſenſus legalis intervenit. Si tamen legislator conſuetudini repugnat, eamque nova lege reſcindit, nullam vim habet conſuetudo, quia voluntas principis voluntati populorum eſt præferenda. Ex quibus conſtat, non omnem conſuetudinem legem abrogare. Si enim ſit contra legem naturalem aut divinam, ut conſuetudo inferens Eccleſiæ gravamen, aut ad peccandum inducens, irrationalis eſt, & prima conditione caret. Idem dicendum ſi alia quævis ex præſcriptis conditionibus deſideretur. Sed de legibus ſatis.

LIBER XXI.

De humanis officiis in genere.

IN eum præſtantiſſimum ſcopum ac finem leges omnes, cum divinæ, tum humanæ collineant, ut hominum forment mores, virtutes promoveant,

veant, vitia coerceant, & agendi normam proponant. Cum ergo de legibus superiori libro actum sit, superest ut de humanis officiis pauca dicamus. De his ergo agemus triplici dissertatione: quarum I. erit de natura, ac perfectione humanorum officiorum. II. De eorum vitiis. III. de regulis morum.

DISSERTATIO I.

De natura ac perfectionibus humanorum officiorum.

QUæremus hoc loco. I. quid sit humanum officium, &, quomodo cum metu, concupiscentia, & ignorantia meritum comparetur? II. An detur opus indifferens? III. An actus exterior aliquid addat interiori? IV. Quid sit virtus, & quomodo a theologis dividatur? V. In quo sita sit æterna felicitas?

CAPUT I.

Quid sit humanum officium &c.

NOT. I. Humanorum officiorum nomine intelligimus humanos actus, aut opera, in quibus exercendis sita est vitæ honestas, aut turpitudo. Officium humanum *actio* est, non quæcumque, *sed ex deliberata voluntate procedens:* ut ergo actus dicatur humanus, requiritur deliberatio voluntatis cum advertentia rationis: adeoque debet esse voluntarius & liber. Voluntarium dicimus motum voluntatis intrinsecum erga objectum lumine rationis propositum, sive spontaneus sit, & necessarius, ut est naturalis propensio ad bonum in communi, sive sit indifferens & liber, ut est boni mutabilis delectatio. Quandiu autem optio hæc, & reluctandi potestas viget in voluntate, ejus motus non solum voluntarius dicitur, sed etiam liber. Quare voluntarium tollit vis externa & coactio, liberum vero necessitas ineluctabilis; licet cum spontaneitate, & lubentia conjuncta. Quo sensu beati, licet sponte, non tamen libere Deum amant.

Not.

Not. II. Actus voluntatis alios esse elicitos, alios imperatos: illi immediate a voluntate procedunt, ut amor, odium &c. isti mediate, ut visio, locutio, quæ mediis oculis, & lingua fiunt a voluntate.

Not. III. Voluntarium aliud dici *simpliciter*, aliud *secundum quid*. Primum est, quod ita efficaciter volumus, ut nulla circumstantia accedente deterreamur: talis est confessio Ss. Martyrum Christum etiam laniato corpore profitentium. Secundum est, quod voluntas libentissime amplecteretur, sed gravioribus de causis deserit. Unde dicitur in scholis absolute, & in se voluntarium, & involuntarium *secundum quid*: talis est in mercatore voluntas projiciendi merces imminente naufragio. His prænotatis sit

Propositio I. Voluntas cogi nequit, quoad actus elicitos, potest tamen quoad imperatos.

Prob. I. pars. Si enim voluntas cogi posset, quoad actus elicitos, posset simul velle & nolle, sed hoc repugnat; ergo &c. Prob. II. pars. Actus imperati sunt, qui mediate fiunt a voluntate, ac diversis ab ipsa facultatibus, ut visio, locutio, quæ oculis, aut ore fiunt, sed hæc, aliaque corporis instrumenta, possunt ab exterioribus caussis impediri, aut retardari: sæpe enim accidit, ut quod cupimus non valeamus complere aliquibus caussis adversantibus; ergo &c.

Propositio II. Metus gravis non tollit voluntarium.

Prob. Dum enim homo ex gravi metu operatur, v. g. dum imminente naufragio projicit merces in mare, aut porrigit aggressori crumenam, operatur cum advertentia rationis, recte judicans, rei & pecuniæ vitam esse præferendam: sed optio, & advertentia duo sunt cardines voluntatis, & libertatis; ergo &c. Reapse, licet in eo homine invicem pugnent vitæ amor & rei, nec sine reluctantia bonis aliis privari patiatur, vincit tamen vitæ amor amorem rei; adeoque per metum inducitur tantum

invo-

involuntarium *ſecundum quid*, quia trahitur voluntas ad eam actionem, a qua abſtineret, ſi metus non adeſſet.

Opp. Leges reſcindunt contractus, & vota, quæ fiunt ex gravi metu, ergo carent voluntatis conſenſu. R. neg. conſ. Nam contractibus, utpote ad humanam ſocietatem inſtitutis, hæc a legibus apposita conditio eſt, ut minis ac vi, quæ ſocietatem ipſam lædunt, minime fiant. In votis etiam reſpicit Deus pleniſſimam libertatem, ac voluntatis fervorem. Ceterum qui ex metu etiam gravi, puta mortis, legem frangit, peccat, atqui non eſt peccatum, niſi voluntarium; ergo metus etiam gravis non tollit voluntarium.

Propositio III. Neque concupiſentia tollit voluntarium.

Prob. Dum enim fervet concupiſcentia, cupidius mutabilia bona appetuntur; ergo concupiſcentia voluntarium non minuit, ſed auget, prout voluntas fertur ad bona commutabilia, prout vero fertur ad bonum, cui contranititur inſeminata cupiditas, concupiſcentia minuit voluntatem: nam pugna cupiditatis efficit, ne bonum proſequamur vehementiori caritatis ardore. Si vero concupiſcentia adeo vehemens ſit, ut omnem rationem perturbet, erit quidem extenuata vis voluntatis in ordine ad bonum, ſed perſeverat adhuc liberi arbitrii ſub morali quadam neceſſitate facultas, quia nullum bonum ſenſibile poteſt humanam voluntatem inſuperabili neceſſitate compellere.

Propositio IV. Neque ignorantia vincibilis, aut craſſa voluntarium tollit.

Prob. Ignorantia vincibilis ea eſt, quæ adhibita debita diligentia vinci poteſt, ſed licet hæc ignorantia minuat voluntarium, eaque laborans *vapulavit paucis*, ex Luc. 12. quia tamen eſt indirecte volita, ex voluntaria omiſſione mediorum non tollitur, ſed aliquando augetur voluntarium: ut ſit in eo, *qui noluit intelligere ut bene ageret*, & amat igno-

ignorantia laborare, *propter libertatem peccandi;* ergo &c. Secus dicendum est de eo, qui invincibili ignorantia laborat, quæ, cum nulla diligentia vinci possit, & voluntarium tollit, & a peccato excusat, ut dictum est c. 2. & 3. l. 16. & infra ostendemus.

Quæres: quid sit, & in quo sita sit bonitas, aut malitia humanorum officiorum? R. esse convenientiam, aut dissonantiam, cum recta ratione, atque immutabili lege veritatis, & æquitatis omnium animis inditam. Quidquid ergo huic regulæ consentaneum est in genere morum est optimum, quidquid ab ea deflectit est malum & iniquum: ut c. 3. l. 18. dictum est. Qualem vero ordinem lex illa præscribat declaratum est c. 4. lib. 20. Ex quibus facile intelliges, summum, & incommutabile bonum illud esse, ad quod opus omne creaturæ rationalis est dirigendum: reliqua vero bona, nonnisi ejus gratia esse expetenda. Ex quibus constat, nullum finem ultimum humanorum officiorum esse admittendum, præter Deum, cetera media esse, quibus fas est pro illius consecutione *uti, non frui,* ut alibi dictum est.

CAPUT II.

An detur aliquod humanum opus indifferens, idest expers malitiæ, & probitatis?

NON heic loquimur de operibus indeliberatis, & necessariis, quibus nil meriti vel demeriti, vituperii vel laudis inesse potest; sed de liberis, seu deliberatis, quæ cum fine operantis conjuncta sunt, atque ad objectum aliquod cum advertentia directa: hinc ex objecto, ac fine suam desumunt sive bonitatem, sive malitiam. Fieri enim potest, ut objectum sit honestum, & pravus finis, ut si quis eleemosynam largiatur, ob inanem gloriam. Non ergo a solo objecto pensanda est humani officii natura, sed ab aliis etiam circumstantiis, præsertim a fine. Nam plura esse officia, quæ relate ad objectum

ctum sunt natura indifferentia, ut ambulare, levare festucam, aliaque facere nullis legibus vetita, conveniunt omnes, eaque vocantur indifferentia *specie*: secus dicendum de humanis actibus in *individuo*, prout hic & nunc tali fine fiunt. Sit ergo

Propositio. Omnia, quæ cum libertate fiunt, sunt in individuo vel honesta, vel prava.

Prob. Demonstrant enim plures theologi, præsertim nostrates, ut Vanroy (*a*), Piette (*b*), Gavardi (*c*) &c. actiones omnes deliberatas in Deum referendas esse. I. Ex præcepto diligendi Deum *ex toto corde*, quod impleri non potest, nisi in Deum referamus *omnes cogitationes*, *omnem vitam*, *& omnem intellectum*, ut ait S. P. l. 1. de Doctr. 2. atqui, nisi referantur actiones deliberatæ in summum bonum, hæret animus bonis commutabilibus, perturbato ordine caritatis; ergo &c. II. Ap. 1. Cor. 10. ait: *Sive manducatis*, *sive bibitis &c. omnia in gloriam Dei facite*; atqui hoc non consilium est, sed præceptum, ut nempe omnia fiant in caritate, sive cum relatione in Deum; ergo &c. III. S. P. loc. cit. ait: *Quidquid boni ab homine*, *& non propter hoc fit*, *ipso non recto fine peccatum est.* Idem docent Bernardus (*d*), Basilius (*e*) &c. hinc S. Th. de Car. a. 2. ad 3. ait: *Virtualiter omnia referre in Deum cadit sub præcepto caritatis.* IV. Nequit homo in bono creato finem ultimum constituere, sed quod saltem virtualiter in alterum non refertur, habet rationem finis ultimi: ergo &c. V. Vel actus humanus dirigitur in Deum per caritatem, & est bonus undequaque; vel per ideam incommutabilis æquitatis rectæ rationi congruit, & est bonus moraliter; vel fit ob inanem gloriam & propter creaturas, & superbiæ typho aut cupiditate marcescit; ergo nullus datur actus indifferens in individuo. Tandem fine

(a) T. 1. *Theol. mor.* (b) T. 2. *q.* 5. (c) T. 4. *q.* 5. (d) *Tract. de Car. c.* 1. (e) *In lib. Reg. respon.* 1.

fine caritate, per quam opus ipsum referatur in Deum, non operatur homo propter æquitatem, sed vel sibi placens, vel fruens creaturis opus erit pravum & perversum. Hinc S. P. l. 2. de Pecc. mer. 18. ait, non posse voluntatem in medio sistere, *ut nec bona sit, nec mala*; ergo &c.

Ob. I. Hieron. Ep. 89. ait, plura esse opera indifferentia: *Ut ambulare, purgamenta projicere &c. hoc*, inquit, *nec bonum nec malum est: sive enim feceris, sive non, nec justitiam habebis, nec injustitiam*; ergo &c. R. dist. ant. Ait Plura esse opera indifferentia *in specie*, sive ex objecto, conc. *in individuo*, & spectato ordine finis, neg. ait enim Hieronymus, bonam esse continentiam, in se nempe, *in specie*, & ratione objecti: si quis enim aut avaritia, aut inani gloria sit continens, bona non erit. Ait ambulare esse indifferens, in se quidem & ex objecto: si enim id præstes, ut videas amasiam, malum est. Reapse scopus Hieronymi ibi est, ut probet, legalium observantiam non esse natura sua indifferentem, sed malam ac vetitam; unde Hieronymus plus dicit, quam nos: censet enim, opus in specie malum bonum esse in individuo: & proinde servata fuisse a Paulo legalia, licet mortifera, ut Judæos lucrifaceret.

Ob. II. Ambulare, expuere &c. nec bonum est, ut patet, nec malum, quia ad malum finem non refertur; ergo &c. R. dist. ant. Nec bonum est nec malum, in se & ex objecto, sive *in specie*, conc. in individuo, neg. Solutio patet ex dictis. Reapse Matth. 12. habetur, *de omni verbo otioso* rationem esse reddendam, sed actio, aut verbum non dicitur otiosum, eo quod malum aut turpe sit, sed quod careat debito fine, ut ex Greg. docet D. Th. 1. 2. qu. 18. a. 9. *Otiosum verbum est, quod utilitate rectitudinis, aut ratione justæ necessitatis, aut piæ utilitatis caret*; ergo nullus actus in individuo est indifferens.

Ob. III. Concilium Const. damnavit hanc prop. Jo. Hus: *Quod nulla sint opera indifferentia*; er-

go &c. R. dist. ant. Damnavit in sensu Jo. Hus, conc. absolute, neg. Non damnavit ergo S. Synodus propos. illam, eo quod nullam agnoscat operum indifferentiam, id enim plures PP. & catholici docuere: sed quia putabat hæreticus, justum, vel impium necessario aut bene, aut male operari: *Quia*, inquit, *sicut peccatum inficit omnes actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus virtuosi*, quod est hæreticum: non enim semper aut justus operatur ex caritate, aut impius ex cupiditate. Hoc sensu proscripti etiam sunt Bajani, & Quesnelliani articuli: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & sola caritas facit actiones christianas per relationem ad Deum*, quibus absque gratia habituali nullum dari opus bonum, neque ex officio opinati sunt Bajus, & Quesnellus, qui cum Hussitis hac in parte cohærent.

Ob. IV. Præceptum omnia in Deum referendi est affirmativum (1); ergo non semper obligat. II. Non datur species sine individuis, sed dantur actus indifferentes secundum speciem; ergo etiam in individuo. III. Datur omissio indifferens, c. g. non audire

---

(1) Licet præceptum de referendis omnibus ad Deum sit affirmativum, quia tamen continet universalitatem actionum, per ea verba Ap. 1. Corint. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*, obligat pro omni tempore, quo aliquid deliberate operamur, alioquin non omnia in gloriam Dei essent referenda, cum ad eam non referrentur, quæ fierent eo tempore, quo præceptum non obligaret, ut optime ratiocinatur continuator Tournelii in tract. de Act. hum. pag. 94. Ven. ed. Adde, præceptum hujusmodi, prout vetat sistere in creatura, tamquam in ultimo fine, vim habere præcepti negativi, & semper obligare. Vide Vanroy, Piette, aliosque.

audire ſacrum die feriali; ergo & actus. R. ad I. diſt. conſ. Non obligat ſemper, ſi quis operetur indeliberate, conc. ſi deliberate, & ex conſilio, neg. Sic enim agens non alium ſibi finem proponere poteſt, niſi Deum. Ad II. retorq. arg. Determinatur enim circumſtantiis, quidquid ſpecie eſt indifferens; ergo, ſi dantur actus indifferentes in ſpecie, non dantur in individuo. Ad III. diſt. ant. Datur omiſſio indifferens in ſe, conc. relate ad deliberationem audientis ſacrum, neg. Hæc enim omiſſio vel a recto fine cohoneſtatur, vel inficitur a pravo.

Ob. V. Impoſſibilis eſt tanta in homine attentio, ut omnia referat in Dei gloriam; ergo &c. II. Durum eſt etiam, quæ fiunt ex motivo honeſtatis, puta eleemoſynam largiri ex miſerationis affectu, ea prava eſſe; ergo &c. III. Licet operari propter voluptatem, ad quam natura hominem inclinat. Hinc S. P. conjugalem concubitum, & cibi guſtum inculpatum agnoſcit (a); ergo &c. R. ad I. diſt. ant. Ut referant actualiter, conc. virtualiter, ſubd. Viribus naturæ, conc., gratiæ, neg. Sufficit enim virtualis relatio, nec opus eſt, ut quovis momento directio repetatur. Voluntas enim ſe habet ut rota, quæ primo ictu pulſata, otiante etiam manu, curſum abſolvit. Ut autem virtute maneat voluntas, ait Eſtius, ſæpe actu renovanda eſt. Ad II. neg. ant. Defectus enim non eſt in opere, quod bonum eſt, ſed in ejus fine, qui pravus eſt. Ad III. neg. ant. Proſcripta eſt enim ab Innoc. XI. hæc Prop. *Comedere, & bibere ob ſolam voluptatem non eſt peccatum.* Aug. vero loquitur de voluptate, prout comes eſt, non prout finis eſt, illud licitum dicit S. P. hoc noxium, illo *uti dari*, hoc *frui negari* (b).

(a) *De Bon. conj. c.* 6. (b) *Tr.* 2. *in Jo. Ep.*

CAPUT III.

An actus exterior addat interiori bonitatem, aut malitiam?

NOT. Quæritur a Magiſtro in 2. Sent. diſt. 42. *An voluntas, & actio mala in eodem homine, & circa eandem rem ſint unum peccatum, vel plura.* Quod plures ſenſus habet. Vel enim quæritur, an exterior operatio peccatum ſit; vel an peccatum externum operis ſit numero diverſum a pravo ejus deſiderio; vel denique an peculiarem induat malitiam, aut turpitudinem, ſupra ejus deſiderium. Idem contra quæritur de recta intentione, & ejus opere. Ad I. R. affirmative. Ad II. R. actum externum reddere bonum aut malum opus extenſive, quatenus per eum ope ſenſuum foras erumpit peccatum, adeoque diuturnioris voluntatis indicium eſt, & majorem animi pravitatem demonſtrat. Cumque voluntas poſſit ab opere ſejungi, & ad illud exire, ideo duplex præceptum datum eſt, nempe: *Non furtum facies, non concupiſces rem alienam*, & in primo opus, in ſecundo prohibetur mala voluntas. Conſtat ergo, malitiam furti eſſe amplificationem pravitatis exiſtentis in animo furis: & quaſi progreſſionem concepti partus ex utero ad lucem, nec diverſum eſſe peccatum, quod primo, aut ſecundo præcepto prohibetur, ſicut idem eſt, quod concipitur & naſcitur: idem cadaver domi latens, & funere elatum. Ad III. videndum, an major peccati explicatio, ut diuturniorem arguit malitiam, ita peccatum adaugeat, itaut plus habeat meriti, vel dedecoris operatio cum interno affectu conjuncta, quam ipſe affectus abſque operis executione. Sit itaque

PROPOSITIO. Externum opus nihil addit per ſe decoris, aut turpitudinis interiori, ſed tantum per accidens.

Prob. I. pars. I. Ex ſacris literis. Gen. 22. Abrahami voluntas a Deo accepta eſt, ac ſi actu filium

ſuum

ſuum immolaſſet, dictumque eſt ei: *Quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo &c.* Unde Chryſ. Hom. 47. in Gen. ait: *Quantum ad voluntatem, perfectum obtulerat ſacrificium, & idcirco Dominus, quaſi ſacrificio conſummato, laudat juſtum;* ergo &c. De muliere etiam, quæ duo minuta obtulerat, ait Chriſtus: *Plus quam omnes miſit*, animo penſato, non cenſu. Ap. 2. Cor. 8. ait: *Si voluntas prompta eſt, ſecundum id, quod habet accepta eſt, non ſecundum id, quod non habet;* ergo æque grata eſt Deo ſincera voluntas dandi aliquid, quod non habet, ac ſi actu datum eſſet. Idem dicendum de malis operibus. Qui enim alienam mulierem concupiſcit, *mœchatus eſt eam in corde ſuo*, ex Matth. 5. & Jac. 1. *Concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum;* ergo opus externum a prava intentione trahit fœditatem.

Prob. II. ex PP. Auguſtinus l. 1. de Lib. arb. 3. ait: *Sed ſi conſtet, aliquem cupere conjugem alienam, non minus reus eſt, quam ſi in ipſo facto deprehenderetur.* Et Serm. 18. de Tr. *Deus non annotat facultatem, ſed coronat voluntatem. Scit quia voluiſti, & non potuiſti, ſic te annotat quaſi feceris quod voluiſti.* Et Ep. 102. q. 4. probat, nos *ex qualitatibus voluntatum, non ex temporum ſpatiis, ſive recte facta, ſive peccata metiri*, Bernar. Ep. 87. docet: *Voluntatem reputari pro facto, ubi factum excludit neceſſitas.* Ex profanis ſcriptoribus Philo docet: *Par judicari crimen, aliquem egiſſe ut occideret, & occidiſſe.* Seneca: *Latro eſt*, ait, *etiam antequam inquinet manus.* Et Ariſtophanes: *Par eſt*, inquit, *facere, & voluiſſe malum;* ergo &c.

Prob. III. ratione. Opus enim ideo malum eſt, quia a mala voluntate procedit. Gravius eſt enim homicidium de induſtria, quam caſu patratum, & *qui odit fratrem ſuum*, magis *homicida eſt*, quam ille, qui elapſo telo necem infert; ergo &c. II. ubi plus datur, aut minus, differens meritum non eſt, ſi æqualis voluntas habeatur; ergo totum meri-

tum in voluntate eſt. III. Lupus cupiens nocere, dum perterritus canum latratu fugit, non eſt leone *innocentior*, qui agnum dilaniat; ergo externum opus non addit per ſe interiori malitiam.

Prob. II. pars. Nam in externo opere interior perverſitas diuturnior eſt, & perſeverat. II. In actionis exercitamento magis præconcepta delectatio titillat: *Tale enim eſt cor hominis*, ait Hugo Victorinus, *ut opere ſuo amplius inardeſcat, ſive ad bonitatem amandam, ſi rectum, ſive ad malitiam, ſi pravum eſt.* Hinc patet, cur bona opera teneamur actu peragere, nec ſufficiat intentio, quia nempe voluntas non eſt efficax, niſi operetur cum poteſt. Deinde ex bono opere oritur ædificatio proximorum, & vinculum caritatis, ut ex malo ſcandalum, atque ſubverſio.

Ob. I. Concilium Neocæſ. mandat, ut Deo gratiæ agantur, ſi peccare cupientibus occaſionem tollit. II. S. P. l. 3. de Trin. 5. ait: *Miſer eſt qui malum vult, ſed miſerior, qui adimplet*, & Tr. 58. in Jo. De lotione pedum ait: *Multo eſt melius, ut etiam manibus fiat:* ergo &c. III. Proſcriptus eſt 13. articulus Petri Abaelardi: *Quod ſola voluntas a Deo æternaliter remuneretur, nec propter opera melior, aut pejor efficitur homo, niſi forte, dum operatur in aliquo, voluntas ejus augmentatur;* ergo &c. IV. Eccleſia cenſuris perſtringit percuſſores, non inimicos clericorum, & martyrii laureolam iis decernit, qui fuderunt pro Chriſto ſanguinem, non iis qui id ex animo optarant; ergo &c.

R. Ad I. diſt. ant. Ut gratiæ Deo agantur, ob ſcandala, quæ vitantur, & quia ſublato opere tepeſcit libido, conc., quia peccatum non committitur, neg. Quippe can. 4. declarat Synod. Neocæſ., clericum fornicatione inquinari, *ſi propoſuerit ſollicitare fœminam.* Ad II. neg. conſ. Aug. enim *miſerabiliorem* vocat eum, qui actu malum complet ob robuſtiorem, quam habet in malo voluntatem: recte etiam hortatur, ut lotio pedum non ſolum animo

animo, ſed etiam actu fiat, quia per eam *excitatur*, *vel confirmatur humilitatis affectus*. Ad III. neg. conſ. Proſcripta eſt enim Abaelardi prop. quia putavit, nullum opus eſſe peccatum, dicens, per opera nec meliorem fieri hominem, nec deteriorem. Ad IV. neg. conſ. Cenſuræ enim etiam pro levi culpa infliguntur, cum gravius peccet, qui hominem occidit, aut furatur, quam qui clericum leviter cædit, aut carnes comedit feria 6. In hos tamen, non in eos cenſuras vibrat Eccleſia, ob illatam eccleſiaſticæ Hierarchiæ contumeliam, ſive ob chriſtianæ religionis contemptum, quæ præſefert, qui carnibus veſcitur more hæreticorum. Aureolam martyrii illis jure decernit Eccleſia, qui ſanguinem fuderunt pro Chriſto, non iis qui id optarunt: vix enim credibile eſt, in his tantum eſſe, quantum in illis caritatis ardorem. Deinde reſpondet aureola Chriſti ſtigmatibus, quæ martyr gerit in corpore.

Ob. II. Opus internum, & externum duplici præcepto prohibetur; ergo duplex peccatum eſt, & duplici pœna dignum. II. Peccatum externum eſt in confeſſione aperiendum; ergo addit voluntati graviorem malitiam. III. Externus actus eſt ſatisfactorius; ergo habet per ſe rationem meriti. R. I. neg. conſ. Multiplicantur enim præcepta, ne id, quod latet in corde, foras erumpat. Vid. Not. R. 2, Greg. Arim. internum actum & externum, eſſe quidem ait duo peccata, ſed eandem habere malitiam, quia una eſt in utriſque voluntas. Ad II. diſt. conſ. addit per ſe, neg. per accidens, conc. Addere enim poteſt ſcandala, debitum reſtitutionis, cenſuras &c., quæ omnia ſpiritali medico ſunt aperienda. Externus itaque actus revera peccatum eſt, licet malitiam habeat a voluntate. Ad III. diſt. ant. Sunt ſatisfactoria ratione voluntatis & libertatis; conc. ratione operis, neg. Qui enim invitus patitur non meretur.

CAPUT IV.

De virtute, ejusque speciebus.

NOT. I. Virtutis nomen in sacris literis usurpari I. pro fortitudine, ut 1. Mach. 6. *Cum virtute forti.* II. pro naturæ vi, ut Sap. 7. *Virtutes elementorum.* III. pro miraculis, ut Matth. 7. *Virtutes facimus.* IV. pro angelorum ordine, ut Eph. 1. *super omnem Virtutem.* Hoc tamen loco virtutem dicimus rectam animi affectionem, quæ laudabiles facit eos, in quibus est, & definitur ab Augustino, *bona qualitas mentis, qua recte vivitur, & qua nullus male utitur.* Lapsus ergo hominis virtute præditi, non procedunt a recta illa affectione, sed ex contraria cupiditate.

Not. II. cum Aug. l. 10. de Trin. 10. duos esse actus rationalis creaturæ, ad quos alii reducuntur, nempe *uti, & frui.* Uti dicimur iis rebus, quæ non propter se, sed ratione ultimi finis assumuntur in usum. Frui vero, dum inhæremus alicui rei propter se, ut dum Deum diligimus, & ejus caussa utimur creaturis. Quod, ubi fit, recte vivimus. Si vero Deo utimur, fruimurque creaturis, constat perverso ordine nos fieri vitiosos.

PROPOSITIO. Virtus est ordo amoris, quo vel Deo fruimur, vel utimur creaturis.

Prob. I. ex Aug. l. 15. de C. D. 22. ubi ait: *Definitio vera virtutis, ordo est amoris*: & l. 4. c. 21. ait: *Ars bene vivendi virtus a veteribus definita est*, atqui non recte vivitur, nisi servato ordine caritatis fruamur summo bono, & bonis fluxis utamur; ergo &c. II. S. P. l. 83. q. 30. scribit: *Omnis humana perversio est fruendis uti velle, & utendis frui;* ergo &c. Prob. II. ratione. Non datur vera virtus conducens ad vitam æternam, nisi per sanctam dilectionem referatur in Deum, sed hæc relatio haberi nequit sine ordine amoris tendentis in finem ultimum, neque sistentis in bono commutabili (quidquid enim boni fit ab homine, & non pro-

pter

pter hoc fit, propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit, etſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt) ergo &c. Hinc facile intelligitur, cur Chriſtus Matth. 22. dixerit, a dilectione omnem legem pendere, & Ap. 1. Cor. 13. fine caritate nihil prodeſſe virtutes alias, non quod ſola virtus ſit caritas, & ſola remuneretur a Deo, ut erravit Queſnellus, ſed quia omnis virtutis actus ab aliquo amore ſaltem inchoato oriri debet. Colligitur etiam, virtutem in Deo eſſe immutabilem, & conſtantem in beatis. Ille enim ſe ipſo fruitur, iſti ei adhærent firmiſſima caritate. Colligitur tertio, veras non fuiſſe Stoicorum, aut Romanorum virtutes, quæ non propter Deum, ſed propter voluptatem, aut nominis celebritatem factæ ſunt.

PROPOSITIO II. Virtutes omnes vel ad tres Theologales, vel ad quatuor Cardinales referuntur.

Prob. Vel enim virtus immediate in finem fertur, vel in media; ſed ſi illud, refertur ad Theologales, ſi hoc, ad Cardinales; ergo &c. Prob. min. In Deum enim quis fertur immediate, vel cognitione, vel deſiderio, vel unione amoris, ſed primum præſtat fides, ſecundum ſpes, tertium caritas; ergo &c. Si vero quis tendat in media, quibus ſervato caritatis ordine uti debemus, vel id fit ſeligendo ſagaciter media ad finem conducentia, & eſt prudentia, vel cuique ſuum tribuendo, & eſt juſtitia, vel integrum ſe præbendo ei, quod amatur, & eſt temperantia, ſobrietas &c. vel adverſa fortiter tolerando, & eſt fortitudo. Vide Aug. l. 1. de Mor. Eccl. 15.

Ob. I. ex hac ſententia ſequitur, I. fidem non operari, niſi per caritatem, & ab ea ſejunctam non virtutem eſſe, ſed vitium, quod in bulla *Unigenitus* prop. 51. & 57. proſcriptum eſt; ergo &c. ſequitur, ſolam caritatem facere virtutes chriſtianas, ſolam honorare Deum, ſolam remunerari, quod prop. 53. 54. 55. & 56. damnatur. III. Non eſſe ſine

amore virtutem ſpei, nec religionis, quæ eſt 57. & 58. IV. Timorem ſupplicii, nec virtutem, nec donum Dei eſſe, quod a 60. ad 68. proſcribitur; ergo tradita virtutis definitio a Luthero, Bajo, & Queſnello tradita eſt.

R. neg. conſ. Merito enim proſcriptæ ſunt illæ propoſitiones in ſenſu Baji, & Queſnelli, qui prop. 28. docuit, primam gratiam, quam Deus concedit peccatori, eſſe remiſſionem peccatorum, & 45. ait, amore Dei in eo non regnante neceſſe eſſe, ut in eo regnet carnalis cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat, unde ſequitur, nullum peccatorem ante remiſſionem peccatorum poſſe exercere virtutem, quod eſt hæreticum.

R. ergo ad primum diſt. ant. Sequitur, fidem non operari ſine caritate, ſaltem inchoata & actuali, conc., perfecta, & habituali, quæ dat remiſſionem peccatorum, quam ſolam Queſnellus agnovit, merito ea de re damnatus ab Eccleſia, neg. Ceterum ſi fides ab omni prorſus dilectione divulſa ſit, erit quidem ſidei habitus, & per ſe bona mentis qualitas, ſed ea nemo bene utetur ad beatitudinem habendam, non defectu fidei, ſed caritatis, per quam fides operatur ex Ap. ad Gal. 5. & Aug. de Gr. & Arb. 7. Ad II. neg. Conſ. Non enim ſola caritas, ſed etiam ſpes, timor Domini &c. faciunt actiones chriſtianas, ſed ut iſtæ actiones non ſolum officio, ſed etiam fine rectæ ſint, & coronam promereantur, debent tendere ad finem ultimum, per actualem & inchoatam caritatem, non per habitualem, quam ſolam novatores agnoſcunt, unde & damnati ſunt ab Eccleſia, ut dictum eſt. Ad III. diſt. ant. Sequitur, ſpem non eſſe ſine amore habituali in ſenſu Queſnelli, conc. ſine amore inchoato in ſenſu catholico, neg. Nemo enim ſperare poteſt, niſi amet bona illa, quæ ſperat.

Ad ult. R. *Timorem ex amore naſci*, ut ait D. Th. vel ergo timemus ob amorem mundi, & eſt timor vitioſus, vel timemus ob gehennam, & eſt timor

mor servilis, substantia quidem bonus, cum sit Dei donum, & a malo coerceat, sed nondum habet perfectionem virtutis, non defectu timoris, sed timentis: vel timemus propter horrorem culpæ, & est timor filialis, filiorum est enim timere offensam patris, atque is in serie virtutum constituendus est: sed is oritur ex ordinata dilectione & ex honestatis amore.

Ob. II. Cohæret sententia ista cum prop. 7. ab Alex. VIII. proscripta: *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, caritas Patris est; si mundi concupiscentia carnis, idest mala.* Item cum 9. *Peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, sine ullo ad Deum offensum respectu*, item cum X. XI. XII. & XIII. quæ negant, virtutem esse fidem, quæ per dilectionem non operatur, deficere fidem deficiente amore, nec vitio carere, quod caret amore; ergo cum iis damnatur nostra sententia.

R. neg. conf. Illa enim septima propositio, surculus est Bajani articuli 38. ut notat etiam Viva, & jure proscripta est, quia plura opera deliberata recte fiunt, absque caritate habituali: multa etiam ex officio, & quoad substantiam bona sunt, licet virtutis laudem, defectu relationis in Deum, non promereantur. Propositio IX. etiam jure proscripta est, tum ob peccatum philosophicum, quod videtur adstruere, tum quod supponit, detestationem peccati ob ejus turpitudinem non exoriri ex amore honestatis, qui rectus est, & ad virtutem constituendam idoneus: servatis tamen iis, quæ de virtutis norma alibi dicta sunt. Aliæ propositiones merito proscriptæ sunt, quod catholicæ doctrinæ adversentur, quod etiam sine caritate permaneant fidei habitus, aliarumque virtutum, & harum actus ex se labefactatos esse vitio pronuntient, cum recti sint, ut alibi dictum est.

CA-

CAPUT V.

De virtutis præmio, æterna nimirum felicitate, & in quo creaturæ actu constituenda sit.

NOT. I. In nulla fluxi boni participatione felicitatem hominis esse constitutam, cuique fidelium est exploratum. Non enim vera in hac mortali vita beatitudo reperiri potest, *quando ipsum vivere non est in hominis potestate: vivere enim vult, & mori cogitur*, ait S. P. l. 14. de C. D. 25. Neque in tribus præcipuis bonis corporis, sanitate, pulchritudine, aut voluptate beatitudo sita est: hæc enim, cum possint amitti, necesse est, ut cum timore possideantur. Idem dicendum de bonis externis, ut sunt divitiæ, fama, ac nobilitas, quæ ut plurimum fortunæ ludibrio sunt expositæ, ut vel unum Sejani exemplum commonstrat. Neque in virtute, ac sapientia humanam beatitatem esse constituendam arbitramur: hæc enim, licet aliorum bonorum comparatione æstimabilis sit, non est tamen bonum perpetuum, atque jucundum; recedere enim potest, si sapientes aliquo morbo efficiantur insani, si dæmonum patiantur incursus, quod malum quis confidit evenire non posse in hac mortali vita sapientibus? Adde, omnem sapientiam nobis donari a Deo, qui solus est verum & incommutabile bonum, atque in ejus consecutione felicitas nostra consistit.

Not. II. Quærunt Theologi, in quo sita sit hæc summi boni possessio, quæ veram hominis beatitatem, ac virtutis mercedem constituit. Thomistæ in actu intellectus constituunt. Scotistæ in actu voluntatis, alii in utroque, quidam in gaudio & delectatione. Sit itaque

PROPOSITIO I. Beatitudinis perfectio in utroque actu tam voluntatis, quam intellectus constituenda est.

Prob. I. scripturis. Ps. 16. habetur: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Ps. 79. *Ostende faciem tuam, & salvi erimus.* Matth. 5. *Beati mundo corde,*

de, quoniam ipsi Deum videbunt. Joan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te;* ergo beatitudo in ipsa cognitione, adeoque in actu intellectus sita est, ut placet Thomistis. Quod vero etiam in actu voluntatis consistat, ut Scotistæ contendunt, prob. ex Ps. 35. ubi habetur: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Matth. 25. *Intra in gaudium Domini tui.* Jo. 16. *Gaudebit cor vestrum.* Rom. 14. *Non est regnum Dei esca, & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu S.* ergo &c.

Prob. II. ex PP. Stant enim pro Thomistis Ambrosius l. 4. de Off. 2 dicens: *Scriptura vitam æternam in cognitione posuit divinitatis.* Chrys. Ho. 81. in Jo. *Omnis requies est Filium Dei videre.* S. P. de Trin. n. 28. *Ipsa visio est facie ad faciem, quæ summum præmium promittitur justis.* Et de Sp. & lit. 33. *Illa cognitione, illa visione &c. satiabitur in bonis animæ desiderium.* Stant etiam pro Scotistis alia Aug. loca. Nam 10. Conf. 22. ait S. D. *Et ipsa est beata vita, gaudere ad te, de te, propter te.* Et c. proximo: *Beata vita est gaudium de veritate.* Et l. 1. de Doctr. 29. *Deo perfrui beate vivere est.* Et l. 14. de C. D. 25. *Beata vita, si amatur, & habetur.* Ambrosius vero loc. c. vitam æternam statuit in perfectione virtutis, quæ sane perfectio est amor. Chrys. etiam ait hom. 46. in Mat., voluntatem remunerari *sempiterna delectatione;* ergo &c. Cum ergo scripturæ ac PP. utramque sententiam probent, constat beatitudinem utramque complecti. Unde Ambros. de Vita beata c. 7. ait, eam *in possessione veri, & boni* sitam esse. Bernardus Ep. 18. ait: *Si absentes initiat fides, & desiderium; præsentes consummat visio, & amor.* S. Th. de Villanova in Conc. de Magd. ait: *Beatitudo nostra aut in visione, & amore Dei consistit, aut utrumque ad complementum necessarium est.* Bened. XII. statuit, SS. animas *ex visione, & fruitione esse vere beatas.* Idem statuitur in Clementina.

Prob.

Prob. III. ratione. I. enim creatura rationalis prædita eſt intelligendi, & volendi facultate, & in Deo eſt ſummi veri, & boni plenitudo; ergo ut perfecta ſit rationalis creaturæ ſatietas, plenaque finis ſui conſecutio, opus eſt teneri in poſſeſſione veri, & boni beatitudinis definitionem, ut ait Ambroſius. II. Liberum arbitrium, & meritum intellectu, & voluntate comparatur; ergo utrique præmium rependitur. III. *qui videt ſolum, non fruitur, & qui diligit dumtaxat, non quietatur, donec videat quod amat*, ait D. Th. de Villanova ib.; ergo ad conſtituendam beatitudinem utrumque requiritur.

Propositio II. Perfectior actus, quo potiſſimum Deo fruimur, eſt amor.

Prob. I. Beata vita eſt Deo frui, quod non habetur, niſi amando, & bonum illud incommutabile eſt, quod ſolum vota noſtra poteſt explere. Atqui frui, amare, & bono adhærere ſunt animi diligentis opera: ergo &c. II. Cognitio fruitionem præcedit, & eſt potius prævia conditio ſummum bonum proponens, quam ejus poſſeſſio. III. Licet in via fides ad vitam ſpiritalem animarum ſit neceſſaria, non eſt tamen vita ipſa, quæ in amore ſita eſt, ut ſcripturæ teſtantur; ergo, licet in patria viſio prærequiratur ad vitam æternam, conſtituit tamen hanc vitam ille amor & caritas. Hinc S. P. L. 1. de Lib. arb. 13. ait: *Hoc ipſum gaudium* beata vita dicitur. IV. Cenſent Thomiſtæ, viſionem eſſe actum rationalis animæ perfectiorem, ſed per Aug. l. 15. de Trin. 19. in donis Dei *nullum majus eſt caritate*, ut evincitur ex 1. Cor. 13. & c. 2. oſtenſum eſt; ergo &c. V. Viſio ex Anſel. l. 2. ad amorem ordinatur, ait enim, quod *rectiſſimus ordo eſt intelligere ad amandum*; ergo &c. VI. *Si videro, & non amavero*, ait D. Thomas de Villan. loc. cit. *per hoc nec Deo gratus aut amicus exiſto: ſi autem amo, etſi non videam, Dei amicus ſum.* VII. Pejus

jus eſt odiſſe Deum, quam ignorare; ergo melius eſt diligere, quam videre.

Opponunt Thomiſtæ argumenta 1. Prop. Sed R. ex iis tantum evinci, quod viſio ſit beatitudinis cauſſa *efficiens*, non formalis, ſicut notitia deſiderium parit, fides juſtitiam, intuitus amorem, hoc ſenſu ait Pſ. 16. *Satiabor, cum apparuerit*, & Ep. 1. Jo. *Similes ei erimus, quia videbimus &c.* Nam ex apparitione ſatietas, ex viſione oritur ſimilitudo. Locus Jo. 17. accipitur a PP. vel de fide in Deum, vel de contemplatione. Sicut ergo, cum de fide accipitur, ſignificatur, hanc fidem veram eſſe, quæ ad vitam æternam perducit, ita cum de beatorum contemplatione accipitur, oſtenditur, viſionem Dei intuitivam eſſe perfectam cognitionem, unde ſequitur beatitudo, amor nempe, & gaudium æternum.

Inſt. Thomiſtæ: per cognitionem fit objectum præſens, & poſſidetur, ergo &c. R. diſt. ant. Fit præſens præſentia *objectiva*, conc. *fruitiva*, neg. Illa vero per ſe gaudium non affert, ſed ſæpe anxietatem; ergo &c. Dices: gaudium ab amore ſecernitur; ergo &c. R. diſt. ant. ab amore *utentis*, conc. *fruentis*, neg. Duo ſunt enim amoris actus, *uti*, *&* *frui*.

DISSERTATIO II.

De humanorum officiorum vitiis, & turpitudine.

Ad ſex capita hæc diſſertatio revocabitur. I. erit de peccati natura, macula, & turpitudine. II. de peccatis venialibus. III. de mortali, ejuſque gravitate, & nequitia. IV. de variis circa peccata quæſtionibus. V. de peccatis ex invinc. ignorantia patratis. VI. de variis regulis, quibus ignorantia, aut delectatio culpabilis ab inculpabili ſecernitur.

CAPUT

CAPUT I.

De peccati natura, macula, ac turpitudine.

NOT. vitium hoc loco intelligimus, non artis, aut naturæ defectum, sed animi pravitatem, & humanorum officiorum turpitudinem, quod vulgo peccatum dicitur; quodve non pro solo actu peccati, sed pro ejus etiam habitu communiter usurpatur. Definitur autem ab Aug. l. 1. de duabus Anim. c. 11. relate ad legem æquitatis: *Voluntas retinendi, vel consequendi, quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere:* & l. 12. contra Fauft. 27. *Dictum, factum, vel concupitum contra æternam Dei legem.* At relate ad perversum dilectionis ordinem definitur Ep. 140. & Quæst. 30. *Inordinatio amoris, quo avertimur a bono incommutabili, & convertimur ad bona commutabilia; seu perversio voluntatis, quæ utitur fruendis, & fruitur utendis.* Hinc peccati malitia derivatur, quam frustra ex iis definitionibus aliquid positivum esse nonnulli opinantur. Contra quos sit

PROPOSITIO. Peccati malitia in rectitudinis privatione consistit.

Prob. I. Iisdem argumentis, quibus de natura mali contra Manich. L. x. disputavimus, & de vitiorum orig. l. 18. c. 3. ubi cum Aug. ostendimus, peccatum malum esse, quia ab æterna lege deflectit. Accedit Aug. locus ex Tr. 1. in Joann. *Peccatum quidem non per ipsum factum est, quia peccatum nihil est;* si ergo omnia per verbum facta sunt, & per ipsum nequitia facta non est, in rerum universitate non comprehenditur; adeoque nihil est.

Ob. I. Peccatum ab Aug. definitur: *Voluntas retinendi &c.* nec non: *Dictum, factum, & concupitum contra legem Dei*, item, *aversio a Deo, & conversio ad creaturas*, tandem, *fruendis uti, & utendis frui*, sed voluntas, dictum, factum, aversio a Deo, & conversio ad Creaturas, item *uti*, &

& frui eſt quid poſitivum; ergo & peccatum eſt quid poſitivnm. R. neg. min. Nullum enim in iis definitionibus invenitur vocabulum, quod *incomplexe* acceptum, ideſt ſolitarie, & ab aliis divulſum, valeat deſignare peccatum; adeoque peccatum eſt *complexe* tantum ſignificabile, & nihil; ut ſi dicas, qui claudicat altero pede non recte incedit, bene deſcribis claudicationem per actum pedis non recte incedentis: nec tamen claudicationis deformitas eſt aliquid poſitivum, ſed rectitudinis deficientia, quam deſignare termino incomplexo illius enunciationis non poſſumus, uno ſcilicet propoſ. vocabulo ab aliis ſejuncto, ut homo, Deus &c. qui incomplexe, & ſejuncte divinitatem, & humanitatem ſignificant.

Ob. II. dantur duo vitia eidem virtuti oppoſita, ſed hæc opponi nequeunt per privationem, cum uni formæ una tantum privatio reſpondeat; ergo per entitatem. 2. Sunt peccata quædam per ſe mala, ut mendacium, blaſphemia &c. ſed horum malitia neque ex deficientia a lege repetitur, cum ſint per ſe mala, neque ex privatione rectitudinis, quia privatio non datur, niſi in ſubjecto capaci recipiendi formam privationi contrariam, qua capacitate hæc peccata carent; ergo &c. 3. Ex ſententia noſtra plura ſequuntur abſurda, nempe peccatum nihil eſſe, adeoque nihil remittere ſacerdotem, pro nihilo damnari legis tranſgreſſorem, nec omiſſionis peccatum a commiſſione ſecerni 4. Nulla privatio eſt gravior altera; ergo &c.

R. Ad I. neg. min. Poteſt enim illa privatio terminum oppoſitum connotare, ut ſi virga ferrea dextrorſum, lignea ſiniſtrorſum flectantur. Hoc pacto dantur duo vitia eidem virtuti contraria, ut prodigalitas, & avaritia, quæ temperantiæ opponnntur, nec tamen illarum nequitia eſt aliquid, ſed ab æquitate deflexio. Ad II. neg. min. Ad prob. neg. min. Ad cujus prob. dico, quod mendacium & plaſphemia habent illam rectitudinis capacitatem,

non secundum rationem mendacii, aut blasphemiæ, sed secundum rationem communem actus humani.

Ad III. neg. ant. Remittitur enim peccatum, non destruendo ejus entitatem, quæ nulla est, sed lucem sanctificantis gratiæ diffundendo, ut tenebræ fugantur a sole. Punitur etiam peccatum, non quia operatur, sed quia aut non operatur, aut male operatur, ut servus vapulat, dum jussa negligit, aut male exequitur. Peccatum præterea non solum privationem, sed etiam maculam importat, quæ est privatio nitoris, sine quo anima jure a Deo repudiatur. Peccatum vero commissionis ab omissione differt ratione actus, differentia materiali, non formali. Ad IV. dist. ant. Non est major altera, in se, conc. *connotative*, ideft relate ad bonum, cujus est privatio, nego.

Inst. Aug. locus ex Tract. 1. in Jo. non est ad rem. Censuit enim Aug. locum cit. legendum esse: *Et sine ipso factum est nihil*, sed hæc lectio rejicitur ex Græco textu, qui habet: *Sine ipso factum est nihil, quod factum est*, item a Chrysostomo qui eam hæreticam censet: & Hieron. qui, ut scribit a Lapide, coactam appellat in c. 2. Mich. ergo &c. R. neg. ant. Ad prob. neg. min. Nam in pluribus Græcis codicibus talis est distinctio: *Et sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso vita erat.* Constat ita legi apud Cyrillum Alex. c. 5. & 6. in Jo. & videtur interpunctio abrasa, ob errorem, Macedonianorum, qui legebant: *Sine ipso factum est nihil: & Spiritus S., qui in ipso vita erat, factus est*; recte ergo ait Chrys. hæreticum esse ea verba hoc puncto notare. Ex quibus verbis Valla, aliique scripsere, interpunctionem ab Hæreticis affictam esse, quod valde incertum est, cum Cyrillus ea verba eodem puncto disjungat. Hinc Lucas Brug. ait: *Consulto usi sunt correctores Sixtini ambiguo hoc distinguendi modo, quo illud, quod factum est, & præcedentibus jungi potest, & subsequentibus, eo*

quod auctores diversimode distinguant: Chrysostomus priori modo, Aug. posteriori. Neque Hieron. ait, id *subtilius esse, quam solidius, coactius quam germanius*, ut scribit a Lapide, sed allata antiquorum interpretatione, quæ Augustini expositioni cohæret, non eam rejicit, sed lectoris arbitrio relinquit: *Si cui videatur nimis coactum, & contra scripturæ simplicitatem dissertum.* Vide S. P. verba apud auctorem.

Quæres quid sit peccati macula, ac permanens in anima reatus, per quem actu malo transeunte remanet adhuc, donec expietur, labes & culpa?

R. Id declaratur exemplo. Rectum teneo baculum, cujus pulchritudo est rectissimum esse; si illum inflecto, aliquam contrahit deformitatem ipsi inhærentem, etiam dum manum retraho. Facile in priorem formam opposita flexione restituo: si tamen sæpe detorqueam, sit in baculo pronitas quædam ad curvitatem, qua aut ægre dirigitur, aut rursus facile torquetur. Ubi flexio præteriens actus est; curvitas in baculo deformitas: facilitas vitium actibus repetitis productum. Ita humana voluntas potest ad bonum, ac malum libero arbitrio inclinari: ejus honestas, & decor est rectitudo, neque a lege deflectere. Dum pravo motu a summo bono ad fluxa convertitur, contorta redditur & difformis. Pristinam formam obtinet per caritatem, sed, si sæpe deflectat ab æquitatis semita, induit quandam ad malum proclivitatem, qua facile relabitur. Motus ergo ille arbitrii inclinans voluntatem ad malum, est actus peccati: deformitas permanens in voluntate est peccati macula, reatus, & labes: facilitas illa, & ad malum propensio est *habitus* peccati. Ita fit, ut prætereunte actu peccati, persistat reatus, & macula, & hac deleta habitus perseveret.

CAPUT II.

De peccatis venialibus.

NOT. I. cum omne peccatum pervertat amoris ordinem, ut dictum est, oritur quæstio, an

peccatum aliquod detur natura sua veniale. Negant Lutherus, Calvinus, Vermilius, Beza, Marloratus &c. qui docent, omnia peccata etiam justorum esse natura sua lethalia, licet ea prædestinatis Dei miseratione non imputentur. Quam sententiam, *errorem fanaticorum* vocat Melanchthon, & impugnat H. Grotius. Jovinianus autem *omnia peccata, sicut Stoici philosophi, paria esse dicebat, nec posse peccare hominem lavacro regenerationis accepto*, ut scribit S. P. A. Hær. 82. Sed hæreticum refutavit Hieron. l. 2. dicens: *Audebis ne dicere, sic negasse Petrum, & cæteros Apostolos, qui fugerunt, quomodo Caiphas, & Pharisæos, & clamantem populum, crucifige &c.* Statuendum est ergo aliquod inter peccata discrimen, & unum esse gravius alio dubitari non potest.

Not. II. Peccatum veniale dici dupliciter: I. quia per pœnitentiam veniam consequitur, quo sensu omnia resipiscentium peccata venialia sunt. II. quia in se inspectum non meretur divinam indignationem, nec æterno supplicio punitur. Sit itaque

Propositio. Dantur reapse peccata genere suo venialia.

Prob. I. ex script. simul, ac SS. PP. Orant enim justi quotidie: *Dimitte nobis debita nostra*, & Jac. 3. ait: *In multis offendimus omnes.* Item ep. Jo. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*; sed peccata quotidiana justis communia, quibus Dei amicitia non tollitur, venialia sunt; ergo &c. Hinc in Or. de Divit. & Laz. ait Chrys. *Etiamsi millies quis justus sit, non tamen quit ab omni nævo esse purus: Ideo jubemur dicere, dimitte nobis &c.* Aug. etiam de Fide, & Op. ait: *Nisi essent quædam, sine quibus hæc vita non agitur, non quotidianam medelam promitteret: dimitte nobis &c.* Eadem habent Cyprianus, Ambrosius, aliique. Hinc Trid. Syn. Sess. 6. c. 11. ait: *Licet justi in levia saltem, quæ venialia dicuntur peccata, quandoque cadant, non desinunt esse justi.* Quare S. P. de N. &

Gr. 35.

Gr. 35. & 36. ait, quod Justi etiam Sanctissimi, *si interrogari potuissent, una voce clamassent: si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* Vide Aug. loco citato.

II. Matth. 22. habetur: *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio: qui dixerit fratri suo, raca. reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis*, &c. 7. *Vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides.* Ex quorum locorum I. liquet, uni conviciorum temporale supplicium respondere, alteri æternum, sed quod temporaliter punitur, est per se veniale; ergo &c. Quare Chrys. hom. 16. in Matth. ait: *Eum, qui sine caussa irascitur, judicio condemnat, eum vero, qui dixerit, raca, reum pronunciat esse concilio, sed ista hujus sæculi sunt pœnæ. Quocirca eum, qui fratri fatue dixisset, gehennæ ignibus deputat.* Si quæras, cur gehennæ deputetur, qui *fatuum* dicit fratrem, quod leve crimen est, & veniale? R. Chrysostomus. *Noli aspicere, quod unum hic verbum sit, sed quantum periculi habeat expende. An ignoras, inimicitiarum tempore etiam minimum magnum videri. Nam hæc ipsa parvula homicidia pepererunt, & urbes subruerunt.* Ex II. autem dari levia peccata, quæ festucis comparantur ostendit Hieron. Comm. in hunc loc. dicens: *De his loquitur, qui cum ipsi mortali crimine teneantur, minora peccata fratribus non concedunt.* Vid. auctorem.

III. Ap. 1. Cor. 3. ait: *Si quis superædificat aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit:* atqui *aurum, argentum &c.* per Chrysost. Theod. Aug. aliosque PP. Græcos, & Latinos bona opera significat; ergo *fœnum, lignum &c.* mala opera, sed leviora significat, & venialia peccata. R. Hæretici cum Erasmo, PP. Græcos, sicuti argentum, aurum &c. bona opera æternis præmiis coronanda exponunt, ita lignum, stipulam &c. mala opera æterno igne punienda interpretantur. Accedit quod Am-

brosiaster fœnum &c. exponit errores hæreticorum, inter venialia minime numerandos. Verum, licet *fœnum*, *stipulam &c.* opera mala designari Græci, ac Latini consentiant, tamen non mala quælibet, sed solum venialia denotari longe melius docent Gregorius, & Aug. docet enim Apost. eum, qui superædificat fœnum &c. salvum futurum esse: *Sic tamen quasi per ignem*, sed qui lethalia superædificant, salvi non fient; hic enim est error Origenis; ergo &c. Neque his verbis errores hæreticorum possunt intelligi, ut ait Ambrosiaster: errores enim non sunt supra fundamentum constructi, sed potius fundamentum ipsum evertunt; ergo &c.

Prob. II. ratione. I. enim vera amicitia læditur quidem levibus offensionibus, sed minime frangitur, & communia filiorum vitia patri displicent, sed facile condonantur; ergo &c. II. Percipi nequit, Deum O. M. homines tanto pretio redemptos, ob verbum otiosum, aut ob aliud levius peccatum, velle perpetuis cruciatibus addicere. III. Peccatum est quædam spiritalis infirmitas; sicut ergo carnis morbi alii graviores sunt, alii leviores, ita peccata graviora quædam sunt & lethalia, alia leviora & venialia. Merito ergo proscriptus est ab Ecclesia secundus Baji articulus: *Nullum est peccatum natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

Ob. I. Matth. 5. habetur: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum*; sed hoc est cum maledictis in gehennam detrudi, ut exponit Hom. 16. in Matth. Chrysostomus; ergo leve etiam peccatum promeretur gehennam. II. Matth. 12. habetur: *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*; ergo &c. III. Joan. 13. Christus ait Petro: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, sed lotio pedum per Aug. significat emundationem a venialibus; ergo &c. IV. Iac. 2. *Quicumque offendat in uno factus est omnium reus*; ergo &c. V. de

de peccato absolute dicitur in scripturis, quod mortem inferat animæ &c. ergo &c.

R. Ad primum dist. maj. *De istis minimis*, idest quæ minima putantur a Pharisæis, gravia sunt tamen in se, conc. quæ minima sunt reapse, neg. Perstringit enim ibi Christus Pharisæorum hypocrisim, qui jactabant servari legem non occidendo, non mœchando &c. fas tamen esse irasci, conviciari, concupiscere, jurare per cælum, &c. hæc tamen, quæ ab iis levia putabantur, gravia esse nemo non videt. Ita hunc locum exponit Chrysost. cujus verba supra recitavimus. Neque id diffitetur Glassius, qui in Log. Sacra c. 2. ait: *Vocula, minimus, alludit ad opinionem Rabbinorum, quædam præcepta dicentium esse minima.*

Ad secundum neg. cons. Aliud est enim de culpis minimis reddendam esse rationem, aliud extremo *supplicio plectendas*; habetur ergo ibi argumentatio de minori ad majus: si enim *verbum otiosum, quod etiamsi bonum sit, ad ædificationem tamen non aptatur, in illo totius Orbis conventu subjicietur examini, quid scurrilibus, & detrahentibus, & obscœnis verbis fiet*? ait Basilius a Clario laudatus, ut ostendat Christus Dominus, gravius supplicium deberi verbis maledicis, ac blasphemiis Pharisæorum adversum Filium hominis.

Ad tertium dist. maj. Non habebis partem, hoc est exulabis a regno meo, ubi nihil est immundum, exilio perpetuo, neg. temporali, donec per ignem mundus fias, conc. Hinc S. P. Tr. 56. in Joann. ait: *In his autem, qui hic demorantur, etiamsi munda sit* (Ecclesia) *quoniam juste vivunt; opus tamen habent pedes lavare, quoniam sine peccato utique non sunt*; dantur ergo peccata venialia, quæ munditiam interiorem, & justitiam non tollunt. Ad IV. neg. cons. *Omnes enim offendimus*, ait S. P. Ep. 22. *sed unus gravius, alius levius. Quanto quisque gravius, leviusque peccaverit, tanto erit in peccato committendo major, quanto in diligendo Deo, & proximo minor.*

 Merito

Merito ergo fit reus omnium, qui contra illam (caritatem) *facit, in qua pendent omnia.* Grotius ita exponit: *Quicumque offendat in uno, nempe eorum, quibus pœna capitalis constituta est, non minus morte punitur, quam si omnia præcepta violasset.* Ad 5. dist. maj. De peccato antonomastice, hoc est de lethali dicitur, quod mortem inferat, conc., de quocumque, neg. Sicut enim peccato mors, ita gratiæ vita æterna tribuitur in scripturis, sed non omnis gratia vitam æternam tribuit, sed sola habitualis; ergo a pari. Ita mori dicimus hominem febri, sed non omni.

Ob. II. Ss. PP. divinæ misericordiæ tribuunt, si nos crimina illa minuta non obruunt: ergo &c. Item in Evangelio nullum extat inter venialia, & lethalia discrimen, sed omnia fugienda proponuntur; ergo &c. III. Levi etiam culpa Deo injuria irrogatur; ergo &c. IV. Insignis est ea de re declamatio Basilii M. ergo &c. R. ad primum dist. ant. Divinæ misericordiæ tribuunt &c., quatenus in graviora prolabimur, nisi Deus gratiam inspiret, & manum, opemque ferat, conc. quatenus per se sunt lethalia, neg. Consulto itaque PP. nos admonent, ne peccata etiam minima foveamus, nam *qui minora spernit, paulatim decidit.* Licet enim levia hæc per se ad supplicia non trahant, tamen, ut aqua paulatim subrepens navem mergit; ita levia illa peccata animam gravant, trahuntque in profundum. Inde insignis declamatio Basilii, & aliorum PP. Ad secundum neg. ant. Vid. in 1. prob. primum & secundum argumentum. Ad III. dist. ant. Irrogatur levis injuria, conc. gravis, neg. Porro levi injuriæ æternum supplicium nullo modo respondet. Vid. Prob. II. Ad IV. vide R. ad primum.

Ob III. ratione I. Per minimum peccatum violatur primum & maximum præceptum: *Diliges ex toto corde &c.* ergo summum promeretur supplicium. II. per leve etiam peccatum a Deo avertimur, & convertimur ad creaturas, quibus fruimur, in

iis

iis ultimo fine constituto, sed hæc gravis est Deo injuria; ergo &c. III. nefas est minimam culpam committere propter quodvis bonum comparandam, aut malum fugiendum; ergo quovis malo major est levis culpa; ergo &c. IV. quidquid boni justus agit, vitam promeretur æternam; ergo quidquid mali gerit æternum promeretur supplicium.

R. ad primum violatur &c. transgressione levi, conc. gravi, neg. Sicut enim Deum non semper diligimus flagrantissima caritate, ut crimina nostra dimittantur; ita non semper bona fluxa tam ardenter amamus, ut a justitia excidamus. Vid. Prob. 2. Ad II. dist. maj. Per leve peccatum a Deo avertimur parva cupiditate, per quam nos ab amore summi boni non divellimur, conc. vehementi, per quam ab eo prorsus divellimur, ut fit per peccatum lethale, neg. Hac regula inter mortale, ac veniale aliqualiter distingui potest, licet id valde operosum videatur Aug. l. 21. de C. D. 27. Si enim adeo rei creatæ adhæreamus, ut hanc summo bono præferamus, lethale erit, secus veniale: id vero maxime ex adjunctis, & circumstantiis dignosci potest. Ad III. dist. cons. Quovis malo physico, conc., morali, neg. Nefas est itaque, e. g. mentiri, quod est malum morale, licet in nihilum abiret universus, quod est malum physicum. Hinc tamen non sequitur, quodvis leve malum morale æterno supplicio puniendum, nam in punitione attendi debet lex justitiæ, æquitasque vindictæ, nec debet eadem pœna puniri leve convicium, ac homicidium, officiosum mendacium, ac furtum. Ad IV. neg. cons. & par. Meritum enim pendet a Dei voluntate, demeritum vero ab operis conditione. Deus enim, cum sit misericors, coronat ultra condignum, cum sit justus, punit juxta demeritum.

CAPUT III.

De peccato mortali, ejusque gravitate, & nequitia.

NOT. I. mortale peccatum illud dicimus, quod a Spiritu S. inhabitante, & caritate habituali ita animam distrahit, ut divinitatis consortio privetur, & spiritali turpitudine affecta veniat in odium creatoris, & perpetuæ damnationis pœnam promereatur. De hoc peccato quæritur in scholis, an adeo sit grave, ut dici debeat aliqua ratione infinitum? Et quidem finitum esse, si accipiatur pro ipsa physica actione, dubium non est: sed quantum spectat ad privationem gratiæ, & gloriæ, & inhabitantis Spiritus S., censent nonnulli, inter quos Vanroy, Piette &c., peccatum mortale censendum esse infinitum, cum auferat bonum infinitum, & infinitum inferat nocumentum; sed cum privatio sit amissio boni, non prout in se est, sed prout participatur, cum Spiritus S. gratia finito modo a creatura participetur, constat eorum privationem esse finitam.

Not. II. Si accipiatur peccatum, prout est offensa Dei, omnes ferme Theologi docent, illud nequitiæ esse infinitæ. Idque pluribus momentis probare contendunt I. quod mortale peccatum Deo aufert rationem ultimi finis. II. quod quantum in se est perimit ipsum Deum. III. quod per ipsum crucifigitur Christus in nobis, & desinit vivere per gratiam sanctificantem. IV. quod punitur æterna morte, & supplicio extensive infinito. Sed hæc momenta non satis firma esse ostendit noster cl. auctor, cum neque actus caritatis infinitus dicatur, licet Deo omnia postponat, licet caritas vivificet, licet vitam largiatur æternam. Sit itaque

PROPOSITIO. Mortale peccatum, prout est offensa Dei, habet nequitiam moraliter infinitam.

Prob. Qualitas enim offensæ commensuratur dignitati personæ, quæ injuria afficitur, ut enim communi fertur effato: *Honor est in honorante, offensio in*

in perſona offenſa. Hinc injuria principi illata gravior cenſetur, quam ea, quæ infertur plebejo: & contra honor a rege exhibitus potior eſt, quam a populari: atqui peccatum mortale eſt offenſa Dei, cujus majeſtas, dignitas, ac liberalitas eſt infinita; ergo &c. Confirmatur ex infinitis Dei attributis. Si enim graviſſimum crimen eſt parentem optimum, ac juſtiſſimum principem lædere; erit ergo infinitum flagitium, patrem omnipotentem, creatorem univerſorum, ac Dominum noſtrum, qui nos tot beneficiis cumulavit, laceſſere. R. Scotus, Vaſquez, Suarez, l' Herminier &c., gravitatem offenſæ deſumi a dignitate perſonæ, non *ſimpliciter*, ſed *ſecundum quid*, & proportione ſervata, cum nulla res finita ſit capax infinitatis. Sed contra: ſi enim dignitas perſonæ auget gravitatem peccati *ſecundum quid*, ſeu comparate ad objectum, erit peccatum in ratione offenſæ infinitum, quia non ſpectatur *ſimpliciter*, & prout eſt in ſe, ſed connotative, & ratione objecti infiniti, qui eſt Deus. Nec repugnat, actionem *finitam in ſe eſſe infinitam connotative*, relate ad Deum: nam actio Dei infinita in ſe, finita eſt ratione connotatorum, ſeu creaturarum.

Obj. I. Si hæc ita ſint, infinita erit 1. viſio beatorum, 2. infinitus caritatis actus, 3. infinita pœna privatio beatitudinis: quia hæc connotant terminum infinitum, 4. nullum item diſcrimen erit inter veniale, ac mortale peccatum, cum illud etiam ſit injuria Deo illata; ergo &c. 5. nullum item diſcrimen erit inter mortalia, cum nullum infinitum ſit majus altero. R. ad primum neg. ſeq. Viſio enim ſpectatur ratione potentiæ, ſeu modi, quo elicitur, non ratione objecti, in quod fertur; peccatum vero ſpectetur *connotative*, ut dictum eſt: nempe ratione objecti infiniti, qui Deus eſt. Ad ſecundum neg. ſequelam. Actus enim caritatis ſive ſpectetur ut voluntatis actus, ſive prout eſt Dei cultus, finitus eſt, quia honor ratione perſonæ, non ratione objecti æſtimatur, ut ſupra dictum eſt. Ad III. vid.

Not.

Not. I. Ad IV. neg. ant. Ad prob. neg. ant. Licet enim veniale ſit legis tranſgreſſio, cum hæc inconſiderate, neque ex contemptu fiat, dici nequit Deo injurioſa. Ad V. diſt. ant. Nullum &c. relate ad legem æternam, prout univerſaliter præſcribit Dei cultum, & dilectionem, conc. relate ad eandem legem, prout in particulari prohibet utrumque crimen, quorùm unum dilectioni magis repugnat, quam alterum, neg. Magis enim recedit a Deo, qui illum negat, quam qui ejus nomen pronunciat irreverenter. Vide Not. 1. c. 2.

CAPUT IV.

De variis quæſtionibus circa peccata.

QUÆRI ſolet hoc loco a ſcholaſticis. I. An peccata ſpecie, aut numero differant? R. nonnulli, differre ſpecie, per ordinem ad objecta, aliqui per ordinem ad virtutes, quibus opponuntur: alii denique relate ad varias regulas legis æternæ. Poteſt hæc ſententia cum præcedentibus conciliari. Unde, ſi velis peccata diſtinguere, relate ad objecta, hæc accipies in quantum diverſa ratione diligi poſſunt, aut odio haberi, violatis æternæ legis præceptis. Peccat, e. g. voluntas, dum a bono ſummo ad fluxa convertitur, quibus *uti* debet, non *frui.* Si ex his aurum eligas, & propter illud des operam literis &c. *frueris* auro, & primum æternæ legis præſcriptum violaſti: hoc peccatum dicitur *avaritia.* Si auro non *fruaris*, ſed *utaris* ad epulas, ad Venerem &c. male *uteris*, & aliud præceptum æternæ legis violaſti, & hoc peccatum a primo ſpecie eſt diverſum, & dicitur prodigalitas. In ipſo uſu malo bonorum commutabilium poſſunt diverſæ æquitatis regulæ violari, juxta varietatem finis, aut objecti. Si enim pecuniam profuderis, ob tui exiſtimationem, conjungis cum prodigalitate *ſuperbiam*, ſi ob amorem mulierum, *luxuriam.* Poteſt etiam idem finis ad diverſa objecta referri, ſi concupiſcas nuptam, virginem &c. exurgit ſpecies pecca-

peccatorum diverſa. Idem dico de adjunctis loci, perſonæ, ac temporis. Quod ſi peccata plura ſint actus diverſi, & eidem regulæ oppoſiti, tunc multiplicantur non *ſpecie*, ſed numero.

Quæres II. Quænam ſit apta peccatorum diviſio; R. peccatum, aliud eſſe *originale*, de quo lib. XIII. actum eſt, aliud actuale, quod propria cujuſvis voluntate fit. Hoc autem dividi ſolet aut ratione majoris, vel minoris nequitiæ, aut ratione termini, vel objecti, aut ratione impellentis cauſſæ, aut ratione affectionis, quam imprimit animo. Spectata gravitate, & nequitia, aliud eſt peccatum *veniale*, aliud *mortale*, de quibus c. 2. & 3. actum eſt. Ratione autem objecti, aliud eſt peccatum immediate adverſus Deum, ut hæreſis, idololatria, blaſphemia; aliud contra ſe ipſum, ut intemperantia, & aliqua luxuriæ ſpecies: aliud adverſus proximum, ut furtum, homicidium &c. Ratione impellentis cauſſæ, alia ſunt peccata ignorantiæ, alia infirmitatis, alia malitiæ. Vel enim peccamus vincibili ignorantia, vel concupiſcentia, cui libere ſuccumbimus, vel ſtudioſa malitia. Sunt quoque peccatorum cauſſæ facultates animæ, & ſenſuum: unde peccata dividi ſolent in *ſpiritualia*, & *carnalia*: illa internis potentiis, & ſuperbia, & invidia, hæc ſenſibus fiunt, ut gula, & luxuria. Tandem ratione affectionis animorum, aliud eſt peccatum *habituale*, quod tale dicitur ratione maculæ & reatus animo inhærentis; aliud eſt vitium, ſive peccandi habitus permanens, etiam macula illa delata, de quibus ſupra dictum eſt c. 1.

Quæres III. An poſſit dari peccatum omiſſionis, abſque ullo actu voluntatis? R. Id facile ſolvi, ſi attendas ad ea, quæ c. 1. hujus libri dicta ſunt de ignorantia, & libertate neceſſaria ad peccandum. Dicimur enim interpretative neſcire velle, quæ, cum debeamus ac poſſimus, ſcire negligimus. Quoties ergo omittimus, quæ ignoramus eſſe præcepta, ſcire autem poſſumus & debemus, datur peccatum

liberæ

liberæ omiſſionis, abſque explicato voluntatis actu, qui tamen cenſetur adeſſe interpretative, & moraliter.

Quæres IV. An ut imputetur peccatum, debeat animum ſubire ſancta cogitatio, per quam quis advertat ad peccati malitiam? R. negative, dummodo aliunde ſalvetur libertas indifferentiæ. Id conſequitur ex iis, quæ dicta ſunt l. 13. de gratia ſufficiente: & probatur I. Dioſpol. Syn. damnavit hoc Pelagii aſſertum: *Oblivionem, & ignorantiam non ſubjacere peccato*: ſed qui oblivifcitur, & ignorat, actu non cogitat, aut delectatur; ergo &c. II. S. P. paſſim affirmat, plures peccare neſcientes, ut in Ep. 154. de ſp. & lit. c. 36. l. 1. Retr. 15. Accedit Hieron., Bern., aliique III. In ſententia oppoſita nullum daretur peccatum ignorantiæ, ſed hoc ſacris litteris adverſatur Lev. 5. & Pſ. 24. Item Act. 3. Petrus de Judæis crucifixoribus ait: *Scio quia per ignorantiam feciſtis.* Paulus de ſe ipſo ait 1. Tim. 1. *Ignorans feci*, loquens de ſua perſecutione in Eccleſiam. Chriſtus ipſe de tyrannis ait: *Qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo*; ergo &c. IV. Pariſienſes, ac Lovanienſes, theologi, illi an. 1641. iſti an. 1657. & Clerus Gallicanus an. 1700. oppoſitam ſententiam proſcripſere. Vide Hiſt. de Aux. l. 3. c. 48. V. In hac ſententia, melior eſſet conditio ignorantis, quam ſapientis, atque hujus ſcientia neceſſaria eſſet, ut quis poſſet peccare, quod abſurdum eſt.

Ob. I. Vulgatum proloquium: *Nil volitum, quin præcognitum*; ergo, ut imputetur peccatum, debet ejus malitia animadverti. R. neg. conſ. Illud enim liberrima voluntate fit, quod eligitur cum indifferentia judicii, quod quiſque facit, dum peccat, licet actu non cogitet eſſe peccatum: ut autem, quod libere ſit, ſit reipſa peccatum, ſufficit quod quis poſſit, ac debeat advertere ad nequitiam illius, nec laboret ignorantia invincibili legis peccatum illud prohibentis. Hinc S. P. l. 3. de

Lib. arb. 19. ait: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere, quod ignoras.*

Quæres V. Quid ſit, & an detur peccatum philoſophicum? R. Illud eſſe *actum humanum diſconvenientem rectæ rationi, abſque eo quod ſit tranſgreſſio divinæ legis.* Puta ſi quis, in quorundam ſcholaſticorum ſententia, Deum invincibiliter ignoraret, & homicidium &c. patraret repugnans naturæ lumini, peccatum illud eſſet philoſophicum, adverſaretur enim rectæ rationi, ſed non eſſet tranſgreſſio legis Dei, quam ille, ut ſupponitur, invincibiliter ignorat. Hanc doctrinam tanquam temerariam, ſcandaloſam, erroneam &c. proſcripſit Alex. VIII. an. 1690. & peccatum illud commentitium eſſe oſtendit probabilior ſententia, quæ docet, neminem eſſe, qui Deum ignoret invincibiliter.

Ob. cum P. Iſaaco Bruin S. J., qui licet peccatum Philoſ. non admittat, poſſe tamen hypothetice propugnari contendit. Nam ejus nomen a D. Th. traditum eſſe conſtat 1. 2. q. 71. a. 6. ubi ait: *A Theologis conſideratur peccatum, ſecundum quod eſt offenſa contra Deum, a Philoſopho morali, ſecundum quod contrariatur rationi;* ergo peccatum philoſophicum, ſi daretur, fieret contra rectam rationem, cum invincibili ignorantia Dei, adeoque legis divinæ prohibentis. II. in eo, qui invincib. ignoraret Deum, adulterium &c., eſſet Dei offenſa, quia Deus non ſolum eſt conditor creaturæ, ſed vindex, quamvis contra Deum perpetratum non agnoſcatur, quod neceſſarium non eſt, cum optimo cuique peccata diſpliceant, etiam contra alios commiſſa. III. peccatum illud lethale non eſſet ex D. Th. 2. 2. q. 20. a. 3. *Si poſſet eſſe converſio ad bonum commutabile, ſine averſione a Deo, quamvis eſſet inordinata, non eſſet peccatum mortale.*

R. ad primum neg. ant. Nam neque hypothetice defendi poteſt peccatum Philoſ., quamvis data invinci-

vincibili Dei ignoratione, non ſolum hypothetice, ſed reapſe admitteretur: poſſet enim contra rectam rationem quis delinquere, nec tamen Deum offenderet, cujus legem ignorans non tranſgrederetur: en peccatum philoſophicum ex hypotheſi ad actum. Inepte vero ex verbis D. Th. hæc hypotheſis ſtatuitur. Ex quo enim diverſimode peccatum a philoſopho, & theologo ſpectetur, non ſequitur fingi poſſe peccatum rectæ rationi repugnans, quod non ſit Dei offenſa. Nos ergo rectam rationem eſſe negamus ſine participatione legis æternæ, & cum ea poſſe dari invincib. ignorantiam. Ad ſecundum neg. ant. Non enim ibi eſſet legis divinæ tranſgreſſio, quæ invincibiliter ignoratur. Vindex quidem Deus eſſe poſſet, ſed non offenſus. Diſplicet etiam optimo cuique peccatum, etiam in alios commiſſum, ſed optimo illi, quem ignoras, nulla ſit injuria.

Ad tertium neg. ant. Nam conſtat ex damnata prop., peccatum illud in materia gravi fore lethale, & diſſolvere Dei amicitiam: conſtat etiam ex D. Th. loc. cit. Ibi enim probat, deſperationem eſſe quidem lethale peccatum, quia importat averſionem a Deo, ſine qua non datur lethale peccatum: addit tamen non tam grave eſſe, ut eſt infidelitas, & odium Dei; *quia* (hæc) *ſunt contra Deum, ſecundum quod in ſe eſt; deſperatio autem, ſecundum bonum, quod participatur a nobis*; ergo per D. Th. ſat eſt ad lethale peccatum, ut ſit averſio a Deo, in quantum a nobis participatur. Atqui peccatum philoſophicum eſſet averſio a recta ratione, quæ eſt participatio legis æternæ; ergo lethale eſſet, & æterna pœna dignum.

CAPUT V.

De malo opere ex invincibili ignorantia patrato.

CENSUIT Zanchius, aliique Novatores, ignorantiam invincibilem juris naturæ, cum pœna ſit

fit originalis peccati, neminem a culpa excuſare, contra quos ſit

Propositio I. Ignoratio juris naturalis, ſi ſit invincibilis, excuſat a peccato.

Prob. I. ex damnata ab Alexandro VIII. oppoſita Propoſitione. Idem evincitur ex proſcriptis Baji articulis, quæ negat ad imputationem peccati opus eſſe, ut ſit voluntarium. Prob. II. ex Aug. qui l. 3. de Lib. arb. 19. ait: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; ſed quod negligis quærere, quod ignoras.* Deinde S. D. contra Pelagianos oſtendit, tam concupiſcentiam, quam ignorantiam poſſe dici peccatum, in quantum peccato inductæ ſunt, & ad peccatum trahunt. Ceterum ait, neminem ob illam ignorantiam damnari, niſi propria negligentia quis tenebras ſibi arceſſat; ergo &c. Et l. 6. c. Jul. 16. oſtendit, ignorantiam malum eſſe, *per quod a neſcientibus innumerabilia perpetrantur peccata:* non quod mala fiant per ignorantiam invincibilem, ſed quod ignorantia ex originali peccato inſeminata ſit plurium ſcelerum radix, ut concupiſcentia, quæ licet pejor ſit ignorantia, ut ibi oſtendit S. P. non tamen nocet, niſi conſentientibus. Producit autem ib. S. P. exempla Abimelechi, Pauli, & Davidis, qui non laborarunt ignorantia invincibili legis naturæ; ſi ergo peccarunt, fuit eorum ignorantia vincibilis, quia neglexerunt quærere, quod ignorabant. Nam ignorantiam facti, ſi vinci nequeat, excuſare a peccato probant Novatores ex Aug. l. 2. contra Creſc. Cum ergo S. P. ad evincendum, non eſſe ignorantiam conditionem naturæ, proferat exempla eorum, qui peccaverunt ignorantia facti, vel juris poſitivi; ſequitur, nil aliud voluiſſe Aug. contra Pelag. oſtendere, niſi ignorantiam vitium eſſe a peccato derivatum, & in iis, qui eam diſpellere negligunt, cauſſam eſſe peccati. Vid. l. 1. de Pecc. mer. 36.

Prob. II. Si enim ignorantia invincibilis &c.

non excuſaret a culpa, quia originalis peccati pœna eſt, nec excuſaret infidelitas negativa. Cur enim pluribus Evangelium non ſit annuntiatum, venit per Aug. de occulto judicio Dei, ſed infidelitas negativa excuſat a peccato, oppoſitum enim in Bajo damnatum eſt art. 67. &c. Prob. min. S. P. Aug. Tr. 89. in Jo. ex Chriſti verbis: *Si non veniſſem, & eis locutus non fuiſſem, peccatum non haberent*, ſcribens, eos *habere excuſationem de hoc peccato, quo in Chriſtum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non eſt locutus.*

Prob. III. ratione. I. Pœna conſequens ex peccato origin. abſque conſenſu arbitrii non nocet, & remanet etiam in renatis; ergo excuſat a peccato. II. Nullum eſt peccatum actuale, niſi voluntarium. III. in ſententia oppoſita etiam phreneſis, & dementia, quæ pœna eſt Adæ peccati, peccatum eſſet, quod falſum eſt; ergo &c.

Propositio II. Non datur ignorantia invincibilis juris naturæ, licet detur circa ejus conſequentias remotiſſimas.

Prob. I. pars ex Aug. Pſal. 116. ubi ait: *In hoc tranſgreditur naturæ legem, quam non ſinitur ignorare, dum id facit, quod non vult pati.* Et l. 2. Conf. 4. *Furtum punit lex ſcripta in cordibus hominum. Quis enim fur æquo animo furem patitur?* Prob. II. ratione Ap. Rom. 2. & Aug. Licet enim per originale peccatum ignorantia &c. in Adæ filios derivarit, *Gentes tamen, quæ legem* (Moyſis) *non habent, oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia*, ideoque nulla eſt anima, quamvis perverſa, *quæ tamen ratiocinari poteſt, in cujus conſcientia non loquatur Deus.* Atqui vis illa ratiocinandi, teſtimonium illud conſcientiæ eſt ipſa naturæ lex, & omnibus indita regula æquitatis; ergo &c. Prob. II. pars, quam tuentur Ægidiani, ac Thomiſtæ communiter, nec non Sylvius, Habert, l'Herminier, aliique laudati ab auctore ep. adverſus Ballerinium, qui oppoſitum

tum docuit in Confut. ep. Pauli Segneri c. 5. Conclusiones enim juris naturæ remotiores deducuntur ex principiis longiori, implexoque discursu, quem rudes plurimi etiam ordinariis gratiæ adjumentis efformare non valent, ut in multis sæpe contingit ad usuram, & matrimonii impedimenta spectantibus; ergo &c.

Opponit Ballerinius plura SS. PP. testimonia. I. Ambrosii in c. *Turbatur* dist. 1. 4. *Ignorantia juris naturalis omnibus adultis damnabilis est.* II. Aug. de Gr. & arb. *Ignorantia neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat.* Et Ep. 47. *Si quis bonum putaverit esse, quod malum est, hoc putans utique peccat:* eadem habet Bernard. III. D. Thom. Quodlibet. 8. art. 13. *Quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam.* IV. Gerson. de Vit. Sp. lect. 4. *Concors est sententia, nullam in iis, quæ legis divinæ sunt, cadere ignorantiam invincibilem;* ergo &c. Accedit ratio: nam invincibilis ignorantia est, quæ nec naturæ, nec gratiæ viribus vinci potest; sed nemo est, qui, quod natura non potest, saltem gratia non possit, qua quis justo judicio privatur; ergo &c. R. Allata testimonia de jure naturæ, quoad universalia principia, & proximas conclusiones, esse accipienda, vel de ignorantia ex negligentia culpabili. Ad primum dico, Ambrosium perperam laudari in c. *Turbatur*, & collectores canonum, qui ea verba addidere, loqui de jure naturæ primario, & de honore a libertis exhibendo dominis; sermo item xi. qui citatur in c. *Turbatur*, est Ambrosio suppositus. Ad secundum dist. ant. Sic excusat, *ut sempiterno igne non ardeant*, qui non crediderunt in Christum, ob defectum christianæ fidei, quam invincibiliter ignorarunt, conc. quia non servarunt naturæ legem cordi singulorum inscriptam, quantum ad Dei cultum, & naturæ præcepta omnibus manifesta, neg. Ubi nota: hunc August. locum etiam a Jansenio op-

 poni,

poni, qui tamen fatetur, ignorantiam juris positivi, qualis est eorum, qui nihil de Evangelio audierunt, excusare a peccato. Deinde proferri ab Augustino verba Psalmistæ adversus idololatras, quorum ignorantia de Deo auctore naturæ fuit plane vincibilis. Vide auctorem. In epist. 47. distinguit S. P. ignorantiam eorum, qui putant, cibum non esse idololythum, ab ignorantia eorum, qui idolis immolant sacrificia, quarum prior est ignorantia facti, altera juris, & veritatis ex universali principio proxima consecutione deductæ; ideoque recte consistere cum hac ignorantia peccatum.

Ad III. dist. ant. *Non excusatur, nisi sit ignorantia invincibilis*, ut declarat S. D. q. 12. art. 2. conc. si ignorantia sit vincibilis, neg. Nam in 1. 2. qu. 100. art. 1. sententiam nostram his verbis confirmat: *Omnia præcepta moralia pertinent ad legem naturæ, sed diversimode. Quædam enim sunt, quæ statim per se ratio naturalis dijudicat esse facienda, vel non facienda, sicut honora patrem & matrem, & non occides &c., & hujusmodi sunt absolute de lege naturæ. Quædam vero sunt, quæ subtiliori consideratione rationis a sapientibus judicantur esse observanda, & ista sic sunt de lege naturæ, ut tamen indigeant disciplina, qua minores a sapientioribus instruuntur*; ergo, si inculpate desit institutio, & disciplina doctorum, qua rudis homo instrui possit, erit ejus ignorantia invincibilis, non secus ac invincibilis est ignorantia rerum credendarum, ubi inculpate desit divina institutio.

Ad IV. neg. cons. Sequitur enim ibi Gersonius: *Quoniam facienti quod in se est Deus semper assistit, paratus illustrare mentem, quantum opportebit ad salutem, & erroris evitationem*; ergo in eorum sententia, qui propugnant, dari infideles quosdam omni gratiæ lumine destitutos, sicut falsa est ratio Gersonis, ita & præcedens assertio. Certum est tamen, infideles illos damnari, non propter id,

quod invincibiliter ignorant, ſed propter id, quod libera voluntate committunt, aut dignoſcere negligunt. Ad V. R. obcæcatos, & obduratos laborare ignorantia, aliquo ſenſu invincibili, ſed quia ignorantia illa pœna peccati eſt, non originalis, ſed actualis; nullam excuſationem merentur peccatorum illorum, quæ aut a ſe committenda præviderant, aut committunt indifferentia judicii, & cum optione malorum.

Ob. I. Definitum eſt in Palæſtina Syn. *Ignorantiam ſubjacere peccato;* ergo &c. II. S. P. Ep. ad Sixtum c. v. nunc 109. ait: *Inexcuſabilis eſt omnis peccator vel vitio originis, vel additamento propriæ voluntatis, ſive qui novit, ſive qui ignorat; in iis enim, quæ intelligere noluerunt, peccatum eſt: in iis autem, quæ non potuerunt, pœna peccati:* ergo &c. Eadem repetit ubique contra Pelag. III. Sæpe etiam *peccata* vocat, quæ fiunt per ignorantiam, etiam invincibilem, ut l. 3. de lib. arb. 19. IV. Omnem ignorantiam eſſe damnabilem aſſerit l. 6. contra Jul. & de Nat. & Gr. 17. V. Plura deflet peccata infantiæ l. 1. Conf. 7. VI. Idem ſentit Hieronymus; ergo &c.

R. Ad primum neg. conſ. Damnatur enim in Palæſt. Syn. duplex Pelag. error, primus, quod ignorantia ſit conditio naturæ, quia non voluntate, ſed evenit neceſſitate, alter, quod ignorantia ſive juris ſit, ſive facti poſſit quandoque appellari perfecta juſtitia: ut conſtat ex Aug. de geſtis Pelagii c. 18. & ex l. 3. contra Jul. 19. ubi refert hæc Juliani verba: *Perfectam ignorantiam juſtitiam nominari, quia dixit Deus ad Abimelech, qui cum Sara fuerat concubiturus, ignorans quod uxor eſſet aliena: & ego ſciebam, quia in corde mundo feciſti hoc.* Conſtat ergo, Aug. non de ſola ignorantia juris naturæ contra Pelagianos diſputaſſe, ſed de omni ignorantia etiam juris poſitivi, atque facti, ut evinceret, ejus principem cauſſam non Deum eſſe, ſed originale peccatum.

Ad secundum neg. conf. Affert enim ibid. S. P. verba Joan. 15. *Si non venissem &c. peccatum non haberent.* Ex quibus infert, non imputari ad culpam peccatum infidelitatis iis, qui Evangelium non audierunt; excusatur ergo a peccato infidelitas negativa ignorantiæ invincibili conjuncta. Deinde quæstionem instituit, an excusabiles sint, qui Evangelium non audierunt, & R. esse quidem excusabiles in eo, quod non crediderunt, at non esse excusabiles, ob alia peccata. Damnantur enim vel ob originale peccatum, de quo nullam excusationem admittit Deus, qui creavit hominem rectum, vel ob peccata propria voluntate patrata, de quibus nulla datur excusatio, sive in iis, qui legem naturalem cordibus inscriptam infringunt, nec Evangelium audierunt, sive in iis, qui audierunt, & propria voluntate in infidelitate steterunt. Vide ap. auctorem integrum Aug. locum, cujus summa disputationis est. Excusantur qui nihil de Evangelio audire potuerunt de peccato infidelitatis: non excusantur de idololatria. Derelicti in massa perditionis ob originale peccatum, cui propria addidere, nequeunt excusare ipsum peccatum originale, quia illud contraxerunt in Adam, & quod Christi fidem non acceperint, pœna est peccati Adæ, in quo omnes peccaverint: nequeunt excusare actualia peccata, & ipsam infidelitatem, si intelligere noluerunt, quia in his, quæ sua culpa neglexerunt, ignorantia peccatum est. Peccatum ergo inexcusabile non est ignorantia legis naturæ; sed est peccatum originale, cujus pœna est, si quis non est prædestinatus ad fidem.

Ad tertium dist. ant. Vocat peccata improprie, ut concupiscentiam, quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat, conc. proprie, neg. Ad IV. R. Aug. ostendere, concupiscentiam & ignorantiam esse intrinsece malas, ut inde evincat peccatum originale, & gratiæ necessitatem: in baptizatis autem utrique malo non assentientibus eas sejungit

a pec-

a peccati reatu probans, ex quo remaneant ad luctam, necessariam esse gratiam sanctae inspirationis, & dilectionis. Lib. de Nat. & Grat. solam ignorantiam vincibilem esse culpandam affirmat: *Quia*, inquit, *id homo nescit negligentia sua, quod scire debuisset.* Ad quintum dist. ant. Deflet, ut peccata naturali legi ac lumini rationis repugnantia, & ut consectaria orig. peccati, de quibus Ps. 50. ait: *In peccatis concepit me mater mea*, conc. ut peccata proprie dicta, quae imputari valeant ad culpam, neg. Hieronymus autem adversus Pelag. ostendit, plura peccata a nobis per ignorantiam committi; ideoque hoc malum esse nobis insitum per peccatum originale; nec vitari posse peccatum sine gratia Christi. Frustra adversarii de sola ignorantia invincibili, aut juris naturae Hieronymum interpretantur, eamque per Hieron. non excusare a peccato: plura enim affert exempla ex scripturis juris positivi, vel facti, ut illud Exod. 21. ubi multatur exilio, qui aliquem per ignorantiam occiderit, & alia plurima exempla juris positivi, vel facti, in quibus ignorantia per adversarios excusat a culpa.

CAPUT VI.

De Regulis ad dignoscendum quando ignorantia, vel delectatio culpabilis, aut excusabilis sit.

Ignorantia triplex esse potest, nempe vel rerum ad salutem non spectantium, vel utilium, vel praescriptarum.

Regula I. Cum Christus mortuus non sit, ut simus Philosophi, naturalium disciplinarum ignorantia, sive voluntaria, sive involuntaria per se non est culpabilis. Debent tamen perspicaciores ingenio ad Dei gloriam literis, & scientiis vacare, quae ad illustrandas veritates christianae Religionis conferre possunt: non quod sint cuique necessariae, sed quia virtus otio torpescit, neque reponendus

eſt in ſudario acceptus denarius ad noſtræ præſertim religionis utilitatem.

Regula II. Ad viam ſalutis valde conducit ſcientia ſacrarum literarum, ut ſcribit Ap. in 2. ad Tim. Ignorantia ergo ſcripturarum, vel doctrinæ PP. aut Theol. diſciplinarum non eſt per ſe in unoquoque culpanda, cum non omnes teneantur, aut poſſint media quæque utilia adhibere: at eccleſiaſtici, atque, evangelici viri, quibus eſt non tam utilis, quam neceſſaria, ſi illam negligant addiſcere ſcientiam, habent culpabilem ignorantiam.

Regula III. Quædam ſunt ſcitu neceſſaria, ut legis præcepta, præcipua fidei myſteria, Symbolum Ap. &c., quorum ignorantia poteſt in triplici hominum genere reperiri. Quidam ea ſcire non poſſunt, ut infantes, & infideles negative; & in his ignorantia eſt pœna peccati. Quidam ſcire poſſunt, & nolunt; & in his ignorantia peccatum eſt. Quidam ſcire poſſunt, & volunt quodammodo, ſed negligunt, & in his ignorantia peccatum ſimul eſt, & pœna peccati: peccatum ob voluntariam negligentiam, pœna peccati, quia aliquatenus diſplicet; adeoque minuit culpam, non tollit.

Regula IV. Ignorantia facti dupliciter contingit, vel adhibitis diligentiis, nec iis inſpectis, quæ neque conſiderari poterant, nec debebant; ut dum Jacob ingreſſus eſt ad Liam, loco Rachelis; vel non adhibita diligentia, nec rebus rite perſpectis: ut dum Lamech pro fera hominem occidit. Prima, utpote involuntaria, non eſt culpabilis, eſt tamen ſecunda.

Regula V. Ignorantia invincibilis, ſive juris naturæ ſit, ſive poſitivi, vel innata eſt, vel caſu ſuperinducta. Prima eſt in pueris, in infidelibus *negative*, in dementibus &c. nec peccatum eſt, ſed pœna peccati, ex Reg. III. Superinduci autem poteſt adulto, vel dum vacat rei licitæ, ut ſi inſaniat ſtudendo, vel morbo, ut ſi febri deliret, vel pec-

peccato, ut si inebrietur. In primo & secundo casu excusat a culpa, secus in tertio.

Regula VI. Inter perniciosas delectationes connumerandi non sunt motus *naturalis appetitus*, ut fames, sitis, somnus quæ inter actiones liberas computari non debent. Consequitur autem ut plurimum ad motus naturales motus alius, quem *sensitivum* appellant, qui secundum impulsum fomitis tendit in bonum delectabile, & dicitur cupiditas, cujus comes esse potest perniciosa delectatio, nisi liberum arbitrium insurgentem cupiditatis motum reprimat. Is autem, prout in homine invito consurgit, est illa lex membrorum repugnans legi mentis, de qua Ap. Dicitur etiam peccatum, prout est radix mala insita originali peccato, & ad peccatum alliciens. Cum autem non sit in libera potestate hunc motum experiri, nequit dici peccatum, quod est libera legis transgressio. Ubi ergo ad motum *sensitivum rationalis* accesserit, cum id non patiatur invitus, sed libere delectetur, potest peccare dupliciter, vel enim, cum possit illud refrenare, illi delectatione inhæret suspendendo consensum, & est delectatio *morosa*, utique mala & culpabilis, vel accedit deliberatus assensus, & regnat peccatum.

Regula VII. Delectari de re licita per se nullum peccatum est, sed curandum, ne licita delectatio in illicitam degeneret: quod sæpe fit immutatis rerum circumstantiis. Sic virilis complexus licitus nuptæ, viro defuncto est illicitus viduæ; peccat ergo ipsa, si de præterito matrimonii actu delectationem percipiat, non secus ac sponsa, si de futuro oblectaretur.

Regula VIII. Cum rebus creatis utendum sit, fruendum Deo, delectatio creaturarum ob finem præstantiorem inculpabilis est. Contra si delectatio creaturarum sit ultimus finis. Ideo culpa non vacat ipse actus conjugii, aut comessatio ob solam voluptatem, ut RR. Pontifices declararunt.

DISSERTATIO III.

De interiori morum regula, seu conscientia.

DE hoc argumento agemus 6. capitibus, in quibus quid, & quotuplex sit conscientia, quidve opinio probabilis, & an semper certa morum regula dicenda sit, breviter expendemus.

CAPUT I.

Quid & quotuplex sit conscientia.

NOt. I. Conscientia, de qua nunc agimus, est eorum, quæ facimus, interius animi judicium, per quod aut redargui possit, aut probari. Est autem conscientia de operibus vel factis, vel faciendis. De primis est testimonium illud, quo justi spe eriguntur, improbi timore prostrantur, & de hac ait Ap. Rom. 9. *Testimonium mihi perhibente conscientia.* Relate ad opera facienda est intima persuasio, qua judicamus, quæ agenda sunt bona esse, vel mala, & definitur: *Actus mentis, quo de iis, quæ hic & nunc agenda sunt, judicamus, an omittenda sint, an exequenda.* Dum ergo Scotus, Durandus, aliique conscientiam habitum vocant, accipiunt illam pro facultate mentis humanæ, ejusque affectione, nos tamen conscientiam illam dicimus, per quam in operando dirigimur: aut firma sit hæc directio, aut anceps, aut dubia, aut æqua, aut fallax, & perversa.

Not. II. Juxta varias judicii nostri conditiones conscientiam a Theologis dividi. Ut enim aliud verum, aut falsum est, ita conscientia alia *recta* est, alia *erronea:* prima est, quæ veritati, aut æquitati est conformis, quæque aut bonum faciendum, aut malum fugiendum proponit, puta eleemosynam pauperi erogandam, furtum odio habendum. Secunda est, quæ veritati, aut æquitati opponitur: quæque aut faciendum proponit, quod malum est, puta inimicum occidere, aut fugiendum, quod bonum, puta parentes non colere &c. Sunt autem rectæ conscientiæ judicandæ certi canones. Quorum

rum primus est ipsa naturæ lex, quæ saltem universalia ignorari non sinit: & a qua, si opus discordet, turpe est. In iis vero, quæ obvia non sunt, divina auctoritas est regula morum, rectæque conscientiæ. Cujus auctoritatis septem sunt præcipua argumenta, nempe Scriptura, Concilia Oecumenica, Traditiones, Ecclesiæ consuetudo, Jussa Rom. Pont., SS. PP. concordia, & Theologorum consensio. Quibus, si conscientia repugnet, pravam illam, erroneamque æstimamus.

Not. III. Sæpe tamen contingit, & pluribus de caussis, animorum labefactari judicium. Unde plures etiam conscientiæ erroneæ genera emanant. Vel enim animus præoccupatus judicat vitio contaminatum, quod culpa caret, & est conscientia scrupulosa: vel leve esse putat, quod grave est, & est conscientia *laxa*: vel grave putat, quod leve est, & est conscientia *Pharisaica*: hi enim vitio dabant discipulis Christi, quod spicas vellerent, manus non lavarent &c. Vel denique absque ulla pietate atrocissima quæque approbat facinora, & dicitur a Merbesio *cauteriata*: obcæcatam dicere potes, & ex crassa ignorantia profectam; quæ cum vincibilis, & invincibilis esse possit, erit etiam conscientia erronea alia vincibilis, quæ culpa non vacat, alia invincibilis.

Not. IV. Conscientiam, spectato judicii motivo, aliam esse *certam & evidentem*, qualem habet, qui Deum colit &c., alia est certa tantum moraliter; talis est conscientia hominis illiterati, qui edoctus a probis & moratis viris, nec pulsatus contraria mentis persuasione, aut auctoritate facit, quod faciendum censet. *Dubia* conscientia est, dum quis pari rationum momento libratus assensum cohibet. Est autem dubium aliud juris, aliud facti, ut supra dictum est. Si vero motivum dubitandi leve est, dicitur vel conscientia *scrupulosa*, si quod leve est, grave putet. Si vero leve putet, quod est grave, *lata* conscientia est, ut supra diximus. *Probabilis* con-

confcientia eft, quæ gravi quidem momento innititur, & ducitur auctoritate non fpernenda, aut aliqua ratione, fed quæ partis oppofitæ formidinem non excludit. *Improbabilis* confcientia eft, quæ nullo fatis folido fundamento innititur.

Not. V. Conveniunt Theologi, morem gerendum Confcientiæ rectæ moraliter certæ, & etiam erroneæ, cum ignorantia conjunctæ. Quifquis enim agit cum confcientia ancipiti, ac dubia, imprudenter agit, & peccat. Ad confcientiam itaque probabilem tota controverfia reftringitur, de qua in fequentibus.

CAPUT II.

Quid fi opinio probabilis, quam quidam habent pro regula morum, & quanta contentione hæc quæftio agitetur.

NOt. I. Non defunt recentiores, inter quos Efcobarius, qui Exam. de confc. 3. *Probabilem fententiam*, definiunt, *quæ rationibus innititur alicujus momenti*, quamvis pertenuis ac levis: unde fequitur, fas effe fententiam fequi unius tantum Doctoris gravis, & probi, ut ait idem ib., & Sanctius in Summa l. 1. c. 9. Quæ definitio, non diffitente Gonzalez, communis eft inter probabiliftas, nec a folo Efcobario traditur, ut contra Montaltium ait auctor Speciminis, fed etiam ex recentioribus a Tamburino l. 1. Decal. c. 3. §. 3. ubi definitur: *Affenfus intellectus de aliqua re, qui innitatur rationi, vel auctoritati alicujus momenti, modo ex altera nihil appareat convincens.*

Not. II. Alii probabiliftæ animadvertentes quam latam hæc definitio erroribus fternat viam, ex ea enim fas effet eligere quidquid apparet verifimile, docuerunt, ad opinionem probabilem requiri, ut nitatur fundamento magni momenti fixo, firmo, non fophifmati, aut rationi apparenti. Tale autem cenfetur, quando id videtur *omnibus, aut pluribus, aut fapientioribus, & iis, vel omnibus, vel plurimis,*

vel

vel maxime notis, ex Ariſtot. 1. Top. In iis autem, quæ ad fidem, aut mores ſpectant, debet, per Aug. l. 7. contra Don. 53., probari ab aliquo Diœceſano concilio, & dijudicari ex S. Literis, ex SS. PP., ex Conciliis Oecumenicis, nec aliquid ſine iis temere ſtatuendum, ut ſcribit Lupus de Opin. prob. 2. Ex qua definitione refellitur eorum ſententia, qui docent, fas eſſe amplecti opinionem probabilem in æque probabilis, aut probabilioris concurſu: hæc enim gravioribus momentis innititur, illa eadem ratione, aut auctoritate fulcitur; ergo oppoſita ſententia deſinit eſſe probabilis, cum dici nequeat firmo ac ſtabili fundamento ſubnixa, cui altera æqualis, aut majoris momenti adverſatur. Docent quidem Probabiliſtæ *opinionem*, ac *dubium* valde differre. Hoc enim verſatur inter rationes ejuſdem ponderis anceps: aſſenſus *opinativus* vero procedit ex cognitione majoris convenientiæ prædicati cum ſubjecto in una parte contradictionis, quam in altera ex Vaſq. 1. 2. diſp. 62. Verum dari nequit hujuſmodi aſſenſus, dum ſimul animum pulſant oppoſitæ opiniones æquis momentis ſuffultæ.

Not. III. Alii ergo ad tollendam hanc animi ſuſpenſionem putarunt, opus eſſe *judicio reflexo*, quo mens utraque opinione librata cenſet utramque eſſe probabilem. Sed hæ reflexiones, cum fluctuationem non tollant, imo conſcientiam vehementius angant, hominem ſalutis ſuæ ſtudioſum potius hortantur, ut præjudiciis exutus, ſedulo veritatem inquirat. Conſtat autem ex allata definitione; controverſiam inſtitui de eo, quod probabile eſt operanti, non de eo, quod eſt probabile tantum in ſe, & ex intrinſeca ratione ſui. In re quippe illud tantum probabile eſt, quod eſt verum.

I „ Addunt quidem (Probabiliſtæ, ait Vencienſis „ Epiſcopus) rationes, quibus nituntur opiniones „ probabiles, ſolidas eſſe debere, nec ullam pro- „ babilitate donandam, niſi quæ non repugnet Scri- „ pturæ ac Traditioni: verum hæ conditiones nihil

„ aliud

„ aliud ſunt, quam laquei irretiendis ſimplicioribus „ inſtituti: non enim per ſolidas illas rationes eas „ intelligunt, quæ veræ ſunt „ (nullæ enim veræ rationes inveniri poſſunt ad ſtabiliendas opiniones probabiliſtarum pleraſque falſas, cum ſibi invicem adverſentur) „ ſed ſolidas vocant, quæ ſolidæ pro- „ bantibus videntur. Hoc vero omnibus erroribus „ convenit. Nemo enim tuetur errorem, qui non „ ſolidas in judicando rationes ſequi ſibi perſua- „ deat. „ Licet ergo Caſuiſtas ab omni decipiendi animo alienos cenſeam, id tamen certiſſimum puto, diſputari ab iis de opinione probabili, prout talis menti operantium apparet: hac enim ratione ſpectare poteſt ad conſcientiam, ac rerum agendarum dijudicationem, cum nihil ad operandum voluntatem alliciat, niſi prout ei proponitur aut legitima, aut ficta bonitate veſtitum. Quod ſcholæ exprimunt his verbis: *An liceat ſequi opinionem probabilem, qua talem.* Fateor etiam, conſcientiam aliquando eſſe immunem a culpa, ſi laboret ignorantia invincibili, & ipſa conſcientia ſit practice certa, non dubia. Num vero ſit practice certa illa opinio modo explicato probabilis, ideſt, an habeat grave aliquod rationis, aut auctoritatis momentum, id inquiritur, eſtque hujus controverſiæ nodus.

Not. IV. Ex duplici ergo capite deduci poteſt alicujus opinionis probabilitas; ex ratione, & auctoritate; non quidem ex ratione manifeſta, neque ex auctoritate divina nota Scriptura, aut Traditione, per hæc enim ratio & auctoritas ſcientiam & fidem parit: ſed ex ratione, cui poteſt falſum ſubeſſe, & ex auctoritate Scriptorum, qui ob opinionum diſcrepantiam & perplexas argumentationes, quibus ducuntur, errori ſunt obnoxii.

Not. V. Si ſolus ſpectetur ſcriptorum numerus, licet plurimos jactitent Probabiliſtæ, ſtat tamen ex adverſo florentiſſima multitudo. Nam Probabiliſmo bellum indicunt, poſt veteres omnes, ex no-

ſtratibus

ſtratibus Le-Drou Epiſcopus Porph., La-Zerda Epiſcopus Aquilanus, Lupus, Norilius, Fervaques, Schveitzerus ab Aguirre laudati, quibus accedunt Riccius, Gavardi, Vanroy, Girken, Piette, Libens, Bellelli, Guerrero, & excepto Gibbone, & Salonio, alii omnes profeſſores & magiſtri noſtræ ſcholæ tam in Belgio, quam in Germania, in Italia, in Hiſpania &c. Ex Ordine Minorum Scotus, D. Bonaventura, de Laurea, Corduba, alii. (1) Ex Ord. Præd. laudat idem Aguirre Martinez, Mercorum, Baronium, Piccinardum, Gonetum, Contenſonium, Alexandrum (2). Ex Benedictinis laudantur Mabillo-

(1) In publico quodam ſcripto, quod anno elapſo Romæ prodiit in lucem, confidentiſſime pronunciatur: ſcriptores omnes ex inclyto Minorum Ordine, excepto Franciſco Henno, & Em. Card. De Laurea, fuiſſe Probabiliſtas. Verum, ut alios prætercam, certe in hunc cenſum computari non debent recentiores ſcriptores hujuſce ordinis, præſertim vero P. Philippus a Carboneano, neque P. Franciſcus Staidelius Min. Convent., qui Theologiam moralem P. Gabrielis Antoine S. J. notis eruditiſſimis illuſtrarunt. Conſtat item, ex actibus poſtremi Capitulis generalis Minorum de Obſerv. ac Reform., nec non ex epiſtola encyclica Reverendiſs. P. Molinæ eorum Generalis, cuique ex præfato Ordine expreſſe vetitum eſſe ſuſtinere, aut defendere *Probabiliſmum*. Quod quidem noviſſimis temporibus, a nonnullis celeberrimis Academiis, quæ benigniores ſententias aut defendebant, aut tolerabant, præſtitum eſſe, incredibili bonorum omnium lætitia (qui zizania in agro dominico ægre admodum patiuntur) unicuique compertum eſt.

(2) Prætereundi non ſunt celeberrimi Scriptores hujuſce Ordinis, qui poſtremis temporibus *Probabiliſmum* acerrime impug-

billonius, Gerberonius, Sfondratus, de Torres, Hontiverus, Aguirreus: his adde S. Carolum Borromæum, Card. de Janſon, Harlaium Archiep. Pariſ. presbyteros Ballerinios, alioſque. Ex Soc. J. aliquos infra producemus. Ex his autem infertur, magnum hinc inde ſcriptorum numerum decertare.

Not. VI. Adverſus Probabiliſtas plures inſurrexiſſe ſcriptores, qui de theologicis controverſiis abſque ullo ſtudio partium pertractarunt, ut l' Herminier, Habert, Charlas, Philaletes, Merbeſius, Gennetus, Summa Petrocorenſis, quaſque edi curarunt Grimaldus Epiſcopus Aquenſis, Le-Camus &c. His adde celeberrimas univerſitates. Ex Lovanienſi laudantur Sinnickius, Pontanus, Vanvianen., Vincent, Huigens &c. Pariſienſis an. 1665. Probabiliſmum expreſſe damnavit, eique oppoſita ſententia ab omnibus parochis, & epiſcopis Gallicanis, & a majori theologorum numero recepta eſt. Neque hæc ullam aliquando cenſuram ſubiit ut Probabiliſtarum ſententia, quæ a Comitolo vocatur *fœda prolapſio*, & pluribus epiſcoporum cenſuris notatur, ut falſa, periculoſa, & viam ſternens innumeris

---

impugnarunt, præſertim vero Daniel Concina, & Vincentius Patuzzi. Quorum primus in ſua *Probabiliſmi Hiſtoria*, *in Theologia chriſtiana*, *in Quadrageſima appellante*, nec non in aliis graviſſimis operibus benigniores opiniones ita exagitavit, ut eas nullibi firmas conſiſtere paſſus ſit. Alter vero ipſius Concinæ ſcripta, atque ſententias ab adverſariorum machinatoribus fortiter vindicavit: editis ea de re eruditiſſimis, ac lepore undique & venuſtate conſperſis epiſtolis, ſub nomine Euſebii Eraniſtæ, queis noviſſimorum Probabiliſtarum cavillationes adeo preſſe ſolideque diſſipavit, ut per eum jure optimo dici poſſit, apud veri æſtimatores, cauſſam hanc penitus eſſe finitam.

numeris corruptelis. Et quidam libri in ejus defensionem editi, illico proscripti sunt, ut Apologia Casuistarum, Opus Guimenii, Apologema Caramuelis &c. Adde, veteres theologos omnes, teste Tyrso Gonzalez, usque ad an. 1571. semper docuisse, tutiorem partem esse tenendam, ut Henricus Gandaven., Gersonius, D. Antoninus, Adrianus, Cajetanus, Scotus, Silvester, Angelus, Navarrus, Tabiensis, & ex Antonio Charlas etiam Armilla. Unde inter probabilismi defensores, nullus laudari potest ob venerandam antiquitatem; sed solum juniores.

Not. VII. ex iis, qui oppositam probabilismo sententiam tenuere, nec unum ab ea recessisse, quod merito dixit Gonzalez magnum veritatis argumentum. Probabilismum contra retractarunt Eminentiss. Aguirreus, qui *in Probabilismo velut in pulvino molliter quiescebat*, ut ipse scribit n. 31. & n. 33. *Cœpi*, inquit, *rem maturius examinare ab anno* 1671. *usque modo, lectis, ac relectis pluribus auctoribus: deprehendi vero ingens periculum saluti in sectando, aut consulendo aliis probabilismo &c.* retractavit etiam, teste Gonzalez diss. 13. Card. Pallavicinus, qui eum acerrime propugnaverat. Retractavit ipse Gonzalez de se scribens in operis sui introd. n. 40. *Postquam accurate legi, quidquid benigniores doctores pro se, quidquid contra ipsos adducerent severioris sententiæ defensores, post exactam discussionem, quamvis fuissem contrariæ sententiæ principiis assuetus; meo tamen firmiter insedit animo, nulli permissum esse amplecti sententiam minus tutam in occursu tutioris æque, vel fere æque sibi verisimilis &c.* (1) Hinc retunditur recentiorum confidentia, qui innume-

(1) His jure optimo accenseri potest nuperrimus nostri Ord. scriptor P. Mag. Joseph Faustinus Cliquet, qui, licet in suo opere de morali Theologia, quod duobus Tomis comprehendit, *Probabilismum*

innumeros nobis doctores obtrudunt, qui maxime moralem theologiam postremis sæculis exornarunt. Ut enim ait Pius II. Ep. ad Gall. Regem: *Scriptura consiliorum multitudinem non requirit, sed maturitatem, & digestionem.* Petimus præterea a Probabilistis, ut pro se laudent Ecclesiæ PP. Canones conciliorum, celebriores scholasticos ante an. 1570. Petimus etiam an habenda sit ratio auctorum, qui pugnant ex adverso? an ii fuerint morum corruptores? an ea de re ab Ecclesia proscripti? an ex illorum lucubrationibus fluxerint morum laxitates?

Not. VIII. Recensent quidem Probabilistæ pro se plurimos S. J. scriptores, & ipsum Paulum Segneri. Verum nec Jesuitæ omnes Probabilismum sectantur, nam præter Comitolum, & Pallavicinum supra laudatum, certe Bellarminus in Ep. ad nepotem suum Episcopum Theanensem, eum monet, ne respiciat, *quid multi hoc tempore dicant, aut faciant, sed debeat omnino tutiorem partem sequi & nulla ratione ad minus tutam partem declinare.* Afferunt hæc verba Thyrsus Gonzalez, & Card. Aguirre, una cum Epistola Mutii Vitelleschi Generdata ann. 1617. Ipse Gonzalez testatur, oppugnari Probabilismum a Molina, Ribello, Blanco, quem ait, omnium primum contra

lismum, quasi tempori inserviens, secutus fuerit: at re melius perspecta, & mature considerata, in postrema sui corporis ægritudine solemnem emisit *retractationem* opinionum, atque sententiarum omnium, quas quomodolibet defendere, aut resolvere studuisset ex usu *Probabilismi*, quem in gravi illo momento veluti fontem errorum, laxarumque opinionum in christiana morali execratus est. Enixe rogavit, ut suæ retractationis exemplar publici juris fieret, ac typis editum in limine operis sui collocaretur, ut, si qui forte per ipsum errassent, per ipsum etiam redirent in viam. Atque uti postulavit, ita factum est.

contra Probabilifmum fcripfiffe. Adde Toletum, Nunnez, Adamum, Eftrix, Camargo. Elizalda, Antoine, aliofque, quos æquiparare poffumus Jefuitis ceteris univerlis. Segneri epiftolam refutavit Ballerinius, neque ejus argumenta frangit epiftola Anonymi ab eodem auctore poftremis differtationibus vellicata.

Not. IX. Ad percipiendam vim & efficaciam rationum obfervandum eft, omnem opinionem, quatenus plenam fcientiam, judiciique firmitatem excludit, *venire ex ignorantia*, ut ait Tertull. lib. ad Nat. c. 2. Principia enim, quæ certa funt & manifefta non opinionem generant, fed fcientiam, quod fi auctoritatem divinam habeant, & irrefragabilem, nec fcientiam, nec opinionem pariunt, fed fidem. Hinc Bern. l. 5. Conlid. 2. *Intellectus rationi innititur, fides auctoritati, opinio fola verifimilitudine fe tuetur.* In Deo enim, quem nihil latet, nulla cadit opinio, aut hæfitatio. Idem de primo homine condito cum participatione lucis æternæ affirmat D. Thom. Et S. P. de Util. cred. c. 11. *Tria effe*, ait, *in animis hominum intelligere, credere, & opinari, primum femper fine vitio, fecundum aliquando cum vitio, tertium numquam fine vitio.* Ignorantiam enim pœnam effe peccati S. P. contra Pelag. ubique tradit. Si quis ergo opinionem probabilem fequatur, & ex duabus falfam eligat, videndum, an tali ignorantia laboret, quæ illum excufet a culpa. Si veram, quærendum, an fcienter fefe peccandi periculo exponat. Quod fit, ubi *operans* non habet fcientiam de contrario, & in quandam dubitationem inducitur contrarietate opinionum, & tenui ea dubitatione permanente operatur. Ignorantia autem invincibilis, cum deftruat voluntarium, a peccato excufat. Secus vincibilis, juxta Reg. c. 6. diff. 2. l. 21.

Not. X. Ex duabus oppofitis opinionibus, quarum una præferat libertatem, altera præceptum, unam femper veram effe, aliam falfam, e. g.: *Li-*

citum est in hoc peragendo negotio simulatione uti, & non est licitum &c. Impossibile est enim utramque simul veram, aut falsam esse, si eadem sit ratio utriusque, idem objectum, eædem circumstantiæ, ut constat ex Logica, unde disputari solet, num liceat sequi opinionem probabilem in occursu minus probabilis, num in occursu æque probabilis, num denique in occursu probabilioris.

Not. XI. Nonnihil interesse inter tutam, ac probabilem opinionem; illa enim vitat omne peccandi periculum, hæc non levi momento innititur: fieri autem potest, ut opinio sit minus probabilis, & magis tuta, ut eorum opinio, qui putant, mortale esse sacrum peragere non recitato matutino. Multæ tamen sententiæ sunt probabiliores simul & tutiores: quæ non solum amovent peccandi pericula, sed etiam habent momenta validiora: talis est in schola nostra sententia, quæ docet, aperienda esse in confessione circumstantias notabiliter aggravantes.

Not. XII. Nusquam licere sequi conscientiam dubiam, per quam animus *fluctuat inter duas partes contradictionis*: ut ait D. Thom. q. 14. de Ver. art. 1. *In dubiis* enim, ex communi axiomate, *tutius est eligendum*, quod habetur in cap. ad *Audientiam.* Idem docet l. 1. de Bapt. c. 3. S. August. *Graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo, quod certis incerta præponeret*, peccat enim ex D. Th. quisquis se exponit peccandi periculo, in quo sane versatur, qui opera facit, de quorum honestate incertus est: quis enim cibum vel potum sumeret, quem dubitat esse venenosum?

Not. XIII. distinguunt Probabilistæ inter dubium *speculativum*, & *practicum*. Si enim probes, ex duabus oppositis opinionibus dubitationem generari, adeoque nefas esse agere adversus illam, quæ stat pro præcepto: præsto est subterfugium, dubium illud speculativum esse, non practicum, & consequenter conscientiam non lædere. Rejecit hanc di-
stinctio-

ſtinctionem Card. Aguirre, & jure quidem. Dubium enim ſpeculativum illud eſt, quod ſiſtit in contemplatione veritatis, practicum vero eſt, quod ſpectat ad rem peragendam. Ita dialecticorum dubitationes ſpeculativæ ſunt, artificum practicæ. S. Thom. docet, judicium ſpeculativum, & practicum eſſe ejuſdem potentiæ. Nos utriuſque diſcrimen repetimus a connotatis. Conveniunt tamen omnes, quod practicum judicium ſpeculativum ſequatur; itaut ſi hoc dubium ſit, tale etiam ſit illud: nec poſſe quempiam in ſpeculatione dubium ad agendum duci, niſi aut præcipiti conſilio, aut animi trepidatione. Probabiliſtæ, ut oſtendant, cum dubitatione ſpeculativa ſtare judicium practicum moraliter certum, confugiunt ad mentis reflexiones, ut dictum eſt. Ubi nobis accurata diſtinctione opus eſt. Dum enim mens fluctuat, ſi immutetur objecti circumſtantia, accedatque aliud grave momentum, poteſt ſane efformari judicium practice firmum, & certum, ſed hæc certitudo non innititur reflexioni præcedentis dubitationis, ſed accedentis momenti, & circumſtantiæ. Dubitat, e. g. Religioſus, an liceat ſibi a choro abeſſe: præcipit illi præſul, ut ſtudiis vacet, id agendum cenſet *judicio practico*, non ex antecedente dubitatione, ſed ex accedente præcepto ſecurus. Idem de aliis exemplis judicium eſto, & hoc pacto ex reflexione mentis antea perplexæ, nova accedente ratione, aut mutatis circumſtantiis, fieri poteſt judicium practicum moraliter certum.

At perſiſtentibus iiſdem motivis dubitandi, an actio honeſta ſit, aut inhoneſta? nullo judicio reflexo de ejus honeſtate certior fieri poteſt. Unde enim certitudo hujus judicii manare poteſt, ſi judicium ſpeculativum, unde practicum oritur, anceps eſt? Duplex via eſt, ſed utraque fallax. I. ut librata auctoritate, vel ratione judicetur, eſſe æque probabile, quod illa actio ſit honeſta, & inhoneſta, quia utrimque gravia proferuntur momenta, adeoque non in dubiis jam hæret animus, ſed in opinationi-

tionibus, quarum utraque licita judicatur. Verum, dum utramque opinionem æque probabilem ducimus, & æqualibus innixi momentis, quomodo exuere poſſumus præconceptam debitationem? non vi rationum, ac momentorum, cum hæc paria ſint; ergo ſola voluntate, non ductum rationis ſectante, ſed ſenſuum. II. ut in eo concurſu excludatur, aut ſuſpendatur judicium de objecti inhoneſtate, ut in una opinione acquieſcat animus, nil de alia ſollicitus, quod fieri nequit abſque ſumma imprudentia, aut malitia. Primo enim hæc judicii ſuſpenſio annexam habet ignorantiam voluntariam & *affectatam* &c., qua non vult intelligere, ut bene agat. Deinde, qui non expendit contraria momenta, nec prudens eſt, nec certus de operis honeſtate: quis enim prudens miles non timet hoſtis inſidias? quis de eo certus eſt, quod novit validis argumentis oppugnari? Num prudens, & æquus eſt judex, qui partem audit, inaudita altera?

Not. XIV. Probabiliſtæ huic argumento: neceſſe eſt ex duabus contrariis opinionibus unam veram, alteram falſam eſſe; adeoque adeſt in eorum diſcretione errandi periculum, reſpondent: adeſt periculum peccandi *materialiter*, conc., *formaliter*, neg. Verum ſi peccatum tantum *materiale* dicant pravum illud opus, quod fit abſque uſu libertatis, vel ignorantia inculpabili, ut homicidium a phrenetico commiſſum, concubitus Jacob cum Lia &c. non repugno. Quod ſit tamen peccatum *formale* animam innectens reatu in eo, qui libere præceptum tranſgreditur, niſi adſit ex parte voluntatis ratio aliqua excuſans, nemo ſanus negabit. Vide auctorem.

CAPUT

CAPUT III.

Ostenditur, conscientiam probabilem, qua talem, non esse semper certam regulam morum.

PRIUSQUAM de opinionum conflictu disquiramus, universim de *probabili* in se spectata dicendum est, cumque plures sint probabilitatis gradus, juxta majorem, aut minorem auctoritatem & rationum pondera atque momenta, dicendum primo de probabilitate pertenui, tum de aliis debito ordine differendum.

Propositio I. Si tenuis sit probabilitas opinionis, eidem morigerari nefas est.

Prob. I. Scripturis. Nam Prov. 10. habetur: *Est via, quæ videtur homini recta, & novissima ejus ducunt ad mortem*, & Philipp. 2. ait Ap. *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini*: sed ubi tenuis occurrit probabilitas, qui eidem obsequitur, arbitratur viam directam tenere, cum sit fallax, & levi ratione aut auctoritate innixus timorem exuit; ergo &c.

Prob. II. Proscripta est ab Innoc. XI. ann. 1679. hæc assertio. *Dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquod agimus, semper prudenter agimus*: & ab Alexand. VII. *si liber sit alicujus junioris, debet opinio censeri probabilis, dummodo non constet, rejectam a Sede Apostolica, tamquam improbabilem.* Sed, si fas esset quamlibet probabilem opinionem sequi, fas etiam esset unius etiam junioris scriptoris sententiam sequi, nulla ratione habita ceterorum; ergo &c. Nec valet, auctorem pium esse & doctum: si enim illi pio & docto repugnent alii item pii &c., erit ejus judicium non firmum & libratum, sed infirmum & leve; quis enim ex junioribus æquari potest pietate aut doctrina S. Martyri Cypriano, quem tamen errasse in rebaptizandis hæreticis nemo non novit? Adde,

propofitiones illas fuiffe profcriptas, ne quis alicui Doctorum fubnixus fcripturas ac Patres contemneret: fed hoc liceret, fi fas effet tenere probabilem, licet tenuem, opinionem; ergo &c.

Prob. III. ex PP. Auctor hom. 44. in Matth. hæc habet: *Si veftimenta empturus gyras unum negotiatorem, & alterum, quomodo non oportet populum circuire Doctores, & inquirere, ubi fincera veritas Chrifti venumdatur, & ubi corrupta, & veriorem eligere plufquam veftimentum?* Qui ergo unius, aut alterius fcriptoris fequitur auctoritatem, qui fpretis traditionis, & S. Canonum momentis, probabilia tantum tradiderit, quafi ex uno mercatore fordidas merces, corpori magis ftudens, quam animæ, fibi comparat.

Prob. IV. ratione. I. enim tenuis probabilitas, aut fcriptorum numero & auctoritate fulcitur, aut rationum momentis. Si primum, aut fcriptores funt plures & graviores, & tunc non tenuis, fed magna eft probabilitas, fi pauci & vulgares, nec opinionem *probabilem* conftituunt. Si fecundum, aut ratio fcripturis ac PP. eft confentanea, & gravis eft, non levis probabilitas, aut repugnat, & nulla eft probabilitas. II. ex tenui probabilitate nemo prudenter agit. III. ex eadem lex contemnitur, & veluti e fonte licentia & corruptelæ dimanant. IV. id etiam confirmatur exemplis. Quis enim cibum infolitum fumeret, quem major convivarum pars veneno infectum affereret? Quis viam ab uno monftratam arriperet, quam alii clamant ducere ad præcipitium? Sed hoc præftat, qui opinionem levi probabilitate fuffultam amplectitur; ergo &c.

Propositio II. Nulla opinio probabilis, fi tuta non appareat operanti, neque confcientiam reddat moraliter certam, eft morum firmiffima regula.

Prob. I. Scripturis. Nam Ecclefiaftici 37. habetur: *Ante omnia opera verbum verax præcedat te: & ante omnem actum confilium ftabile.* *Ubi verbum*

bum verax ratio eſt, nam, juxta græcam verſionem, *principium cujuſque operis ratio eſt*; ergo ad bonam conſcientiam requiritur, ut quis rationem reddere poſſit ſuorum operum, nec paſſione, aut cupiditate ſe ſinat tranſverſum agi. Ita Monachos Foſſæ novæ monet D. Th. teſte a Lapide in hunc locum, ſed qui ducitur opinione probabili, ſæpe illum non ratio præcedit, ſed error, nec ſtabile conſilium, ſed fluctuans; ergo ſpernit Eccleſiaſtici monitum, & ſponte in errorem prolabitur. Item Matth. 6. ait Chriſtus Dominus: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: ſi fuerit nequam, totum tenebroſum erit.* Eſt autem oculus ſimplex, qui habet *caritatem in intentione, & in electione veritatem*, ait Bern. de Præc. & diſpenſ. c. 14. nu. 35. ita duo mala oculum nequam conſtituunt *cæcitas, qua ſit ut veritatem non agnoſcat, & perverſitas, qua ſit ut diligat iniquitatem*, ib. n. 36. Sed qui probabilitatem utcumque ſequitur, ſæpe falſam probat opinionem, & eligens deteriora non caritate ducitur, ſed perverſitate; ergo oculus ejus *nequam* eſt, & *corpus*, ideſt opus *tenebroſum*, & *perverſum*. Addit Bernardus: *Non ideo ſequitur, ut qui e contrario malum facit, & bonum putat, juxta ſuam fidem ſimiliter & ipſe inveniat: non eſt quippe ſimplex oculus ille, qui ex judicio veritatis corpus lucidum reddat:* ſed qui ſequitur opinionem tantum probabilem, ſæpe malum facit, & bonum putat; ergo ſimplicem oculum non habet. *Sive ergo* (concludit Bernard.) *malum putes bonum, quod forte agis, ſive bonum malum, quod operaris, utrumque peccatum eſt.* Ex quibus male inferunt aliqui, nec ignorantiam invincibilem a peccato excuſare, aut oculum, qui ſimplex non eſt, nequam eſſe, ut enim Bernar. ait: *Eſt qui bonum diligit, & malum neſcius agit. Hujus quidem bonus eſt oculus, quia pius, non tamen ſimplex, quia cæcus.*

Prob. II. ex PP. Nam Auguſt. l. 3. contra Acad.

16. rejicit illud principium: *Qui ſequitur in agendo probabile, non errat, nec peccat:* ex quo flagitiis omnibus latam patere viam demonſtrat, dicens: *Illud eſt capitale, quod nefas omne, ſi hæc ratio probabilis erit, non ſolum ſine ſceleris, ſed etiam ſine erroris vituperatione committat.* Quæ Auguſt. argumentatio non ſolos Academicos ethnicos urget, ſed etiam Probabiliſtas catholicos. Sicut enim reprehendi nequit apud ethnicos flagitioſiſſimus quilibet, etſi convincatur patrias leges violaſſe, quia reſpondere poteſt, ſe iis non teneri, cum ſibi liceat agere, quidquid eſt probabile; ita, ſi fas eſt opinionem ſequi probabilem, nullus huic obſequens reprehendi poterit. Quod *capitale* vocat S. P. *& cuique viro optimo metuendum.* Immo hoc argumento magis urgentur probabiliſtæ, quam academici: ait enim S. P. iſtos agendo, quod videtur probabile turpiter erraſſe, licet nulli quaſi vero aſſentirentur, qui vero opinionem probabilem ſequitur, temere verum judicat, quod falſum eſt. Deinde S. P. l. ult. de C. D. c. 23. docet, ſedulo juſtis vigilandum, *ne opinio veriſimilis fallat, ne ſe tenebræ alicujus erroris offundant, ne quod bonum eſt, malum, aut quod malum eſt bonum eſſe credatur*, ſed nulla hujuſmodi ſollicitudo nos premere debet, ſi licitum ac tutum eſt probabili conſcientiæ ſe ſe conformare; ergo &c.

Prob. III. ratione. I. Ex adverſariorum ſententia ſequitur, idololatras eſſe immunes a culpa, cum magna probabilitate, nempe ex inſtitutione majorum, & patriæ conſuetudine Deos ſuos colant. *Quid enim faceret*, ait S. P. in Pſ. 64. *puer natus inter paganos, ut non coleret lapidem, quando illum cultum inſinuaverunt parentes? illum errorem cum lacte ſuxit?* R. I. Probabiliſtæ, non teneri infidelem fidem amplecti, dum ejus ſecta probabiliter apparet credibilis. Sed tam laxa doctrina Auguſtino, & Pſalmiſtæ adverſatur. R. II. Non excuſari a culpa infideles, quia de exiſtentia Dei non datur ignorantia invincibilis. Sed, præterquam quod

quod hoc negant plures Probabiliſtæ, ex hac reſponſione ſequitur, ſolam ignorantiam invincibilem excuſare a culpa eos, qui ex opinione probabili præceptum frangunt. Quod de idololatria dicitur, de hæreſi etiam dicendum eſt; ergo &c. II. ſequitur, eum, qui opinionem probabilem amplectitur, imprudenter ſe gerere. Prudentia enim docet, magis appetenda, quæ ſuperiora ſunt, quam inferiora, ut ait S. P. l. 1. de lib. arb. 13. atqui Probabiliſtæ docentes fas eſſe propriæ libertati indulgere etiam urgente præcepto, propriam voluntatem divinæ præponunt, ſenſum rationi, & temporale commodum bono incommutabili; ergo &c. Quis inſuper, niſi imprudentiſſimum eum vocet, qui ſe peccandi periculo exponit, ut enim ait P. Blanchet S. J. in Eleg. ad Thyrſum Gonzalez: *Ni certo conſtet culpæ nullum eſſe timorem, hoc ipſo auctorem conſtitit eſſe reum.* III. Hæc Probabiliſtarum doctrina nova eſt, & ante ann. 1570. incomperta, ut c. 2. oſtendimus. Nullus enim pro benigniori ſententia laudatur Medina, & Mercado vetuſtior. Nullus e S. J. novæ opinioni conſenſit ante an. 1597. Comitolus laudat adverſus Probabiliſtas omnes ſcholaſticos vetuſtiores. Amicus fatetur, ſibi adverſari *omnes fere antiquos theologos;* ergo Probabiliſtæ, nedum non *exquirunt*, juxta monitum Eccleſiaſtici c. 39. *ſapientiam omnium antiquorum:* ſed ajunt, *doctrinam morum magis a junioribus eſſe petendam.* Videntur etiam fateri ſententiam, quam per tot ſæcula doctores catholici reprobarunt, regulam morum factam eſſe, quod eſt abſurdum.

Propositio III. Non licet ſequi opinionem probabilem faventem libertati, relicta altera æque prob., quæ ſtet pro lege.

Prob. I. ex ſcripturis. Eccleſiaſtici 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*, ſed qui ſequitur opinionem prob. faventem libertati &c. amat periculum; ergo &c. Ap. 1. Theſſ. 5. ait: *Omnia probate*,

quod

quod bonum eſt tenete, ab omni ſpecie mala abſtinete vos: ſed hoc non præſtant Probabiliſtæ; ergo &c. Prob. II. ex PP. Nazianzenus Or. 27. docet, non curandum, ſi ſecus pleriſque videbitur, ſed rei veritatem curandam, quæ vel nos condemnabit, vel abſolvet. Baſilius in Pſ. 61. ait, ſtateram ad vitam inſtituendam eſſe arbitrium ratione directum, non opiniones hominum, de quibus ſcriptum eſt: *Mendaces filii hominum in ſtateris.* Chryſoſt. hom. in 2. ep. ad Cor. 13. ait, non ſtandum multorum opinionibus, ſed res ipſas inquirendas, exemplo eorum, qui pecunias enumerandas ſeipſis exactiſſime ſupputant, nec facile aliis credunt. S. P. A. de Bapt. contra Don. ubi dubitanti, an liceat, nec ne baptiſmum accipere in parte Donati, putantique utramque ſententiam probabilem, ait: *Hic ergo*, nempe in Eccleſia catholica, *ſecurus accipiat, ubi & eſſe, & accipi recte certus eſt, illic autem* (nempe in parte Donati) *non accipiat, quod eſſe quidem ibi dicunt, ſed ibi accipiendum eſſe non dicunt.* Addit, quod *graviter peccaret in rebus ad ſalutem ſpectantibus vel eo ſolo, quod certis incerta præponeret.* Ex quibus ſic arguitur. I. Peccare eum, qui ſequitur opinionem faventem libertati, negant aliqui doctores, propugnant alii; eam ergo opinionem tenere debet, quam tenendo certus eſt non peccare: ſicut catechumenus debet in illa Eccleſia baptiſmum ſuſcipere, in qua certus eſt recte accipi ſacramenta. Hoc argumento Henricus IV. Galliarum rex Calviniſmum ejuravit. II. Qui ſequitur ſententiam probabilem faventem libertati in rebus ad ſalutem ſpectantibus, certis incerta præponit, ſed is peccat per Aug. ergo &c.

R. Probabiliſtæ, vel loqui Aug. de validitate baptiſmi, atque illum peccare ait, qui dubitans, an valeat ſacramentum in ſchiſmate ſuſceptum, illud ſuſcipit a ſchiſmaticis; vel loqui de eo, qui dubitat abſque probabilitate: ſed utraque reſponſio falſa

falſa eſt. I. quia S. P. expreſſe fatetur ibidem, hæc duo *eſſe apud Donatiſtas baptiſmum, non autem illic recte accipi*. II. etiam falſa eſt. Suſcipiens enim baptiſmum in parte Donati movetur ea ratione, quam firmam putat, quod tam catholici quam Donatiſtæ conſentiunt, etiam apud Donatiſtas eſſe baptiſmum, unde dicit: *Illic accipere volo, ubi baptiſmum Chriſti eſſe utrique conſentiunt.* In re namque nulla opinio probabilis eſt, niſi vera; diſputatur ergo de opinione, quæ probabilis apparet operanti, ut ſupra notavimus. Ille ergo, de quo S. P. non ſine probabilitate in parte Donati baptizatus eſt. Deinde etiam probabilitate ſuppoſita, dum contraria opinio gravi momento fulcitur, incertum eſt, an fas ſit propriæ obſequi libertati, certum eſt, nihil eſſe periculi obſequendo legi; ergo etiam probabilitate ſuppoſita nefas eſt opinioni obſiſtere, quæ legi favet.

Prob. III. ratione. Duæ enim opiniones contrariæ dubitationem pariunt, *ac in dubiis debemus ſemitam eligere tutiorem*, ex comm. proloquio, ſed tutius eſt ſequi opinionem ſtantem pro præcepto; ergo &c. Hinc eſt, quod interrogatus Clem. V. num FF. Minores teneantur ſub mortali ſervare, quæ negative, vel affirmative jubentur imperativo modo in regula S. Franciſci; reſpondit Clemens in Clem. *Quia præterea* teneri: *Quia in his, quæ animæ ſalutem reſpiciunt, pars ſecurior eſt tenenda.* Et in cap. *Inquiſitioni tuæ* interrogatus Innocent. III. quid agendum ſit conjugi, quando dubitat de valore matrimonii. R. quod *cum conſcientia pulſat animum ex credulitate probabili, & diſcreta, debitum quidem reddere, ſed poſtulare non debet, ne vel contra legem conjugii, vel contra judicium conſcientiæ committat offenſam;* falluntur ergo Probabiliſtæ illi, qui putant, effatum illud: *In dubiis &c.* locum non habere in quæſtionibus juris: ſunt enim juris quæſtiones duæ ſupra laudatæ.

R. I. Tamburinus: non oriri dubitationem in oppoſitarum opinionum conflictu, cum *dubium* ſit, quando

quando nullæ utrimque rationes menti obverſantur; qui vero duas habet æque probabiles opiniones, gravi rationum pondere hinc & inde premi ſe experitur. Falſitatem hujus reſponſionis oſtendit Vendrochius lancis exemplo, quæ in æquilibrio manet, ſive nullum neutri parti, ſive utrique onus æquale imponatur: & judex æque fluctuat, ſive dum nulla adverſus furem accuſationis capita apparent, ſive teſtes diſſentiant. Et S. Thom. de Ver. q. 14. a. 1. *Intellectus noſter*, ait, *reſpectu partium contradictionis ſe habet diverſimode: quandoque enim non inclinatur magis ad unum, quam ad aliud propter defectum moventium, ſicut in illis problematibus, de quibus rationes non habentur: vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem, & ita eſt dubitantis diſpoſitio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis;* ergo &c. Recte id exponit laud. Blanchet in Eleg. ad Thyrſum Gonzalez. Vid. auctorem.

R. II. Vaſquez 1. 2. diſput. 69. valere hoc axioma in dubiis, non in opinionibus: in illis enim neutri parti, in his alterutri aſſentimur. Sed refellitur hæc reſponſio ipſis Vaſqueſii principiis. *Dubius* enim eſt *inter utramque partem*, ait Vaſq. 16. *quoties in neutra cognoſcit majorem convenientiam prædicati cum ſubjecto in una parte contradictionis, quam in altera;* ſed ſi animum pulſent duæ opiniones æque probabiles, nequit in una parte contradictionis major convenientia prædicati cum ſubjecto dignoſci, cum adſint æqualia rationum pondera; ergo &c.

R. II. Probabiliſtæ communiter, valere illud proloquium in dubiis practicis, non in ſpeculativis: ac poſſe per judicium reflexum reddi conſcientiam moraliter certam *practice*, licet *ſpeculative* ob oppoſitas opiniones foret dubia. Sed hæc reſponſio rejicitur ex not. 5. quam vide. Adde, quod ſi ad conſcientiæ rectitudinem ſufficiat actus reflexus, quo mens practice judicet, licitum eſſe ſequi opinionem

nionem probabilem, nuſquam tranſgredi poterit illam regulam juris, qui enim actu operatur ſe determinat judicio practico ad opus; dummodo ergo judicio practico dicat ſibi fas eſſe eligere, quod lubet, etiam præexiſtente dubitatione induet bonam, certamque conſcientiam. Deinde juxta traditam Aug. doctrinam peccat, qui certis incerta præponit, erratque qui probat falſa pro veris, atqui judicio reflexo Probabiliſtæ præponere poſſunt tamquam certa, quæ incerta ſunt, & approbare falſa pro veris; ergo poſſunt errare. Deinde judicii reflexi certitudo innixa eſt huic Probabiliſtarum principio: *Licet operari ſecundum ſententiam probabilem:* ſed hoc incertum eſt, nam de eo diſputatur; ergo petunt principium. Adde, judicium reflexum non inducere ignorantiam, ſaltem invincibilem judicii directi & oppoſiti paulo ante in opinionum conflictu menti obverſantis; ſi ergo falſæ opinioni practicæ præſtet aſſenſum, non poterit operantem immunem reddere a culpa.

Prob. IV. ex D. Thom. qui laud. q. 14. de Ver. art. 1. intellectum non moveri, ait, *niſi a duobus, a proprio objecto, quod eſt forma intelligibilis, & a voluntate, quæ movet omnes alias virtutes:* ait aliquando ita moveri, ut non inclinetur magis ad unam, quam ad alteram partem contradictionis: vel propter defectum moventium, vel propter apparenten æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem, & hanc eſſe *diſpoſitionem dubitantis*, aliquando inclinat ad unam potius, quam ad aliam, ſed tamen dubitare de oppoſita, *& hanc eſſe diſpoſitionem opinantis, qui accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius*, ex quibus ſequitur, I. in concurſu duarum opinionum æque probabilium, nullam eſſe in intellectu diſpoſitionem, niſi dubitantis propter apparentem æqualitatem rationum moventium ad utramque partem. Sequitur II. neutram opinionem in hypotheſi eſſe veram opinionem probabilem, eo quod animus

non

non in unam potius partem inclinatur, quam in aliam. Sequitur III. non poſſe in opinionum iſtarum conflictu haberi judicium certum, cum nequeat intellectus ad aſſenſum alterius determinari evidenti ratione, aut firmiſſima auctoritate. Et in Quodlib. 9. art. 13. ait: ſi ille, *qui poſſidet plures præbendas in dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, & manente tali dubitatione plures præbendas habet, periculo ſe committit, & ſic peccat, utpote magis amans beneficium temporale, quam propriam ſalutem.* Nec dicas, D. Thom. loqui de conſcientia dubia, non de probabili. Nam ib. ait: *Aut ille habendo plures præbendas facit contra veram opinionem, & ſic cum faciat contra legem Dei non excuſatur a peccato, quamvis non faciat contra conſcientiam. Aut vere licet habere plures præbendas, & tunc, aut talis habet conſcientiam de contrario, & ſic peccat contra conſcientiam, non contra legem, aut non habet, ſed in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum &c.* ergo qui operatur ex conſcientia probabili, vel falſam opinionem ſequitur, & peccat agens contra legem, vel veram, ſed in conflictu duarum opinionum adhuc timet, & peccat etiam ſe ſe exponens peccandi periculo: ergo ne peccet, opus eſt, ut opinio, quam ſequitur, ſit adeo probabilis, ut ex oppoſita in nullam dubitationem adducatur, quæ, *ſi vera ſunt*, ait Guimenius, *væ operantibus ex opinione probabili.* Argumenta a ratione in ſuperioribus theſibus producta ſunt.

Propositio IV. Nefas eſt ſequi opinionem minus probabilem ſtantem pro libertate in concurſu probabilioris, quæ ſtat pro lege.

Prob. iiſdem argumentis tertiæ Prop. & confirmatur I. ſcripturis. Eccleſiaſtici 19. *Qui credit cito, levis eſt corde.* Matth. 7. *Arcta via eſt, quæ ducit ad vitam:* ſed qui minus probabilem ſententiam ſequitur, cito credit, & iis tantum doctoribus credit, qui loquuntur placentia; ergo incautus & levis

levis eſt corde. Viam quoque ſalutis planiſſimam ſibi fingit, putans cum Caramuele, poſt exortum probabiliſmum jam homines non peccare, cum antea peccarent, eo quod omne probabile excuſet a peccato. Ita quod Apoſtoli, PP. Theologi, Chriſtus ipſe ignoravit, ſoli norunt Probabiliſtæ. *Quis talia fando temperet a lacrymis?* - Vide Sinnichium, Gonet &c.

Prob. II. ex PP. Clem. V. l. 1. Clem. tit. 1. ait: ſententiam eorum, qui docent, pueris habitualem gratiam in baptiſmo conferri, *tamquam probabiliorem, & doctrinis Sanctorum & Doctorum magis conſonam, duximus eligendam.* Et S. P. l. 2. Doctr. 8. docet, ſcripturas, *quæ ab omnibus recipiuntur Eccleſiis, præponendas eis, quas quædam non accipiunt; in iis vero, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponendas eas, quas plures gravioreſque recipiunt:* cum ergo in ſcripturis recipiendis, in dirimendis controverſiis, & ritibus ſtatuendis, probabiliorem ſententiam, minus probabili præferendam eſſe fateantur adverſarii, cur idem in moribus non erit ſervandum?

Prob. III. Si liceret ſequi opinionem minus probabilem, excuſaretur ab infidelitate, qui chriſtianam fidem probabiliori ratione ſibi propoſitam amplecti renueret: fas eſſet judici veriſimili ratione permoto reum damnare, quem firmiores conjecturæ abſolvendum eſſe monſtrarent. Sed hæ propoſitiones ab Innoc. XI. damnatæ ſunt; ergo &c. R. Probabiliſtæ, eas prop. jure damnatas ad præcavendum grave incommodum proximo illatum. Recte id quidem: ſed majus eſt incommodum animæ interitus; ergo &c.

Prob. IV. ex cenſuris latis adverſus ſententiam oppoſitam. Nam Archiepiſcopus Senonenſis an. 1657. coacta Synodo 700. virorum eam declaravit *falſam, & periculoſam eſſe.* Eodem anno plures epiſcopi, nedum proſcripſere celebrem caſuiſtarum apologiam, ſed etiam aſſerunt, ejus auctorem tot

abſurda ſcripſiſſe ex illo principio: „ De duabus „ opinionibus probabilibus ſeligi poteſt minus pro- „ babilis „. Et Lexovienſis epiſcopus in cenſura ejuſdem apologiæ *probabilitatem* vocat „ parentem „ omnium errorum caſuiſtarum „. Idem docuit Archiepiſcopus Bituricen. Vide cenſuras plurimas apud Charlas, & Merbeſium. Ex libris etiam Probabiliſtarum omnes morum corruptelas prodiiſſe l'Herminier, Gonetus, Contenſonius, aliique affirmarúnt.

Prob. V. ex theologorum conſenſu, de quo plura c. præced.

Prob. VI. ex ratione. I. enim, qui ſequitur opinionem minus probabilem, imprudentiſſime ſe gerit. Prudentia enim ex Ariſtotele eſt *optima expetere, eaque ſemper ſibi proponere, & actitare.* Ex Tullio *eſt rerum expetendarum, fugiendarumque ſcientia;* ex Auguſtino eſt ea ſeligere, *quibus adjuvatur ab eis, quibus impeditur:* ſed qui ſequitur opinionem minus probabilem, abjecta probabiliore, nec ſeligit optima, nec ſibi ſuperiora proponit, nec diſcernit inter res expetendas, aut fugiendas; ergo &c. Deinde, ut ratiocinatur Comitolus, qui probabiliori ſententiæ præfert minus probabilem, eligit a veritate longius abeſſe: eligit enim minus veriſimile, præcludit ſibi aditum veritatis, cujus brevior via eſt, veriſimiliora ſectari. Diſcedit ſponte a ratione, cum illud abjiciat, quod magis rationi congruit: & judex conſtitutus cauſam dicit teſtimonio fretus deteriori, minus veroſimilia argumenta præferens veroſimilioribus; ergo &c.

Prob. VII. ab exemplo. Docet Vaſqueſius 1. 2. diſ. 44. peccare medicum, ſi applicet medicamenta, de quibus dubitat, utrum ſint profutura, aut nocitura; eo quod in dubiis tutior ſit tenenda pars, ſed non minor ægrotantis animæ, quam corporis ſollicitudo habenda eſt; ergo &c.

CAPUT IV.

Diluuntur objecta.

Ob. I. ex ſcripturis. Pſ. 118. habetur: *Judicia tua jucunda.* Matth. 11. *Jugum meum ſuave eſt.* Ep. 1. Jo. *Mandata ejus gravia non ſunt;* ſed ea gravia eſſent, & jugum intolerabile, ſi nefas eſſet benigniorem ſequi ſententiam; ergo &c.

R. neg. min. Licet enim ex ſacris literis per anguſtam portam intrandum ſit, ſine intermiſſione orandum, nos abnegandum &c. tamen mandata Dei gravia dicenda non ſunt, I. comparate ad præcepta legalia, quibus abrogatis, ut ait S. P. Ep. 118. *Sacramentis numero pauciſſimis, obſervatione facillimis ſocietatem novi populi Deus colligavit.* II. ob ſpem magnæ retributionis, cum non ſint condignæ paſſiones hujus ſæculi ad futuram gloriam. III. Leve eſt onus Domini, quia non timore, ut in veteri lege, ſed amore pertrahimur. Nam *perfecta caritas*, ex Auguſtino de perf. Juſt. c. 10. *foras mittit timorem, & facit præcepti ſarcinam non ſolum non opprimentem onere ponderum, ſed etiam ſublevantem vice pennarum.* IV. Perleve eſt, quia ubi vires non ſuppetunt, ſupplet bona voluntas. V. Suave eſt, quia Deus *ipſe adjuvat, ut fiat quod imperat*, ut Aug. l. 6. de Muſ. & l. de Nat. & Gr. 69. *Quomodo eſt enim grave, cum ſit dilectionis mandatum?* Et quidem, ſi divinæ legis æquitas & jucunditas in opinandi libertate conſiſteret, levior foret, ſi permitteret etiam in dubiis, imo & in noxiis agere quidquid lubet, & quod horrent chriſtianæ aures, ſuavior foret lex concupiſcentiæ, quam ſpiritus: levior eſſet, ſi nos ad inquiſitionem non adigeret veritatis, ad quam ex Probabiliſtarum ſententia adſtringimur: tandem gravior foret Chriſti lex priſcis Eccleſiæ temporibus, quam nunc, quod eſt abſurdum.

Ob. II. Regulam Juris Cæſ. 171. *In pari cauſa poſſeſſor potior haberi debet*, & in 6. Decr. n. 2. *Cum*

ſunt partium jura obſcura, reo favendum eſt potius, quam actori; ex quibus ſic arguunt: 1. Stat homo in poſſeſſione ſuæ libertatis; ergo in pari opinionum conflictu poterit eligere, quod lubet. 2. Judex non debet reo pœnam decernere, dum in ſuo foro incertus eſt de delicto; ergo neque in foro conſcientiæ damnari debet; ergo &c.

R. ad 1. Regulam illam locum habere ſolum in materia juſtitiæ, alias in omni dubio fas eſſet eligere partem minus tutam: ita Vaſqueſius 1. 2. d. 65. 3. Deinde quis, niſi audaciſſimus, adverſus Deum, ejuſque legem titulum poſſeſſionis opponat? Ad argumentum neg. ant. Stat enim poſſeſſio pro Deo, ejuſque lege, quæ eſt æterna, non pro libertate Dei munere collata, ut legi ſubjiciamur. Stat etiam poſſeſſio pro oppoſita ſententia, quam non diffitentibus probabiliſtis probarunt omnes vetuſtiores. Adde, non tenere hanc regulam, quando emergit peccandi periculum: nam in cap. *Significaſti* de Homicid. definitur, ſacerdotem habendum eſſe tamquam irregularem, licet incertum ſit, an ejus ictu occiſus interierit. Tandem jus civile præſcribit tantum ea, quæ ſpectant externam politiam, non forum interius.

Ad ſecundum neg. conſ. Non enim tenet regula illa juris, ubi adeſt peccati periculum, nec in foro interno. Nam ex D. Thom. 2. 2. q. 60. art. 4. *Ubi, non apparent manifeſta indicia, debemus alios reputare bonos; at circa nos ipſos dubia interpretari in malam partem, quia cum debeamus malis noſtris adhibere remedium, expedit ſupponere id, quod eſt deterius.* Accedit, tutiorem ſententiam, ſicuti honeſtior eſt, ita utiliorem, benigniorem, & libertati magis conſonam eſſe cenſendam, quia ſuavitas, & libertas ſpiritus cuilibet voluptati, ac libertati carnis, quæ ſervitus potiori jure dicenda eſt, præferri debet ex D. Th. 2. 2. q. 147. art. 2.

Ob. III. reſcripta Pontificum. I. Innocentius III. Cap. *Literas* de Reſt. ſpol. de muliere, quæ non expe-

expectato Ecclesiæ judicio recesserat a marito, opponens impedimentum consanguinitatis, & viri sævitiam, recitatis sententiis oppositis ait: *Nos autem ad præsens nullam de prædictis sententiis reprobamus, nec cuiquam illorum aliquid præjudicium ex nostra responsione volumus generari;* declarat ergo Innocentius, fas esse utramlibet sequi. II. Alex. III. 4. Decr. tit. xi. de Cognat. spir. c. 2. statuit: *Non esse separandos*, virum & mulierem, *si scienter, vel ignoranter filium suum de sacro fonte susceperint, licet id sit generaliter constitutum, quia quidam humanius sentientes aliter statuerunt;* ergo Alex. benigniorem sententiam secutus est; licet alia *communior* esset, & probabilior. III. Cælestinus III. 4. Decret. tit. 15. c. *Fraternitatis* sententiam episcopi Altisiodorensis excusat, a quo *sententia divortii per errorem, licet probabilem, novit esse prolatam;* ergo &c.

R. Ad primum neg. conf. Innocentius enim ibi laudat Epistolam Lucii III. qua decrevit restituendam esse mulierem a viro violenter expulsam exceptione consanguinitatis non expectata sententia judicis; nec adesse incestus periculum, quia mulier, si sciat impedimentum, nequit petere, nec peccat vir reddens, quia paret Ecclesiæ: quæ sententia stat pro lege indissolubilis matrimonii, non pro libertate. Affert etiam oraculum Clementis III. qui statuit, prius esse cognoscendum de exceptione consanguinitatis, antequam mulier esset jungenda viro, qui illud impedimentum objecerat. Quod sane oraculum pro lege stat, non pro libertate. Dum ergo Innoc. ait, nolle se responsione sua sententiis istis præjudicium afferri, vult esse tenendam opinionem stantem pro lege, & Lucii, Clementisque sententias recte conciliat, quod illa *ad possessorium*, hæc, *ad petitorium referatur*. Deinde non ait Innoc., potest Isemberga restitui spoliato juxta Lucii decretum, non debet juxta responsum Clementis, ideoque licet facere utrumque. Neque

opinionem mulieris pro ſua libertate probabili ratione pugnantis definivit eſſe tenendam, ſed opinionem ſtantem pro lege matrimonii, & ſtatuente conſanguinitatis impedimenta probavit. Vide auctorem.

Ad ſecundum neg. conſ. Cum enim decreto Papæ Deuſdededit ſtatutum eſſet, ut mulieres, quæ in ſabbato Paſchæ filios ſuos levarent de baptiſmo, ſepararentur, dotem reciperent, & nuberent alii marito, quæ generalis conſtitutio difficilis Juriſconſultis & Baſilio Poncio viſa eſt, ideo reſcripto Nicolai Papæ ſtatutum eſt, minime ſeparandos, ut habetur in cap. *De his*. Certum eſt enim poſſe Rom. Pont. hoc in caſu diſpenſare, ſive id ex ignorantia, ſive ex malitia factum ſit: ac diſpenſationis legitimam cauſſam eſſe, ſi contineri non valeant. Jure ergo Alexander, non obſtante generali conſtitutione Papæ Deuſdedit, ſecutus eſt aliorum prædeceſſorum ſententiam, qui *humanius* ſtatuerunt, cum his diſpenſandum Pontificia auctoritate: qua in re ſententiam *humaniorem* quidem, ideſt *æquiorem*, ut exponunt canoniſtæ, ſed *probabiliorem* Nicolai ſecutus eſt, ſtantem pro lege matrimonii, hac firmiſſima ratione: „ Quia ſi ex ignorantia id factum eſt, „ ignorantia eos excuſare videtur, ſi ex malitia, „ eis ſua fraus patrocinari non debet. "

Ad III. diſt. ant. Et error probabilis dicitur, quod fuerit ex conſcientia opinativa, neg., moraliter certa, licet poſtmodum ex facto oppoſitum conſtiterit, conc. Epiſcopus enim providis, honeſtiſque matronis ſub periculo animarum injunxit, ut de impotentia Odoardis inquirerent, quæ conſtanter teſtatæ ſunt, quod ea mulier non poterat eſſe mater aut conjux; unde epiſcopus morali certitudine cognito impotentiæ impedimento Odoardem ſejunxit a viro. Accidit poſtea, ut nullum hoc impedimentum dignoſceretur, & Cæleſtinus decrevit: *Sententiam divortii per errorem probabilem eſſe prolatam, cum pateat ex ipſo facto, quod ipſa cognoſcibilis*

bilis erat, adeoque cum primo viro validum extitiſſe matrimonium.

Ob. IV. ex PP. Aug. l. 1. de Bapt. contra Don. 4. excuſat Cypriani ſententiam de rebaptizandis Hæret. ſed hæc erat minus probabilis; ergo &c. II. de Adult. conj. c. 26. repudiata ſententia aliquorum, qui catechumeno non petenti in mortis articulo baptiſmum negandum eſſe putabant, juxta dominicam ſententiam: *Nolite ſanctum dare canibus*, ait: *Etiamſi voluntas ejus incerta eſt, multo ſatius eſt nolenti dare, quam volenti negare;* ergo ſequitur ſententiam minus probabilem, & ſcripturæ contrariam. III. Et Ep. ad Hieron. 19. ait, ſibi probari, quod *vel per auctores canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat* perſuadetur; ergo &c.

R. ad I. Excuſat, quia erat filius pacis Eccleſiæ, vel quia ſanguine abſterſit, *ſi qua irrepſerat*, maculam, conc. quod omnino inculpate ſe geſſerit, neg. R. II. Erat minus probabilis, & tamen certiſſima Cypriano viſa eſt, conc. incerta, ac veriſimilis, neg. In Ep. enim ad Januar. ſcribit, ſe promere ſententiam, *non novam, ſed jampridem ab anteceſſoribus ſtatutam.* Ep. ad Quintum ait, ſe duci *conſenſu, & auctoritate communi;* ergo Cyprianus ex Epiſcoporum conſenſu, ex Agrippini Concilio, ex patrio more, & ratione, quæ ſibi validiſſima videbatur, induerat conſcientiam moraliter certam. Aut forte putavit Cyprianus, hanc controverſiam, non ad dogma ſpectare, ſed ad diſciplinam.

Ad II. neg. conſ. Demonſtrat enim ibi S. P. in illo Catechumeno locum non habere Chriſti ſententiam *Nolite* &c., ſicuti nec locum habet in pueris: & poſt laud. verba ſubdit: *Ubi velit, an nolit ſic non apparet, ut tamen credibilius ſit eum, ſi poſſet, velle ſe potius fuiſſe dicturum ea ſacramenta percipere.* Excuſat autem oppoſitam ſententiam, quia certa videbatur, & Domini præcepto cohærens; ergo ibidem S. P. oppugnat Probabiliſmum, non propugnat. Ad III. neg. conſ. Ibi enim S. P. Pro-

babilifmum refellit dicens: *Solis fcripturarum libris tribui ut nullum eorum auctorem aliquid erraffe* credatur; nefas eft ergo id tribuere opinioni cujufque *junioris* theologi: docet, alios ita legendos, *ut non ideo verum* putandum fit, *quia ipfi fentiunt*, fed quia, aut fcripturis, aut probabili ratione nituntur; non licet ergo, dum animum pulfat adverfa opinio, unius aut alterius theologi auctoritate ei contraire. Docet, nec Hieronymi libros ita legendos, ut Prophetæ, vel Apoftoli; non ergo probandum abfque hæfitatione, quod Caramuel, Diana, Sanchez, aliique fcripfere.

Ob. V. alios PP. 1. Leo M. Ep. ad Ruft. *In his*, ait, *quæ dubia funt, vel obfcura, id noverimus fequendum, quod nec præceptis Evangelicis, nec decretis SS. PP. inveniatur adverfum*; ergo fat eft, fi opinio probabilis fcripturis, ac PP. non adverfetur. 2. S. Th. Quodlib. 8. art. 13. ait, *Si ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, nec peccat*; ergo fi confcientia probabilis fit, non dubia, non peccat: 3. D. Antoninus 1. p. Tit. 3. ait: *Si dubitet leviter quis per modum fcrupuli, agendo contra tale dubium non peccat, dum adhæret opinioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles pro ipfa magis, quam pro oppofita opinione*. Laudatur etiam ejus refponfio, quod liceat fequi quamlibet opinionem, *dummodo fit magni alicujus Doctoris*; ergo &c.

R. I. neg. conf. ex qua fequitur, rectam effe etiam confcientiam dubiam, quod nullus afferit. Jubet ergo S. Leo, ne fequamur opinionem fcripturis, ac PP. oppofitam: fupponit enim nos ex diligenti veritatis inquifitione comperiffe in opinione, quam fequimur, nullum effe peccati periculum, quod in conflictu duarum æque probabilium evenire non poteft. Et Serm. XI. Quadr. monet, ne quis *fecundum carnis oblectamenta dijudicet, fed omnem confuetudinem fuam in divinorum præceptorum lance conftituat, ubi cum alia jubeantur ut fiant, alia interdi-*

terdicantur, ut non fiant, justo se trutinabit examine &c.; ergo &c.

Ad II. neg. conf. De qua vid. Prob. 4. Prop. 3. superioris capitis. R. ad tertium neg. conf. Loquitur enim D. Antoninus de conscientia scrupulosa, quam ex levi motivo ortam monet esse deponendam, non de gravi momento innixa, ac probabili. 2. exigit ibi *S. D. rationes probabiles pro ipsa magis, quam pro opposita*; ergo aperte damnat opinionem æque probabilem, aut minus probabilem stantem pro libertate. 3. quia ibi ad bonam conscientiam requirit, 1. ut habeat notabiles Doctores, 2. ut scripturæ & Ecclesiæ non adversetur, 3. ut ex opinionum contrarietate non inducatur ad dubitandum, 4. ut inquirat ac moveatur ad hoc, quod est licitum. Ex quibus constat, D. Antoninum tutiorem, ac probabiliorem sententiam tueri, ex Contensonio, Charlas &c. Responsum vero, quod negant plures esse Antonini, accipiendum est etiam de conscientia scrupulosa, alias secum pugnaret.

Ob. VI. ex ratione. I. propugnatur absque erroris nota sententia minus probabilis, qualis esset per nos sententia de gratia efficaci a consensu, aut de sufficientia attritionis in Sacr. Pœnitentiæ; ergo &c. R. dist. ant. Propugnantur opiniones, quæ aliis sunt minus probabiles, sed qui eas sequitur putat probabiliores, conc., secus neg. Et retorq. arg. Non enim prudens, ac verax Doctor defendit aut tradit sententiam, nisi videatur sibi certa, aut probabilior, licet oppositum aliis videatur; ergo licet nonnulli sequantur in praxi opinionem minus probabilem, id tamen prudenter non faciunt, nisi ea aut certa, aut probabilior ipsis appareat.

Ob. VIII. Si eligenda sit probabilior opinio, fas erit sequi minus probabilem. Id enim licet omnium ferme theologorum sententia; ergo pars, quæ docet, fas esse sequi minus probabilem, est probabilior.

R. neg. sequelam. Ad prob. neg. ant. Vide prænotata c. 2. Adde 1. contingere aliquando, ut magna

Ecclesiæ pars, etiam in fidei dogmatibus aberret a veritate, quo casu accedendum est saniori parti, inquirenda veritas, vitandum peccati periculum &c. 2. non omnes, qui stare videntur pro opinione prob. revera subscribere Probabilistis, nam vel probabile accipiunt pro eo, quod innititur momentis validioribus, vel de opinionibus stantibus utrimque pro lege, vel exigunt conditiones a D. Antonino enumeratas. 3. Si Casuistæ sola auctoritate nominis sui redderent opinionem magis probabilem, sequeretur, non solum licere sequi minus probabilem, sed etiam quod non liceat sequi probabiliorem, quod est absurdum.

Ob. IX. Qui sequitur opinionem probabilem, prudenter se gerit, sequitur enim opinionem ratione, & auctoritate suffultam; ergo non peccat. 2. gravi momento innititur; ergo &c. 3. etiam in concursu oppositæ sententiæ remanet opinio suis rationibus, & auctoritate munita. 4. neque in eo concursu ulla cognoscitur falsa; ergo &c.

R. neg. ant. Nam qui sequitur probabilem opinionem in concursu probabilioris, non expendit opinionem oppositam, non inquirit veritatem, se se exponit periculo peccandi, nec inferiora superioribus præponit. Ad 2. neg. ant. Non est enim grave momentum, cui aliud ejusdem, aut majoris ponderis opponitur. Ad 3. dist. ant. Remanet in se, aut in mente aliorum, transeat, in mente operantis, qui hinc inde varietate opinionum distrahitur neg. Ad 4. neg. cons. Licet enim in eo concursu neutra cognoscatur aperte falsa, utraque tamen cognoscitur contraria alteri probabiliter veræ, quod sat est, ut nequeat una alteri prudenter præferri.

Ob. X. Sententia Probabilis, *qua talis*, non est ab Ecclesia proscripta, sed traditur a piis & doctis viris; ergo &c. 2. Si illa probabilis appareat; non erit ergo scripturæ, ac PP. opposita; ergo &c. R. ad I. dist. ant. Non est expresse damnata, conc., impli-

implicite, neg. Definitum est enim ab Ecclesia, quod non liceat sequi opinionem tenui probabilitate innixam, ex Prop. I. c. præc., sed talis evadit probabilitas, quando ab æquali, aut majori impugnatur; ergo &c. Quod enim ex falsa directe sequitur, falsa merito reputatur ex regula Cani l. 12. de locis theolog. Silentium itaque Ecclesiæ ad inquisitionem veritatis nos monet, non est tamen regula morum, alias opinio junioris ab Ecclesia non proscripta erit morum regula, quod ab Alexand. VII. prop. 27. damnatum est. Ad 2. dist. ant. Non erit explicite, conc. implicite, neg. Quamvis enim neutra opposita appareat scripturæ, ac PP. una tamen apparet alteri opposita, quæ probabiliter PP. & scripturæ est consentanea.

Ob. XI. Quodlibet dubium per *judicium reflexum* induit moralem certitudinem; neque adest peccandi periculum, nisi forte materialiter, cum ignorantia, sive invincibilis, sive eorum, quæ scire non tenemur, excuset a culpa; ergo &c. R. neg. ant. de qua Vide Not. 5. c. 2.

Ob. XII. ab exemplis: utuntur enim opinione probabili medici, dum desperata valetudine ægro remedium præbent, quod mortem arcessit. Idem in belli discrimine præstant duces, judices, nautæ &c. immo ipsi adversarii, qui ex duobus nummis ejusdem valoris alterutrum pro lubitu impendunt; ergo &c. R. neg. cons. His enim exemplis probabilismus evertitur. Peccat enim medicus ex Vasquesio, nisi probabilius remedium adhibeat. Vid. Prob. 7. Idem de duce, aliisque dicendum est: qui si in aliquo casu minus probabile eligant, id minus prob. erit in se, non in mente operantium, alioquin se se gererent imprudenter. Unde si periculum videant, vitabunt, si malum utrinque, deterius fugient, sin minus, agent quod lubet. Atque ita, si utraque opinio sit legi uniformis, elige quod vis: si vero altera legi adversetur, hanc abjicias. Nota, aliud esse eligere probabilia, & errori obnoxia, aliud id face-

facere ex ſententia probabili, & dubia. Si prudenter eligas, quod male vertat, immunis eris a culpa: ita enim medicus, & belli dux excuſantur: at ſi imprudenter eligas, excuſari non poteris. Ex nummis probatiores eligis, probos petis, in libræ lance ponderas &c. Sic tene ſententias probabiliores, rejice minus probabiles &c.

Ob. XIII. Prudens putatur, qui uni juriſconſulto, medico, magiſtro, parocho, confeſſario ſe ſe committit; ergo qui uni Doctori probabili innititur, prudens erit.

R. neg. ant. Nam in cauſſis magni momenti plures conſulis, nec quieſcis unius ſententiæ, & a contraria provocas ad judicem ſuperiorem. Idem præſtas in gravi morbo; ergo a pari. Laudo, ſi uni probo, doctoque viro te dirigendum committas, dummodo caritate, non cupiditate traharis, habens conſcientiam rectam, & quærens ſagaciter veritatem.

Ob. XIV. Debent Religioſi obedire, ſi eis ſuperior præcipiat, quod ipſis minus probabile apparet, dum non conſtet eſſe peccatum: ergo &c. 2. debent Fideles feſtum colere Conceptionis B. M. V. quæ ex opinione tantum probabili ſine labe concepta eſt; ergo &c. 3. ex oppoſita ſententia ſequitur nos teneri tutiorem ſequi, religionem ingredi &c.; ergo &c. R. neg. conſ. Religioſus enim probus ad præceptum ſuperioris debet præconceptam dubitationem exuere, atque obediens præcepto jam induit opinionem moraliter certam: quod ſi, poſt adhibitas preces, exploratamque conſcientiam adhuc momento valido teneretur, nego poſſe ea repugnante homini parere. Ad 2. neg. conſ. Cum enim R. Pontifex decreverit religioſam ac piam eſſe ſententiam, quod Virgo concepta ſit abſque macula orig., & indixerit ea de re feſtum diem, quidquid ſit de facto, quod nefas eſt in quæſtionem revocare, jam redditur probabilior decreto ipſo ſententia affirmans. Conceptionem B. V. colendam eſſe: ſive privilegium hoc fuerit conſecuta, & æquum ſit

illud

illud celebrare; ſive res ambigua ſit, ac non debeat in dubio ad factum, non ad jus pertinente eo cultu fraudari B. V. *omni laude digniſſima.* Ad 3. neg. ant. Si enim opinio minus tuta ſit probabilior, qui illam ſequitur, prudenter ſe gerit, cum moveatur ratione firmiſſima, neque ſe exponit peccandi periculo, ſed in opinione prob. oppoſitum evenit. Quod ſi quis non alia via a peccandi periculo abeſſe non poſſet, niſi ingrediendo religionem, deberet illam ingredi, ut ſalvus fieret.

CAPUT V.

An in aliis dirigendis ſequi poſſimus opinionem minus probabilem.

LAYMAN, Sanchez, Baunius &c. docuere, poſſe theologum aliis proponere ſententiam, quam ipſe falſam putat; licere laico varios confeſſarios adire donec inveniat benigniores: debere abſolvi pœnitentem ductum opinione probabili, quam confeſſarius improbabilem putat, licet nolit pœnitens ſuam opinionem deponere. Contra quos ſit

Propositio I. Non licet theologo conſilium dare ex ſententia, quam ipſe minus probabilem putat.

Prob. I. Scripturis. Malach. 2. habetur: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini eſt*, ideſt nuncius Dei mandatorum: ſed talis non eſt, ſi nunciat ea, quæ non audit, & contra conſcientiam ſuam ignaros inſtruit; ergo &c. 2. Cor. 1. *Gloria noſtra*, ait Ap., *hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Addit: *In ſimplicitate cordis, & ſinceritate Dei converſati ſumus. Numquid levitate uſus ſum ut ſit apud me eſt, & non*, ſed qui juxta conſcientiam ſuam non inſtruit plebem, levis eſt corde, habens *eſt* in labiis, & *non* in pectore, & vituperat Apoſtolicum miniſterium, qui non probat diſpenſationem doctrinæ teſtimonio conſcientiæ; ergo &c. Et Eph. 4. jubet, ut loquatur *veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo:* ſed

ſed veritatem non loquitur, qui eam celat, & quæ falſa putat, ut blandiatur, callide venditat; ergo &c.

Prob. II. Evangelicis exemplis 1. Si fas eſſet ex aliorum opinione ſententiam dicere, Pilatus, qui Chriſtum non unius accuſatione, ſed omnibus Legis peritis, & univerſo populo clamante; *Reus eſt mortis*, contra conſcientiam damnavit, rectus judex fuiſſet, quod eſt abſurdum: atqui Pilato eſt deterior, qui adverſus conſcientiam ſententiam dicit. 2. Matth. 16. laudatur Petrus, qui non ex hominum opinione, ſed ex Deo revelante Chriſtum confeſſus eſt, non tamen laudantur Diſcipuli, qui ex hominum opinione Chriſtum Eliam, aut Jeremiam eſſe dicebant; ergo, ut laudem promerearis, non hominum opiniones proferas fidei, morumque doctrinam petentibus, ſed dicas, quod interior ac firma conſcientia proponit.

Prob. III. ratione 1. Qui enim conſilium petenti ſententiam, quam alius probat, ſed ipſe falſam putat, proponit, mentitur, loquitur enim quod falſum exiſtimat; occultat etiam ſententiam ſuam, quam veram putat; ergo imitatur Priſcillianiſtas, *qui* ex Aug. l. contra mend. c. 2. *Soli reperiuntur ad occultandum ſuam, quam putant veritatem dogmatizare mendacium.* 2. Debet conſiliarius conſilium dare, quod expediat ei, cui datur conſilium, & proſpicere, ut vitetur, quod ipſe putat corpori aut animæ nociturum: quis enim non horreat medicum remedia præbentem, quæ putat mortem probabiliter allatura? Eo enim caſu conſiliarius *pro Chriſto legatione fungitur.* Atqui theologus, qui adverſus opinionem ſuam alteri conſilium præbet, non proponit illi, quod conſcientia ſua magis expedit, non ſe gerit tamquam Chriſti legatus, nec petentis conſilia rationem habet, dum illud ad opera hortatur, quæ ipſe indigna putat homine Chriſtiano; ergo &c.

Propositio II. Non licet homini ignaro varios

Caſui-

Casuistas adire, ut invento benigniore faciat ejus consilio, quod lubet.

Prob. Nam Ecclesiastici 32. habetur: *Qui quærit legem, replebitur ab ea, & qui insidiose agit, scandalizabitur in ea*: ubi, sicut eruditio promittitur legem a cordatis viris scrutantibus, ut faciant eam, ita deceptio minatur ei, qui *insidiose, aut simulans*, ut Græcus habet, se quærere institutionis disciplinam, quærit quomodo absque conscientiæ stimulo indulgeat cupiditati. Ap. etiam 2. Thess. 2. ait, Deum mittere in operationem erroris, ut credant mendacio, eos, qui *caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fiant*: sed hoc præstant, qui opinionem benigniorem faventem libertati requirunt probabiliore posthabita; ergo &c.

Prob. II. ex August. qui Q. 48. in Num. quærit, cur Balaam ab asina merito correptus sit? R. Balaam prohibitum a Domino, ne pergeret ad Balaac regem Moab, iterum Dominum consuluisse; permittente autem ut iret, *Dominum iterum non consuluit*, unde ejus *maligna cupiditas*, & desiderium munerum apparuit, *quamvis timore Domini premeretur*. Ita nonnulli, si audiant Dominum per ministros suos prohibentem, iterum consilia petunt, si inveniant benigniorem permittentem, illico operantur, digni sane, quos asina corripiat. Irenæus etiam l. 4. adv. Hæres. 44. ait: *A pravis sacerdotibus abstinere oportet, adhærere vero iis, qui apostolicam doctrinam custodiunt, & sermonem sanum præstant.*

Propositio III. Non debet confessarius eos absolvere, qui opinionem probabilem stantem pro libertate nolunt deponere.

Prob. iisdem argumentis prop. I. Si enim nefas est minus probabilem opinionem sequi, aut alteri tradere, multo minus licitum erit in administratione sacramenti, & in exhibendo pusillorum animæ remedio salutis. Confirmatur autem duplici argumento: I. In confessario attendi debet judiciaria potestas, scientia, ac prudentia, qua tamquam medicus

cus animorum saluti prospiciat, atqui non potest judex sententiam ferre juxta opinionem minus probabilem, ex prop. ab Innoc. XI. damnata; medicus est homicida, si remedium præbeat, quod probabilius censet nociturum; requiritur etiam in confessario scientia, qua saltem discernat *lepram a lepra*, peccatum a peccato, ut in confesso est apud omnes; ergo confessarius, qui absolvit reum nolentem deponere opinionem suam, non recte exercet munus suum; ergo &c.

II. In pœnitente attendi debet humilitas, & bona voluntas, per quas sistere se debet ad sacerdotis tribunal tamquam infirmus, atqui reo non convenit proferre judicium, neque infirmo præscribere medicamentum, *alias judex cogitur sequi judicium rei, non reus judicium sacerdotis, quod est absurdum*, ait Fagnanus in cap. *Innitaris* de Const. n. 304. ergo &c.

Dices: deneganda non est absolutio pœnitenti sufficienter disposito; ergo &c. R. neg. cons. Constat enim ex dictis, in eo pœnitente hanc dispositionem non haberi. Si enim pœnitens novit opinionem suam esse minus probabilem, aut cum alia æque probabili pugnare, & tamen vult eam pertinaciter tenere, nec vult vitare pericula, neque in dubiis partem eligere tutiorem. Si autem humillime proferat rationem conscientiæ suæ, si hanc sacerdos percipiat esse probabiliorem, absolutionem impendat. Vide auctorem.

CAPUT VI.

De nimio quorundam rigore.

NOT. I. Qui nullam inculpabilem ignorantiam juris naturalis admittunt, consequenter docent, nullam opinionem vel probabilissimam a culpa excusare. Ita censent Jo. Sinnichius, Vendrochius, Vanroy, Elbecque, Gennettus &c. qui ad prop. ab Alex. VIII. damnatam: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*, R. jure proscriptam,

ptam, quia univerſalis eſt, cum aliunde conſcientia probabilis aliquando excuſet a culpa in iis, quæ ſpectant, vel ad factum, vel ad jus poſitivum.

Not. II. ſententiam noſtram erui ex c. 5. & 6. diſſ. 2. ubi oſtendimus, non poſſe invincibiliter ignorari legem naturæ, quoad prima principia & præcepta, quæ inde evidenter inferuntur; poſſe tamen, quoad ea, quæ remote inferuntur. Ignorantiam *juris poſitivi*, & *facti* excuſare a peccato, nemo inficiatur. Hinc ſequitur, opinionem vere probabilem, & quæ appareat gravi fundamento innixa, licet in ſe falſa ſit, conſtituere conſcientiam rectam, dummodo non verſetur circa principia, & notiora præcepta juris naturæ, dummodo non pugnet cum opinione, aut æque probabili, aut probabiliori, nec operantem exponat peccandi periculo, ſed conſcientiam generet moraliter certam. Sit itaque

Propositio. Licet ſequi ſententiam probabilem, quæ poſt diligentem inquiſitionem appareat oppoſita ſententia probabilior, quod in præceptis per ſe notis nequit occurrere.

Prob. I. ſcripturis. Deut. 7. legitur: *Si ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter lepram, & lepram, venies ad ſacerdotes &c.* Sed niſi liceret ſequi ſententiam probabilem, quæ poſt diligentem veritatis inquiſitionem appareat oppoſita ſententia probabilior, fruſtra ſacerdotes conſulerentur, ac perperam colerentur ſtudia ſacra ad eas controverſias dirimendas, in quibus aut non omnes conveniunt, aut non adſunt metaphyſicæ demonſtrationes; ergo &c.

Prob. II. ex Eccleſiaſtica hiſtoria, ex PP. & RR. Pontificum definitionibus: conſtat enim plures pietate, doctrina, ac dignitate ſummos viros propugnaſſe opinionem, non ſolum non probabiliſſimam, ſed aut falſam, aut ſaltem ab aliis reprobatam, & tamen inculpate ſe geſſiſſe, quia ipſis poſt exactam inquiſitionem probabilior videbatur. Ut enim ſi-

leam de Cypriano, de quo ſupra, quis damnet Theodoretum; Acacium, Proclum, Hieronymum, quod ſcripſerint, poſſe bigamum in ſacrum miniſtrum aſſumi, exponentes locum Ap. 1. Tim. 3. de bigamia *ſimultanea*, qualis olim viguit in Abraham, Jacob &c. Nullus item de gravi peccato eos arguit, qui ordinationes ab hæreticis, aut ſimoniacis factas iterarunt, aut extremam unctionem iterari non poſſe docuere. Nazianzenus item, Baſilius, aliique tertias nuptias inculpate damnarunt. Adulterio ſolvi vinculum matrimonii, & poſſe innocentem virum aliam ducere nonnullis perſuaſum fuit: diſpenſarunt etiam in matrimonio rato, & non conſummato abſque errore Paulus IV. & Adrianus VI. & a voto ſolemni caſtitatis Alexand. III. Pius V. & Greg. XIII. Plures theologi docent, in ſacramento Pœnitentiæ ſufficere attritionem abſque ulla caritate, & poſſe occidi injuſtum vitæ aggreſſorem, quæ duo noſtrates fere omnes oppugnant, atqui hos non reprehendimus, quia ſecuti ſunt opinionem ſibi probabiliſſimam, eamque poſt accuratam ponderationem, in qua, ſi quidam illorum decepti ſunt, id non malitiæ, aut negligentiæ tribuendum, ſed humanæ infirmitati: ergo &c.

Prob. III. ex D. Thom. qui 1. 2. q. 100. art. 10. docet, in lege naturæ plura eſſe, quæ nonniſi a ſapientibus ſubtiliori conſideratione judicantur eſſe obſervanda: & Quodlib. 8. a. 18. ait, haberi plures præbendas ſine peccato ab eo, qui diligenter inquirit, *nec invenit quod ſit illicitum.* Et eodem Quodlib. art. 15. ait: *Error conſcientiæ quandoque habet vim excuſandi, quando procedit ex ignorantia ejus, quod quis ſcire non poteſt, vel non tenetur, & in tali caſu, quamvis factum de ſe ſit mortale, peccaret venialiter, ſicut ſi quis intenderet accedere ad uxorem ſuam delectationis cauſſa, ſi alia ei ſupponeretur, peccaret venialiter; cum vero error procedit ex ignorantia ejus, quod quis ſcire tenetur & poteſt, ut ſi crederet fornicationem ſimplicem eſſe peccatum veniale,*

non

non tamen peccaret venialiter, ſed mortaliter; ergo &c. D. Thomæ conſentit S. Antoninus part. 1. tit. 3. cap. 10. ubi docet, in actibus humanis ſufficere certitudinem moralem, nec opus eſſe, ut *hæc certitudo ſemper ſcrupulos omnes abjiciat, ſed ſatis eſſe, ſi eos contemnat, & ſuperet:* unde de hac D. Antonini doctrina pronunciavit merito cl. l' Herminier: *Nihil ad rem noſtram illuſtrius afferri poteſt.*

Prob. IV. ratione. Nam opinio probabilis eſt, quæ probatur omnibus, aut pluribus, aut ſapientioribus, iiſque, vel omnibus, aut pluribus, vel maxime notis; quæ eruitur aut ex ſcripturis, aut ex PP. aut ex ratione, quæque inhæret veritatis amatori, & ad eam aſſequendam conſilia, preces, ſtudiumque adhibenti: ſed qui hac præcautione ſequitur opinionem probabilem, prudenter ſe gerit, vitat peccandi periculum, & conſcientiam habet moraliter certam; ergo &c. II. Cum nemo in hac vita de ſua juſtitia certus ſit, nemo poterit ad Sacramenta accedere, quæ ſancte tractanda ſunt, atqui poteſt quiſque & debet ad Sacramenta accedere, dummodo partes ſuas accurate expleat, induatque bonam conſcientiam, licet adſit leve aliquod contrariæ ſuſpicionis motivum; ergo ſola certitudo moralis immunem reddit a culpa. III. Niſi probabilior ſententia eligi poſſit, damnandi erunt, qui conſilia Evangelica non amplectuntur, quia tutius eſt eadem amplecti, cum tamen ea nullum obſtringant: ergo &c.

Ob. I. Etiam de iis, qui probabiliorem opinionem admittunt, verificari poteſt illud Matth. 15. *Si cæcus cæco ducatum præſtet* &c. ergo &c. II. S. P. A. de Util. cred. ait: *Opinari numquam ſine vitio eſt.* III. D. Th. Quodlib. 8. ait: *Quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc, quod ſit ſecundum conſcientiam.* Et Quodlib. 3. *Nullus excuſatur, ſi ſequatur ſententiam alicujus magiſtri.* IV. Ex communi proloquio: *Peccat, qui ſe exponit peccandi periculo.* V. Ex probabiliori ſen-

 tentia

tentia fieri poteſt, ut eligatur falſa: tunc ergo peccatum erit, quia fiet, quod veritati, aut legi repugnat. VI. In ea præelectione remanet formido aliqua; ergo non tenet viam æquiorem, qui ſequitur opinionem etiam probabiliſſimam.

R. Ad I. neg. ant. Chriſtus enim loquitur de Phariſæis imponentibus onera gravia, & importabilia, quod rigoriſtis magis aptatur, qui ob levem cauſſam gravis culpæ inducunt ſuſpicionem. Nos vero Caſuiſtas ſequimur, non cæcos, ſed ſi nobis aut ex Dei verbo, aut ex PP. aut ex ratione veritatis lumen oſtendant. Si quis autem abſque malitia cæcus horum cuidam ſe ducendum committat, quem recta conſcientia ducem optimum credit, licet cadat in foveàm, non collidetur. Hoc tantum iis accidit, qui dilexerunt magis tenebras, quam lucem.

Ad II. diſt. ant. Opinari, *ſi per ſe ipſum conſideretur*, prout naſcitur ab ignorantia, quæ eſt animæ vulnus, *numquam eſt ſine vitio*, conc. ſi ſpectetur in eo, qui curat ignorantiam pellere petendo Spiritus S. lumen, & ſapientum conſilia, neg. Sic enim nil habet turpitudinis, quia caret *animi male affecti temeritate.*

Ad III. Recte ait S. Th. malum eſſe, quod ſit contra legem, licet non fiat contra conſcientiam, ſi hanc non excuſet ignorantia eorum, quæ quis ſcire poteſt & debet, ut ait Quodlibet 8. 15. ubi exemplum affert fornicationis, quam peccatum eſſe nemo poteſt invincibiliter ignorare, aut ſi quis non adhibeat diligentiam, aut poſt adhibitam inveniat probabile motivum, quod ſit illicitum: ut ait ib. a. 13. ergo ſi conſcientia laboret ignorantia invincibili, per D. Th. quiſque a peccato excuſatur. In Quodlib. 3. a. 10. loquitur de opinione *erronea alicujus magiſtri*, & profert exemplum Arii, Neſtorii, aliorumque hæreticorum: quod ait S. Th. *ſemper peccare*, ut notat Vendrochius, non obſtat, vere enim ſemper peccare dicitur, qui legem tranſgreditur, niſi adſit error excuſans, aut culpabilis negli-

gentia

gentia. Alioquin peccatum esset infidelitas invincibilis, peccasset Jacob accedens ad Liam &c. atqui Jacobum non peccasse theologi communiter docent; ergo enunciatio illa: *Quod agitur contra legem, semper peccatum est*, habet suas exceptiones. Ad IV. neg ant. Non enim se se exponit peccandi periculo, qui laborans ignorantia inculpabili, ac diligenter veritatem inquirens, offendit legem inscius, & simplex. Ad V. Nego contemnendam non esse minimam suspicionem, cum solida momenta nos permovent. Nego tandem haberi conscientiam dubiam, cum animus non hæret suspensus, sed uni caute, prudenterque assentitur, cum id naturæ conscientiæ dubiæ opponatur.

LIBER XXII.

De humanis officiis in specie, ac primo de Religione.

CUM de officiis in genere in superiori libro satis fuerit disputatum, de religione specialis habenda est disceptatio; & quæ vera est, quæ idem falsa & nefaria sedulo investigandum. Agemus ergo I. De profanarum quarundam religionum vanitate. II. De Christianæ religionis veritate, ac sanctitate.

DISSERTATIO I.

De profanarum religionum vanitate.

Profanas religiones, tres præsertim hoc loco recensemus. I. est inanis Idolorum cultus. II. est Mahumetis insania. III. Novatorum deliramenta.

CAPUT I.

De Idolorum cultu.

Græci, & Romani 12. *Consentes* Deos, qui etiam Penates, & Urbani dicti sunt, coluere, sex

masculos, totidem fœminas; quorum nomina his Ennii versiculis continentur, *Juno*, *Vesta*, *Minerva*, *Ceres*, *Diana*, *Venus*, *Mars*, *Mercurius*, *Jovi'*, *Neptunus*, *Vulcanus*, *Apollo*. Præter eos octo etiam Selectos Deos coluere *Janum* nempe, *Saturnum*, *Genium*, *Liberum*, *Orcum*, *vel Plutonem*, *Solem*, *Lunam*, *Tellurem*, de quibus singillatim pauca dicenda sunt, sit ergo &c.

Propositio I. Summæ dementiæ est inter Divos censere masculos Deos *Consentes*.

Prob. I. de Jove. Is enim alius est Argivus, idest Apis, qui Niobem sororem compressit, alius Phrygius, idest Tantalus, qui Ganimedem rapuit, alius Cretensis, nempe Asterius, qui Europæ vim intulit, atqui Apis vixit circa an. M. 2148. secundus circa an. 2680. postremus circa an. M. 2820. nequeunt ergo hæc omnia convenire Jovi, quem Romani a loco templi Capitolinum, Tarpejum, Olympium dixere. Absurdum est enim 1. tribuere uni viro facinora a pluribus diversis temporibus patrata, 2. appellare *Opitulum*, *Tonantem* &c. raptorem virginum, & puerorum constupratorem, 3. Satorem hominum facere, quem constat longe post mundi exordia progenitum.

Prob. II. De Neptuno. Siquidem Neptuni nomine significarunt veteres aquam maris, aut a *nubendo*, quod aqua terram nubat, & cooperiat, vel a *nando*, ut Tullio placet, vel a νυπτω *lavo*, ut censet Vossius; eumque filium Rheæ fuisse tradit Diodorus, qui omnium primus maris negotia tractavit. Alii in Neptuno agnoscunt Japhetum Noe filium, cui Mediterranei insulæ atque Europa contigisse fertur, adeoque ob mare transmittendum nauticam instituere ei opus fuit; fictitia est ergo Neptuni divinitas, 1. quia Neptunus nil aliud est, quam mortuum elementum, 2. quia ejus gesta ex historia Japhet desumpta sunt, 3. ob insanam ejus libidinem, de qua v. Clem. Alex. T. 3. Bibl. PP. p. 8.

Prob. III. De Vulcano. Is enim ignis fuit, Mulciber etiam a ferro mulcendo dictus. E cælo dejectum ob deformitatem poetæ commenti sunt, atque ejus arte Venerem, & Martem in adulterio deprehensos. Vid. Aug. l. 4. de C. D. c. 10. & Naz. Or. 1. contra Jul. Nos in Vulcano Tubalcain agnoscimus, is enim, quod de Vulcano scribit Diodorus l. 5. fuit ferri malleator, & æris; ergo non Deus.

Prob. IV. De Marte. Mars enim, & Movors sunt belli nomina; unde & Quirinus ab hasta, truculentus, atrox, sanguineus, Mars vulgo dicitur. Ejus cum Venere adulterium narrat Statius, aliique: eumque a Diomede hasta percussum Homerus ait l. 5. Iliadum. A Plauto etiam luporum ductor, ob belli feritatem dictus est. Nos in eo Nimbrodum, sive Belum agnoscimus, de quo Gen. 10. 8. Hoc etiam nomine potentissimi bellatores sunt appellati; Mars ergo non est proprie Deus.

Prob. V. De Mercurio: quem alii a *mercium cura*, alii a *medium currendo* dictum putant, ita ut nihil aliud sit, quam eloquium, aut sermo, unde S. P. l. 7. de C. D. 14. fictitium numen esse demonstrat. Veteres Mercurium furibus præficiunt: Et plures fabulosos Mercurios Tullius enumerat. Cytharæ inventor est Jubal, de quo Gen. 4. fictitia est ergo Mercurii divinitas.

Prob. VI. de Apolline. Hunc enim solem esse eruditi omnes fatentur, ita dictus ab ἀπολλῶ *terrena foveo, ac dissolvo.* Non secus ac Δῆλος, Φοῖβος, λύκιος a perspicuitate, splendore ac luce. Apollinis stupra narrat Clemens Alex. turpe pueri desiderium Firmicus, servilem conditionem S. P. A. iram Homerus, libidinem Eusebius. Aut ergo Apollo sol est, aut homo obscœnus, improbus, iracundus, abjectus, & impotens; sex ergo masculi *Consentes* fictitia numina sunt.

Propositio II. Abſurdum eſt inter *Conſentes* Deos fœminas recenſere.

Prob. I. De Junone. Nam, præterquam quod inter numina ſexuum varietas admitti nequit, ex qua nova quotidie Deorum turba conſurgeret, ut animadvertit Lactantius, Juno nil aliud eſt, quam aer, & Jovis conjux, quia æther, & aer conjuncti ſunt, ut cenſet Tullius, Macrobius, Servius, & Aug. l. 4. de C. D. c. 10. Congruit Græcum nomen ἥρα ab ἀὴρ *aer*, & latinum *Lucina* a *luce*. Junoni inceſtum exprobrant Firmicus, & Tertullianus, illius indignationem deſcribit Virgilius Æn. 1. de ejus aſylo meminit S. P. l. 1. de C. D. c. 4. ubi probat, Diis invitis everſas urbes, ereptoſque Penates. Ejus invidiam, qua jurgiis Venerem proſecuta eſt, narrat Virgilius l. 10. ergo Juno fabuloſum eſt numen.

Prob. II. De Minerva. Hæc enim nil aliud eſt, quam ſapientia. ſic dicta a memoria. Unde e Jovis capite dicitur progenita, & ob velocitatem, & perennitatem Παλλὰς, & Ἀθηναίη. Putatur artium inventrix, nam ſapientia eſt operum effectrix. Cenſet Tertullianus, Minervæ numen confictum eſſe ex ignorantia eorum, quæ de ſapientia Dei, & Verbi generatione ex Dei mente chriſtiana docet Theologia. Forte Minerva, quæ nendi texendique artem invenit, fuit Noema, de qua Gen. 4. Quidquid ſit Minerva, aut æther, aut ſapientia, aut ſoror Tubalcain, immerito inter numina recenſetur.

Prob. III. De Venere. Hoc enim nomine vim gignendi intelligimus plantis, atque animantibus inditam. Sumitur etiam pro voluptuoſa libidine; ejuſque ſimulacra formata primum ad ſimilitudinem Cratinæ meretricis, quam deperibat Praxiteles. Narrat Homerus, eam a Minerva deriſam, ſauciatam a Diomede, & ad Martis genua provolutam.

Venus

Venus Cypria fuit ſcortum regis Cinyræ ex Voſſio l. 1. Orig. idol. 17. Venus ergo eſt fictitia divinitas.

Prob. IV. De Veſta. Hanc enim terram putat Ovidius 6. Faſt. ſic dicta, quia ſua *vi ſtat*: probabilius eſt eſſe ignem, ab hebr. אש *es* & תי ti, unde græcum ἑςία. Virgo dicitur ex Ovid. ib. *quod ſemina nulla remittat.* Nec perpetuus dici debet, qui prima die martii accenſus ex Macrobio, negligentia Veſtalium extinctus eſt ex Varrone. Perpetuam ignis cuſtodiam, & Veſtæ cultum ex Lev. 5. dæmon intruſit; ſi ergo Veſta ignis eſt, tot erunt numina Veſtæ, quot lychni.

Prob. V. De Cerere. Hæc enim ex Apulejo eſt *omnium terra creatrix*, unde dicitur ob naturam ſegetum flava, munifica, rubicunda. Redimitur corona ſpicarum, eique porca mactatur ſegetem avide paſcens: fingitur gravidata a Jove: terra enim fœcundatur calore ſolis, eadem eſt ergo Ceres, & Proſerpina, quam ruſticus dives Pluto a divitiis appellatus rapuit. Hujus mater cum villico Triptolemo venit ad urbem Atticam, ubi docuit agrorum culturam. Hæc Claudianus: unde origo fabularum Cereris, & Triptolemi; immerito ergo Ceres diis accenſetur.

Prob. VI. De Diana: cujus nomen eſt a Jana adjecta litera *d* ex Macrobio. Jana vero eſt a Jano, ſive Apolline, & Sole. Hinc Diana ſoror Apollinis, ejuſque nomen translatum ad Lunam, unde in antiquis numiſmatibus inſcribitur: *Diana lucifera*, & facem præfert. Dicitur etiam Hecates triceps, ob triplicem lunæ formam, plenam, mediam, & falcatam. Habetur virgo ob Lunæ candorem, & tamen in antiquis Nummis dicitur *Diana polymamma.* Dicitur etiam ſilvarum dea & caſſium retiumque inventrix, ex quibus ejus divinitas rejicitur.

Propositio III. Fictitia eſt Selectorum Deorum hiſtoria.

Prob. I. de Jano. Is enim ex gentilium consensu est mundus. Et ideo bifrontem finxere, quasi una facie ortum spectet, altera occasum, sive ob 4. mundi plagas quadrifrontem. Quidam dixere Janum esse cælum ab *eundo*, alii solem *Vertumnum* dictum, quia per cæli girum vertitur: unde ejus simulacra digitos habent 365, quot sunt anni dies: ac primus mensis ab ipso Januarius dictus est. Quidam in Jano Japhet agnoscunt filium Noe, alii ipsum Noe, alii Javan Japeti filium; ergo &c.

Prob. II. De Saturno. Is enim omnium consensu est tempus, unde & χρόνος dicitur, quod annis saturetur, & Deus falcifer, quia omnia metit: dicitur etiam Cæli filius, adeoque nec Deus, quia Deus cælum condidit, neque Deorum pater, siquidem ipse a Cælo genitus est. Saturnum vetustiorem quidam Adamum a latendo putarunt, quia post peccatum sese abscondit, sed melius refertur Saturnus ad aliquem ex Noha posteritate, a quo Italia Saturnia dicta est; Saturnus ergo Deus non est.

Prob. III. De Geniis. Hos enim ethnici quasi Deos singulis datos putant, dum gignuntur: & Servius duos cuique, dum nascitur, destinari ait, bonum, & malum. Quod ex iis, quæ de angelis traduntur, forte derivatum est, ut diximus l. 10. Cum autem gentes putaverint, Lucinam præesse gignendis, sequitur, genios, si darentur, esse Junonis servulos, proindeque nec Deos.

Prob. IV. De Libero. Hoc enim nomine vinum significatur apud Virg. Ad evertendam hujus falsi numinis divinitatem plura refert S. P. l. 7. de C. D. c. 21. de turpidine sacrorum, quæ in Liberi Patris honorem celebrantur, quæ Clemens Alex., & Arnobius describunt; ergo &c.

Prob. V. De Plutone. Hunc enim alii orcum dixere, quasi mortuorum receptorem, Summanum quoque, quasi summum Manium, nec non Acherontem,

fontem, & Cocytum. Cenſet Voſſius, Plutonem eſſe Chamum Noe filium in partem occidentalem profectum, ideoque Deum inferorum appellatum. Erit ergo alius a Plutone, de quo ſupra in Cerere, ſed uterque ſceleſtus, proindeque nec Deus.

Prob. VI. De Sole, Luna, & terra. Ad Solem enim refert Macrobius omnes deos. Perſæ ſolem Mithram dixere a rege hujus nominis, qui regnaſſe dicitur Heliopoli. Lunam vero a lucendo dici ait Tullius. Græcis Σελήνη dicitur a σέλας, quod eſt *lumen*. Terra demum eſt magna illa deorum mater, de qua S. P. l. 7. de C. D. c. 23. Rhea, Ops, Cybele, ſoror Veſtæ, filia Cæli, Saturni conjux. Agit S. P. ibid. c. 26. de turpitudine ſacrorum Matris magnæ, de quibus ait S. P. *Defecit interpretatio, erubuit ratio, conticuit oratio*; perperam ergo inter numina adſcribunt ethnici Selectos Deos.

PROPOSIIO IV. A religione etiam vera aberrarunt aliæ gentes, in veteri Teſtamento commemoratæ.

Prob. I. De Phœniciis, & Chananæis. Hi enim coluere Deum Baal, qui idem eſt ac Belus Babyloniorum rex, olim conſecratus in ſolem. Bel autem idem eſt ac Deus, unde Beelphegor, Beelzebub &c. Idolo Baal additur Aſtaroth, quam Lunam, aut Venerem, aut Junonem fuiſſe conjiciunt eruditi. Hanc Sidonii coluere ſub bovino capite expreſſo Lunæ ſymbolo. Hæc eſt Regina cæli, de qua Jerem. 44. Scribit Grotius idem eſſe Baal, ac Deum Maozim, & Baal-ſemen, quem Philo ait, eſſe Jovem Olympium, & Phœnicibus Saturnum.

Prob. II. De Madianitis. Hi enim coluere Beelphegor, quem Iſidorus l. 8. Orig. ait, eſſe ſimulacrum ignominiæ, & litatum illi maxime a fœminis ſcribit Hieron. erit ergo idem ac Deus hortorum.

Prob. III. De Ammonitis. Hi enim adorarunt idolum Moloch, quem eruditi probant ipſum eſſe

Satur-

Saturnum, cui etiam pueris & puellis litatum esse scribunt Lactantius, Tertull., & Aug. Nec dictis repugnant, qui opinantur, Moloch esse nomen stellæ, quam Ammonitæ tamquam regem colebant. Nam in stellis veteres reges suos coluere, ut dictum est supra.

Prob. IV. de Chaldæis. Hi enim ignem, & in igne lucem, & solem coluere. Hinc *Ur* Chaldæorum urbs, & a שמש *scemesc* sole, Josue 19. dicitur *Bethsames*, quasi *domus solis*.

Prob. V. De Accaronitis. His enim percelebris fuit cultus Beelzebub, de quo l. 10. dictum est, quod nomen ignominiæ caussa Jovi, ac Deo cæli, sive Soli tribuitur, & Luc. 11. principi dæmoniorum.

Prob. VI. De Philistæis. Hi enim Dagon coluere, qui ab umbilico & infra piscem, superne hominem referebat, quales Græci fingunt Tritones, & Nereides, est enim דג *Dagh piscis*. Ex quibus constat, Dagon esse Tritonem, quem Poetæ fingunt Neptuni, & Salaciæ filium, ideſt aut marinum piscem, aut unum ex filiis Noe cultum Tritonis symbolo. Memorat etiam scriptura idola Michæ & Labani, dicta ab Hebræis *Teraphim*, quæ erant laminæ quædam aureæ, quibus ad auguria captanda nomen immundi spiritus inscribebatur; vitulus aureus, in quo erat expressus Apis Ægyptiorum, aut Joseph ab iis tauro comparatus tamquam frumenti provisor. *Adromelech*, & *Melchon*, non aliud sunt, quam Moloch, & Saturnus, de quo supra; Phœnices ergo, Chananæi, Madianitæ, Philistiim &c. non secus ac Græci, & Romani ante Christi adventum falsæ religioni fuerunt addicti.

CAPUT

CAPUT II.

Vera Religio non viget apud Turcas & Mahumetanos.

MAHUMEDIS insania tum in se, tum ex sola ejusdem comparatione cum christiana religione innotescit: sit itaque

Propositio Mahumetana religio est execrabilis.

Prob. I. Scriptum est enim in Alcorano Azoara 5. & 10. Christum esse Messiam Dei benedictum, Dei Verbum, mentem, ac sapientiam. Mahumetem vero fuisse prædonem narrat Chronica Mahumetis a Grotio citata l. 6. n. 4. eumque adeo impudicum fuisse, ut jactaret habere se solum vim generativam hominum 40. ut habet Azoar. 42. & 43. Deinde plura Jesum patrasse miracula, cæcos, claudosque sanasse, de Spiritu S. conceptum, & in cælum evectum habet ibid. Azo. 11. & 13. Mahumetem vero consueto naturæ ordine genitum credunt Saraceni. Signa vero Mahumetis sunt, columbam ad grana in aure ejus inclusa advolasse, apparuisse ei, nullo teste, Gabrielem Archangelum, e puteo, quem statim saxis implevit, vocem erupisse. Christum denique esse prophetam testatur Alcoranus: Mahumetem vero esse prophetam in Evangelio promissum, ut Turcæ putant, mendacium est, cum Christus potius pseudoprophetas venturos prædixerit. Cum ergo constet ex Alcorano, Christum esse verum Messiam, prophetam, & mirabilium auctorem, Mahumetem e contra prædonem, impudicum &c., Christi religio Mahumetanæ est præferenda.

Prob. II. Ex collatione Alcorani cum Evangelio. Hoc enim e cælo elapsum ait Mahumetes, atque in historia vera narrare non negat. Alcoranus e contra totus mendaciis scatet: narrat enim, Solem quiescere in fonte ad quem pervenit M. Alexander Az. 18. Templum Mechæ ædificatum ab

Abra-

Abrahamo Az. 2. Simulacrum pro Jesu Cruci suffixum Az. 11. Plura etiam in Alcorano, nusquam in Evangelio Deo indigna referuntur, e. g., manum habere frigidam, & sella gestari. Plura etiam insulsa, e. g., quod stella Veneris fuit pulcherrima mulier, quod mures in Arca Noe nati sunt ex stercore Elephantis, & feles ex halitu Leonis, quod mors est aries stabulans inter cælum & inferos, & Luna in manicas Mahumetis delapsa est, sed his fidem præbere summæ dementiæ est; ergo &c.

Prob. III. Comparatione Dogmatum Alcorani, & Christianorum. Illius enim præcipua dogmata impugnant Trinitatis mysterium, Incarnationem, & cultum SS., atqui ea dogmata vera habebantur a Saracenis ante promulgationem legis Mahumetanæ, nempe ante an. 622, quo incipit Æra Mahumetis; ergo etiamnum vera sunt: fieri enim non potest, ut falsum dogma sit, quod transactis sæculis verum fuit.

Prob. IV. Ex utriusque moralibus præceptis. Præscribit enim Evangelium perpetuam conjugum fidem, Alcoranus repudium permittit. Illud unicam uni viro uxorem, ut mutuus amor servetur, proponit; iste plures permittit ad fovenda dissidia. Illud vetat carnis illecebras, hic concedit; ergo &c.

Prob. V. Ex Alcorani, & Evangelii propagatione. Christus enim missionem suam divinis humanisque testimoniis comprobavit, appellatque Judæos ad scrutationem scripturarum. At Mahumetes in abscondito cum Sergio Apostata condito Alcorano præcipit Az 13. ne quis in novam religionem inquirat, interdicto gregalibus suis humanarum ac divinarum scientiarum studio. Elegit Christus ad propagandum Evangelium exiguum numerum pauperum, Mahumetes turbam prædonum vim armis inferentium. Annuntiatum est Evangelium in synagogis, in Areopago, urbibusque cultissimis; Alcoranus inter Arabes, & Saracenos rudes,

des, ferosque. Christus denique legem statuit carni repugnantem: Mahumetes sensibus & illecebris indulgentem; ergo &c.

Prob. VI. Posse hominem salvari in religione Christiana docet etiam Mahumetes in Alcorano Az. 1. & 12, nec non in Testamento: posse autem in Mahumetica soli docent Saraceni, & jure negant Christiani, sed una est fides, & via salutis; ergo &c.

Ob. I. Percipi nequit, quomodo Deo filius sit, cum non habeat uxorem; ergo &c.

R. neg. ant. Non enim Deus corporeus est, nec gignit corporali complexu, sed ejus genesim aliquam hábere cum productione verbi mentis nostræ analogiam credibilius est, quam Angelos spiritales genitos e flamma ignis, aut a Dei anima Adæ animam esse decisam. Scriptum est etiam in Alcorano, Christum ex Virgine natum; sicut ergo hic sine Patre, ita illic sine matre & uxore habita est generatio utrobique mirabilis, & divina.

Ob. II. Suspicari possumus, Trinitatis, & Incarnationis dogmata fuisse in Evangeliorum libris intrusa; ergo &c. R. Neg. ant. Nam pluribus momentis id fieri non potuisse demonstratur. I. enim Apostoli, quos Mahumetes ipse ait viros fuisse sanctissimos, Evangelium non depravarunt. Subinde vero per universum orbem omnium lingua sparsi sunt codices Evangelici. Si enim Alcoranum solum Arabice scriptum, nec ubique diffusum integrum putant Mahumetani, a fortiori debent integrum putare Evangelium. Deinde, si in Christi honorem Christiani Evangelia depravassent, mortem ejus turpissimam expunxissent. Tandem ea dogmata nec post Mahumetem intrusa sunt, cum antea etiam laudaverint Ecclesiæ Patres, nec ante, cum ex Evangelicis libris in sua commentaria derivarint Patres innumeri; ergo &c.

Ob. III. in Evangelio Jo. c. 14. ubi promittitur adventus Paracliti, quædam ad Mahumetem spectan-

tia dolo Christianorum videntur abrasa; ergo &c. R. neg. ant. Neque enim id factum est, antequam Mahumetes appareret, tunc enim ejus persona ignorabatur, nec post, ipse enim hoc testimonium missionis suæ produxisset, & in aliquo codice extaret; ergo &c.

Ob. IV. Creditur post Moysem venisse Christum Judaicam Ecclesiam instauraturum; ergo credendum est venisse Mahumetem legem Christianorum reformaturum. R. neg. cons. Nam Mahumetis doctrina perfectionem non præmovet, sed corruptelam: deinde cum Deus mentiri nequeat, credimus Christum venisse post Mosem, quia in lege Mosis testimonium habet, non credimus a Deo venisse Mahumetem, quia in lege Christi non prædicantur nisi pseudo-prophetæ. III. Si Mahumetes salubriora dedit præcepta, promulgato Alcorano abrogata erit lex Christi, sicut promulgato Evangelio cessavit lex Moysis, sed Mahumetani censent Christi legem esse adhuc validam, & salutiferam; ergo &c. IV. In Evangelio, quod Mahumetani credunt e cælo delapsum, habetur regnum Christi æternum fore; frustra ergo creditur alius legislator.

CAPUT III.

Vera religio non viget apud Hæreticos, qui præcipua fidei Mysteria rejiciunt.

A VERA religione aberrarunt etiam Socini gregales, qui Trinitatis, & Incarnationis oppugnant mysteria; fallitur ergo Hugo Grotius scribens, hæc non computari inter dogmata, sine quibus in veteri Ecclesia nemo Christianus æstimabatur. Errat quoque Episcopius, qui putat, homimines singulos, dummodo pagani non sint, & Deum colant, & servent legis præcepta, debere frui omnium Ecclesiarum commercio, & colere fraternitatem. Contra quos sit

PROPOSITIO. Non sunt habendi veri fideles, qui

qui præcipuá Trinitatis & Incarnationis oppugnant myſteria.

Prob. I. ſcripturis. Marc. ult. ait Chriſtus: *Prædicate Evangelium, qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur.* In ea doctrina, & baptiſmo habetur invocatio Trinitatis, ex 28. Matth. ergo qui Trinitatis, & Incarn. myſteria non profitetur, non credit, nec ſalvus erit. II. Jo. 1. habetur, *filios Dei fieri qui credunt in nomine* Chriſti, *qui autem non credit*, ait c. 3. *jam judicatus eſt;* qui ergo non credit, neque filius Dei, nec hæres, ſed inimicus & rebellis. III. Act. 4. habetur: *Nec aliud nomen eſt ſub cælo, in quo oporteat nos ſalvos fieri*, in quo ergo nomine ſalutem conſequentur qui veram Chriſti fidem abjiciunt? Nec dicant Sociniani: ſat eſſe credere Jeſum eſſe Meſſiam de Spiritu S. conceptum, ac novi fœderis auctorem, nam non hæc tantum dogmata, ſed etiam Chriſti divinitatem, & ejus cum patre conſubſtantialitatem nobis Evangelia proponunt; ergo &c.

Prob. II. ex PP. traditione. Ignatius Mar. ep. ad Epheſ. eos, qui Chriſti negant divinitatem: *Domus corruptores* appellat. Irenæus l. 3. 21. eos vocat: *Perſeverantes in ſervitute priſtinæ inobedientiæ, eoſque vita æterna privari.* Tertull. de Præſcr. ait, fidem qua credimus Chriſtum Deum neceſſariam eſſe. Idem docent Hieronymus, & Auguſtinus; ergo &c.

Prob. III. ex Eccleſiaſtica hiſtoria. Nam Jo. Evangeliſta, teſte Hieron., profligavit Ebionæos Chriſti divinitatem impugnantes, eoſque mendaces antichriſtos appellat, & arcet a vita æterna c. 2. & 5. primæ ſuæ epiſt. Eadem de cauſſa ab Eccleſiæ communione ejectus eſt Theodorus Coriarius, a Victore Rom. Pont., ut ſcribit Epiphanius Hær. 54. Et initio 3. ſæculi Artemon, paulo poſt Berillus Boſtrenſis, & Paulus Samoſatenus, quem PP. Antiocheni circa an. 260. communione privarunt; fal-

ſum eſt ergo Chriſti fideles 3. priorum ſæculorum cum iis, qui Chriſti divinitatem, & incarnationem negabant, coluiſſe fraternitatem.

Prob. IV. ratione. I. Fruſtra Ss. Martyres ſanguinem fudiſſent pro Chriſti divinitate tuenda contra Paganos & Arianos. II. Patres ſumma injuria hæreticos proſcripſiſſent, quos crederent in Eccleſiæ ſui corporis membra, & in cæleſti patria convices fore. III. Hæretici ipſi cur tanto ſtudio noſtram Romanam communionem conantur evertere, ſi omnes, dummodo peccata vitemus, in qualibet ſecta ſalutem conſequimur?

Ob. I. Epiſcopius. In antiquis ſymbolis exprimitur tantum nomen Patris, Filii, & Spiritus S. ex Irenæo, & Tertulliano, atqui per eoſdem iis ſymbolis nihil detrahi poteſt, nec addi; ergo ſunt abſoluta. R. diſt. maj. & in iis præcontinentur Trinitatis, & Incarnationis myſteria, conc., ſecus, neg. Ibi enim tres Perſonæ ſingillatim enumerantur, & earum nomine fide chriſtiana jam imbutus catechumenus profitetur baptizari; illud ergo ſymbolum eſt abſolutum, quatenus illi nil addi poteſt contrarium, licet poſſint myſteria enucleatius exponi, quod adeo verum eſt, ut Irenæus & Tertullianus ſcribant, in ſervitute priſtina perſeverare, qui Chriſtum putant nudum hominem. Hinc lib. Conſt. Apoſt. ſymbolum catechumenorum habet: *Et in Dominum Jeſum Chriſtum unigenitum ejus filium . . . non creatum, per quem omnia facta ſunt.* Videtur autem hoc ſymbolum eſſe alterius brevioris expoſitionem: adde catechumenorum ſymbola fuiſſe præſertim inſtituta, ut ejurarent idololatriam, & deorum multitudinem, ut diximus l. 6.

Ob. II. Juſt. in Dial. p. 268. ait: *Non amittitur hunc* (Jeſum) *eſſe Chriſtum Dei, ſi probare nequeam eſſe Deum, ac genitum ex Virgine*; ergo veri fideles ſunt, qui Chriſtum Deum eſſe negant, aut Virginis filium. R. neg. conſ. Juſtinus enim ibi Triphonem refellit argumento ad hominem, ait enim: cur

negas

negas Jeſum Nazarenum eſſe Meſſiam, eo quod percipere nequeas illum eſſe natum ex Virgine, & divinam habere naturam? Si enim Judæi Meſſiam præſtolantur purum hominem, cur Jeſum negant eſſe Meſſiam, quia illi non competunt characteres divinitatis? Ceterum poſthac Juſtinus Chriſtum Deum eſſe luculenter demonſtrat, & Chriſtianos agnoſcere ait p. 264: *Chriſtum Dei filium, qui ex Virgine naſci ſuſtinuit* (1).

Inſt. Juſtinus c. 16 ait: *Sunt ex genere noſtro confitentes ipſum eſſe Chriſtum, ſed hominem ex hominibus genitum;* ergo &c.

R. Diſt. ant. Et per τὸ *ex genere noſtro* deſignat Ebionæos, qui ſibi chriſtianum nomen arrogabant, & chriſtiani cenſebantur, prout ab Idololatris & Judæis ſecernebantur, conc., veros Chriſti fideles, neg. Nam hoc ſenſu in Apol. 2. Simonis, Menandri, & Cerinthi diſcipulos chriſtianos appellat, non tamen *puræ piæque ſententiæ*, ut in Dial. vocat aliquos Chiliaſtas, ſed ut *philoſophis, cum eis non ſint communia dogmata, nomen tamen commune eſt.*

Inſtant I. Remonſtrantes. Non loquitur Juſtinus de Ebionitis, ſed de iis tantum, qui Chriſti divinitatem oppugnabant, & tamen eos affirmat eſſe *ex genere noſtro;* ergo &c. Prob. ant. Si enim de Ebionæis loqueretur, nimis frigide contra eos locutus eſſet dicens, ſe iis non aſſentiri, cum in tot aliis capitibus non aſſentiretur. R. neg. ant. Quis enim niſi Ebionita putat, Chriſtum purum eſſe hominem ex hominibus genitum? aut quis id affirmans credit,

 illum

(1) Juſtini fidem egregie vindicavit a Novatorum calumniis Vir cl. P. Meranius Congreg. S. Mauri in opere inſcripto: *Divinitas D. N. J. Chr. manifeſtata &c.* l. 3. c. 3. *De inſigni Juſtini loco,* ubi ejus ſcopum, ac mentem perſpicue declaravit. Vide notam noſtram ad Obj. 3. c. 2. Diſſ. 1. l. 8. pag. 338. I. Volum.

illum *præter naturæ ordinem e Spiritu S. conceptum*, quod ad Christi fidem necessarium esse scribit idem Clericus? Justinus ergo *quosdam ex genere nostro* intelligit Ebionæos, quos non recipit in communionem, quia non credunt, Christum e Spiritu S. conceptum, dicit autem *ex genere nostro*, quia, licet non sint ex Ecclesia catholica, sunt tamen ex genere eorum, qui concedunt venisse Messiam.

Inst. II. Sociniani. Justinus agnoscit *ex genere nostro* Ebionæos; ergo & Socinianos.

R. Dist. ant. *ex genere nostro*, prout a Judæis distinctos, conc. prout Ecclesiæ cath. conjunctos, neg. R. patet ex dictis. Subdit enim ib. *Cum quorum nullo communionem habemus.*

Inst. III. Justinus in 2. Apol. inter Christianos enumerat ethnicos, Socratem, & Heraclitum; ergo & hæreticos. R. Dist. ant. Inter Christianos improprie dictos, conc., proprie neg. Vocat ergo Christianos, quatenus unum Deum cum, Christianis agnovere, quo sensu Tertullianus animam vocat naturaliter Christianam, non quatenus pertineant ad Ecclesiam, & regnum Christi, sed *juxta partem aliquam seminalis rationis*, ait Just. ibidem.

Ob. III. Primo sæculo Ecclesia Hierosol. constabat ex Nazaræis & Ebionitis, cum legalia servaverit; ergo &c. R. neg. ant. Constat enim ex Euseb. l. 10. Hist., Ecclesiam Hierosolymitanam usque ad Adriani tempora *cognitionem Christi genuine suscepisse*, & ex Hieronymo, ideo a PP. anathemate percussos Cerinthum, & Ebionem, *quod legis cæremonias cum Evangelio miscuerunt.* Servavit quidem œconomiæ caussa aliquandin Ecclesia Hierosol. legalia, ut lib. 20. dictum est, sed in conventu habito an. Chr. 50. statuit, gentes conversas non ligari lege Moysis ex Act. 15.; Immerito ergo prisci Jerosol. Ecclesiæ fideles Ebionitæ, aut Nazaræi appellantur. Nam Hieronymus ait, istos credere *in Christum filium Dei natum de M. V.* illos vero asserere: *Christum ante Mariam non fuisse.*

Ob. IV.

Ob. IV. Si Ebionitæ, aliique damnati ſunt, quia putarunt Chriſtum purum hominem; ſat erit ergo eorum dogmata refutare, ut quis fidelibus accenſeatur. R. neg. conſ. Illi enim hæretici a communione ejecti ſunt, non ſolum quod præexiſtentiam, ſed etiam quod Chriſti divinitatem negarent, ut oſtendunt S. P. Aug. (*a*), Tertullianus (*b*), Euſ. &c. (*c*), unde retorqueo argumentum. Sicut enim Ebionitæ &c., ita Ariani ea de re arcendi ſunt ab Eccleſia.

Ob. V. Matth. 19. ait Chriſtus: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*; ergo non opus eſt credere myſteria. R. neg. conſ. Nam ad obſervantiam præceptorum fides in Chriſti divinitatem præſupponitur: *Non enim per legem promiſſio*, ait Ap. Rom. 4., *ſed per juſtitiam fidei.* Qui Chriſtum interrogavit, forte ejus fide jam erat imbutus, interrogavit enim *genu flexo ante eum*; non ſunt ergo Chriſti fideles, qui ejus divinitatem negant.

CAPUT IV.

Nec vera religio viget apud Lutheranos, Calviniſtas, alioſque Novatores.

VERA religio definitur, a theologis virtus, quæ exhibet cultum, Deo debitum. Colitur autem Deus internis actibus, & externis: interni ſunt fides, ſpes, charitas, exteriores ſunt ſacrificium, oratio, & ſacrorum myſteriorum, rituumque obſervatio. Sit itaque

Propositio. Vera religio non extat apud Novatores, neque quoad internos actus, neque quod externos.

Prob. I. de interioribus fide, ſpe, & charitate. Fides itaque circa veritates etiam fundamentales ab iis labefactatur. Calvinus enim abſolutam Dei omnipotentiam rem deteſtabilem aſſeruit. Beza vero falſitatis arguit illa verba: *Non erit impoſſibile* apud

(a) *De Hær. n.* 44.
(b) *De Præſcr.* 53.
(c) *L.* 5. *Hiſt. Eccl.*

apud Deum omne verbum. Deum ad peccatum impellere docent Calvinus, & Beza, Lutherus, & Melanchthon. De Trinitate etiam plura effutiunt absurda cum Danæo Novatores. Christo ignorantiam tribuit Lutherus, Zuinglius, & Calvinus, qui etiam affirmat, eum cruci suffixum desperasse. Christianam spem penitus tollunt hæretici, dum ajunt, justificatum certo scire, se non posse excludi a gloria, aut excidere a gratia. Vinculum caritatis nullum habent, cum se ipsos ob dogmatum discrepantiam idololatras, blasphemos, ministros satanæ &c. invicem appellent: at nullus catholicorum ea de re proscindit alterum, ac si aliquando in caritate deficimus, servamus tamen unitatem religionis ac fidei.

Prob. II. de exterioribus religionis actibus. Nam orationem dominicam debent Novatores reprobare, saltem quoad ea verba: *Dimitte nobis debita nostra,* cum impiis credant nusquam peccata dimitti; justos vero a sanctitate numquam excidere. Quis non irrideat Adamitas, qui Deum orant nudi in hortis ambulantes? Fanaticos, qui gestus edunt horribiles? Ejulantes, qui nihil Deo gratum putant, præter lacrymas atque singultus? Sacrificia Novatores abjiciunt, Missam abrogant, sacrosque ritus veluti superstitiosos condemnant, templa diruunt, S. Imagines incendunt, cultum SS. Martyribus negant, & ob futiles caussas eorum patrocinium recusant; ergo &c.

Prob. III. Ostenditur enim falsitas doctrinæ Novatorum I. Ex quo nulla divina oracula horum adventum prænuntiarint, nisi ea, quæ prædixere adversus Ecclesiam venturos antichristos, & pseudoprophetas. Aliunde Calvini, & Lutheri hæresim cladem Ecclesiæ allaturas prædixit servus Dei F. Thomas Minorita: quæ Germaniæ & Angliæ evenere S. Hildegardis, & Cantiana prænuntiarunt; ex vaticiniis ergo constat, quam sit detestabilis Protestantium religio. II. Credimus Evangelistis viris humil-

humillimis divino numine afflat is narrantibus, quæ audierunt; idcirco non credimus Novatoribus, ambitiosis, falsariis, a dæmone edoctis, Lutherum namque animum suum pascere conviciis scripsere Erasmus, & Bucerus: desiderari in ipso moderationem Melanchthon: Muncerus sibi Evangelistæ nomen adscivit, David Georgius Messiæ. Depravasse evangelia liquet ex editione Tigurina Nov. Testam., ubi legitur: *Hoc enim significat corpus meum*; non ergo fidem merentur.

III. Ut vera religio veris signis, ita falsa fictis dignoscitur. Extrahere enim copiam piscium, & rudes expedite legere biblia, quæ duo Anabaptistæ adeo prædicant, dæmonis facultatem non excedunt. Voces Londini ex antro erumpentes fuisse puellæ a sectariis ad hanc nequitiam inductæ, publico judicio ostensum est. Quid Luthero dæmonem adjuranti contigerit, & Calvino fingenti resurrectionem Brulei, narrat Bellarminus l. 4. de Not. Eccl. Hinc Erasmus in Diatr. de lib. arb. ait, nullum Reformatorum adhuc fuisse, *qui vel equum claudum sanare potuerit*. IV. Sicut mira fuit Evangelii propagatio, ita execrabilis fuit hæreseos progressus. Hujus præcones non illapsu Spiritus S. doctrinas acceperunt, sed sacris abusi sunt disciplinis, & facti Apostatæ nunquam inter se convenere. Nec leges carni repugnantes promulgarunt, sed libidini, & noxiæ libertati percommodas. Anabaptistæ uxorum promiscuum usum: Adamitæ inverecundos conventus: Calviniani jura magistratus usurpant, confessionem rejiciunt, jejunia contemnunt, & absque merito beatitudinem repromittunt. Vim etiam adhibuere præsertim in Anglia, ubi Card. Roffensis, Thomas Morus, Maria Regina, aliique viri cl. necati sunt. Prætereo, quæ in Belgio Calvinistæ Geusii, in Gallia Huguenoti dira patrarunt a Christi religione longe aliena, quæ non vi armorum, sed Martyrum sanguine propagatur.

V. Adverſus Eccleſiam Chriſti *portæ inferi*, nempe hæreſes prævalere non poſſunt, ſed prævaluit adverſus Novatorum hæreſim nova hæreſis. Nam ex Lutherana factione prodiit Carolſtadiana, hæc peperit Zuinglianam, quæ quadragies circa Euchariſtiam ſententiam mutavit. Inter Calviniſtas, alii Jacobini ſunt, alii Cauſarii, alii Liberi, qui ſe continuo mordent, ac morum turpitudines non ſolum ibi regnant, quod humanum eſt, ſed etiam probantur, quod impium eſt. Laudatur Joannes Leidenſis, qui polygamiam induxit, habuitque uxores ternas. Wittembergenſes inſontem judicarunt mulierem patri, fratri, & marito junctam. Andreæ Carolſtadio, qui primus e Sacerdotibus uxorem duxit, hæc collecta in ſacrilega miſſa cantatur: *Deus, qui B. Andream ea gratia donare dignatus es, ut primus nulla habita Papiſtici juris ratione, uxorem ducere auſus fuerit &c.* VI. Oſtenditur chriſtianæ fidei præſtantia ex conditione inſtitutoris, & æquitate præceptorum. Atqui Novatorum ſigniferi fuere alter ſacræ virginis ſtuprator, alter ob deterius crimen Novioduni ſtigmate in tergo notatus. Neuter habuit propriæ miſſionis auctoritatem. Nec minus impia ſunt ab iis tradita morum præcepta: nempe homicidia, adulteria, & ſcelera quælibet nihil obeſſe credentibus: omnia bona opera eſſe ſordes, & inquinamenta: juſtum nulla hominum lege teneri. Hinc Lutherus ipſe faſſus eſt: *Mundum ex ſua doctrina quotidie reddi* deteriorem. Idem docet Muſculus, Calvinus, aliique; ergo &c.

DISSERTATIO II.

De chriſtianæ religionis veritate, atque auctoritate.

DE hoc argumento agemus 3 capitibus, ubi de veritate, ac ſymbolo religionis chriſtianæ, tum de ejus expoſitione verba fient.

CAPUT

CAPUT I.

De veritate religionis christianæ.

CUM fidei aſſenſus, ac religionis profeſſio debeat eſſe prudens, alias opinio, non virtus eſſet; ideo debet certam divinæ revelationis notitiam ſupponere. Sit itaque

PROPOSITIO. Pluribus argumentis, iiſque invictiſſimis veritas chriſtianæ religionis oſtenditur.

Prob. I. Ex divinis oraculis, ac vaticiniis, quæ in veteri teſtamento contenta, in Chriſto fuerunt impleta: atqui non poſſumus hæc conficta exiſtimare, aut in ſacris libris appoſita: non primum, nam Moyſem vera ſcripſiſſe alibi oſtendimus, quæque ipſe ſcripſit, alii etiam hiſtorici fide digniſſimi tradidere: non ſecundum, incredibile eſt enim hæc vaticinia fuiſſe veteri Teſtamento aſſuta a Judæis in gratiam Chriſtianorum, quorum erant hoſtes infenſiſſimi, aut a Chriſtianis, non reclamantibus Judæis. Adde, ſummam hac in re Judæorum, & Chriſtianorum religionem, queis vel unum apicem addere, vel minuere e ſacris codicibus piaculum eſt; ergo &c.

Prob. II. ex Evangelica hiſtoria, quæ Chriſti miracula, inculpatam vitam, mortem pro mundi redemptione, ac mirabilem reſurrectionem deſcribit. Sed hæc vera eſſe oſtenditur ex eo, quod a viris fide digniſſimis ſcripta ſunt, qui res ætate ſua geſtas narrarunt, nec mentiri poterant, quia facile revinci potuiſſent (cum Chriſtus nil fecerit, aut dixerit in occulto) nec volebant, cum nihil inde commodi, ſed odium ſolummodo & perſecutiones iis poſſent accedere prædicando Chriſtum crucifixum, Judæis ſcandalum, gentibus ſtultitiam: cujus nec humiles parentes tacent, nec nativitatem in ſtabulo, nec vitam neglectam, nec mortem turpiſſimam; ergo de eorum fide dubitari non poteſt.

Prob. III. Ex Chriſti miraculis, quæ quidem verti nequeunt in dubium. Aquam mutavit in vi-

num ſpectantibus convivis pluribus. Viduæ filium revocavit ad vitam, cum efferretur ad tumulum, turba civium comitante. Cæcum a nativitate notum omnibus illuminavit, fruſtra Phariſæis miraculi gloriam obſcurare conantibus. Paralyticum e tecto demiſſum, infirmum 38. annorum curavit, & Lazarum quatriduanum adſtantibus plurimis reſuſcitavit. Ipſe Chriſtus a mortuis ſurrexit, apparuitque mulieribus, diſcipulis congregatis, & quingentis aliis: atqui vera miracula ſunt invicta veræ religionis argumenta; ergo &c.

Prob. IV. Ex mira Evangelii promulgatione. Principio enim promulgatum eſt a perpaucis & illiteratis hominibus, non armis, aut eloquentia, ſed abſque pera, & calceamentis, & omni præſidio hominum deſtitutis. Hi vero induti virtute ex alto, abſque ullo ſtudio, omnium linguam, & ſcientiam edocti, non rudem modo populum adiere, ut Mahumetes, ſed Chriſtum crucifixum annuntiarunt in ipſa urbe Jeroſolyma, in Græcorum philoſophorum Lycæis celeberrimis, in Urbe Roma literis clara, & ſuperſtitionibus dedita, & in univerſo orbe, & in provinciis ampliſſimis, ubi reges, philoſophos, tyrannos, & ipſos idolorum ſacerdotes ad ſe perduxere: non quidem eorum genio aut libidini indulgentes, ſed inaudita prædicando, Deum unum in Trinitate, filium Dei crucifixum, latiſque præceptis, ut frangerentur Idola, ſpernerentur divitiæ, atque a viris uxores, a parentibus filii religionis cauſſa divellerentur; atqui hæc omnia nonniſi Dei virtute fieri poterant; ergo &c.

Prob. V. Ex Eccleſiæ chriſtianæ firmitate. Nam contra ipſam, nec tyrannorum perſecutiones, nec hæreticorum machinationes, nec portæ inferi prævalere potuerunt, ut Petri navicula fluctibus mergeretur, quod evenire debuiſſet, niſi illam regeret virtus altiſſimi, & Spiritus veritatis.

Prob. VI. Ex Inſtitutoris dignitate, præceptorum æquitate, atque excellentia mercedis. I. conſtat ex ejus

ejus humilitate, qua pauperibus evangelizavit, & regni honorem, & hominum plaufus abjecit: ex ejus fortitudine, qua Pharifæorum arguit hypocrifim, & profanatores ejecit e templo: ex ejus exemplo, quo ipfe omnium primus fecit, quæ docuit. Nullum invenies interea, ex vetuftiffimis legislatoribus five Græcis, five Romanis vitiorum omnium fœditate inquinatis, qui cum eo comparari poffit. Moyfes ipfe, quamvis fanctiffimus, quantum ab eo diftat! II Æquitas præceptorum oftenditur ex indicto omnibus Dei cultu, parentum honore, proximi amore, & fuga mali; quibus fit, ut nihil in iis poffit offendi, quod legi æternæ, fapientum monitis, aut morum regulis adverfetur. Non ita alii Legislatores. Plato Deos plures invexit: Ariftoteles docuit artes tyrannidis: Stoici non aliam virtutem, præter oftentationem & faftum agnovere: Epicurei folam voluptatem fectati funt. Hebræorum præcepta alia funt Chriftianorum inftitutis conformia, plura promiffiones & figna, alia ad tempus præfcripta; religio ergo chriftiana virtutes præmovens, & vitia coercens eft aliis omnibus præferenda. III. Sola chriftiana religio veram, ac perennem felicitatem promittit, aliæ vel eam non agnovere, vel de ea dubitarunt, vel in rebus fluxis, aut etiam turpibus collocarunt. At fpes firmiffima Chriftianorum Chrifti promiffionibus innititur, & tendit in vitam æternam in Deo fruendum, nullifque ærumnis affectam, cumque omnes hanc beatitudinem cupiant, adeoque affequi poffint, fola chriftiana religio vera cenfenda eft, quæ fola veram beatitatem pollicetur.

Ob. I. Incertum eft, an Apoftoli Evangelicam hiftoriam confcripferint, & an libri Evangelici fint autographi? ergo corruit primum argumentum. Prob. ant. I. enim plura fub nomine Apoftolorum Evangelia conficta funt; ergo poterant hujufmodi effe ea, quæ a primis fidelibus recepta funt. II. Facile id evenire potuit in Jerofolymitano excidio. III. Re-

III. Recipit Ecclesia epistolam ad Hebræos, secundam Petri, Judæ &c., quarum sunt auctores incerti; ergo dubium est etiam Matthæum, Lucam, &c. sua Evangelia scripsisse.

R. Neg. ant. Constat enim ex perpetua omnium sæculorum traditione, de auctoribus, & auctoritate Evangeliorum (1). Ad prob. primam neg. cons. Rejiciuntur enim pseudo-evangelia, quia illa nunquam Ecclesia probavit, retinentur autem germana, quia unanimi traditione Ecclesia recipit. Ad secundum neg. ant. Non enim a sola Jerosolymæ Ecclesia, sed ab Antiochena, Corinthia, Ephesina, Romana &c. Christi doctrina, & sacri codices ante Hierosf. excepta erat. Ad tertium neg. cons. Nam de auctoribus Evangeliorum nusquam ab Ecclesia est dubitatum, ut de laud. epistolis. R. II. Eas epistolas iis tribuendas, quorum nomina præseferunt, debet enim privato quorundam judicio Ecclesiæ traditio præponi.

Ob. II. Apostoli, utpote rudes, facile decipi potuere; ergo &c. Prob. ant. I. enim Christus convenire potuit cum fictitiis infirmis. II. Fallere eos potuit apparentia, & rumor vulgi. III. Infirmitates forte imaginariæ fuere. IV. Apostoli ex nimio Christi amore ejus apparitiones credidere; ergo &c.

R. neg. ant. Ad primam prob. neg. ant. Plura enim ejus miracula in universa multitudine facta sunt, ut multiplicatio quinqne panum: at fieri non potest,

(1) Hanc Ecclesiæ traditionem Christiani, ethnici & hæretici ipsi confirmant. Nam vix edita in lucem in plura idiomata versa, ut germana scriptorum opera, quorum nomina præferunt, excepta sunt. Nec Porphyrius, nec Celsus, nec Julianus, nec alius christiani nominis hostis, qui ea exagitarunt, huic traditioni repugnat. Hæretici tandem, qui eorum auctoritate se premi sentiebant, nusquam ausi sunt ea Christi discipulis abjudicare; ergo &c.

poteſt, ut ingens turba in ſimulationem conſpiraverit, & nemo fraudem detexerit, plura etiam edita ſunt ad preces exterorum, ut Centurionis, & Chananææ: quædam coram Phariſæis verſutis & invidis, quibuſcum Chriſtus convenire non potuit. Nec fictitios cenſere poſſumus infirmos a Chriſto ſanatos; quis enim a nativitate ſua cæcitatem ſimulare poteſt, aut infirmitatem annorum 38. aut quatriduo in ſepulcro morari? Ad ſecundum neg. ant. Num cæcum recepiſſe lumen ſpectarunt omnes, teſtati ſunt parentes, & perperam occultare tentarunt invidi Judæi: idem de paralytico & Lazaro dicendum eſt. Ad tertium neg. etiam ant. Quis enim, niſi inſanus, dixerit cæcitatem, paralyſim, mortem ipſam eſſe imaginationis effectus. Ad quartum neg. ant. Apoſtoli enim diu fuerunt increduli, & plures non crediderunt, niſi quando viderunt & tetigerunt.

CAPUT II.

Oſtenditur Romanæ Eccleſiæ ſymbolum tamquam Apoſtolicum eſſe recipiendum.

NOT. I. Quatuor eſſe illuſtriora fidei Symbola. Romanum nempe, ſive Apoſtolicum, Nicænum, Conſtantinopolitanum, & Athanaſianum. Nicænum editum eſt in Nicæna Synodo an. 325., ibique appoſitum vocabulum *homouſion* contra Arianos, ut lib. 7. dictum eſt. Conſtantinopolitanum editum eſt a PP. 150. qui ad Synodum convenere contra Macedonium, Aetium, & Eunomium an. 381. De Athanaſiano diſputavimus lib. 8. Supereſt ergo ut de Apoſtolico dicamus, quod ab Apoſtolis editum negat Voſſius, Dupinus, aliique, affirmant alii ſcriptores, omneſque catholici.

Not. II. Noſtrates Symboli nomen *collationem* interpretari, quod Voſſius carpit dicens, veteres cœnam collatitiam non ſymbolum dixiſſe, ſed ſymbolum, ut conſtat ex Andria Terentii, aliiſque. Addit ex Suida ſymbolum accipi pro indicio, ac teſſera, quod nos non negamus, negamus tamen

rejicien-

rejiciendam esse priorem interpretationem, ob tam infirmas conjecturas. Συμβάλλω enim idem est ac *conferre* & *congredi*, unde derivatur & *symbola*, qua cœnaturi conveniunt, & *symbolum* seu tessera, qua milites dignoscuntur ab hostibus. Hinc Rufinus in Exp. symb. ait: *Symbolum græce indicium dici potest, & collatio.* Idem sentiunt Cassianus, Isidorus, Rabanus &c.

Not. III. Non convenire scriptores de tempore, ac modo, quo symbolum Apostolorum conditum est. Censet Baronius, editum an. 2. Claudii paulo post mortem Jacobi majoris. Rufinus vero post adventum Spiritum S., cum Apostoli ab invicem discessuri constituerent normam futuræ prædicationis. De modo autem quidam contendunt cum Ratberto Paschasio, Apostolos illud condidisse in commune consulentes, quo pacto eduntur canones in Synodis Episcoporum: idque factum esse in cœtu 120. virorum, de quo Act. 1. Alii vero singulos articulos singulos Apostolos condidisse. His prænotatis sit

Propositio I. Hoc symbolum recte dicitur Apostolicum.

Prob. I. ex Irenæo, qui partem hujus symboli repetens l. 1. c. 2. ait: *Ecclesiam ab Apostolis, eorumque discipulis illud accepisse.* II. Tertull. contra Prax. de symb. ait: *hanc regulam ab initio Evangelii decucurrisse.* III. Hieron. Ep. ad Parmen. ait: *Symbolum fidei nostræ ab Apostolis traditum.* Plura affert Nat. Alex. diss. 12. sæc. 1. quibus ostenditur, symbolum recte dici Apostolicum, & Apostolicam continere doctrinam: hinc Calvinus l. 2. Inst. 16. non dubitat: *Quin ab ipso Apostolorum sæculo instar publicæ confessionis obtinuerit.*

Propositio II. Ipsi Apostoli idem symbolum condidere.

Prob. I. Ex Augustini regula l. 4. contra Don.: *Quod universa tenet Ecclesia, nec a Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi* AUCTORITATE

APOSTO-

APOSTOLICA *traditum certiſſime creditur.* Ubi S. P. *auctoritatem Apoſtolicam* non doctrinæ cohærentiam cum Apoſtolica (quo ſenſu etiam canones Conciliorum ſunt Apoſtolici) ſed ipſam *Apoſtolorum inſtitutionem* intelligit. Atqui hoc ſymbolum tenet & ſemper retinuit, nec a Conciliis recepit Eccleſia; ergo eſt editum ab Apoſtolis. Prob. min. Conſtat enim, hoc ſymbolum in pretio habitum ante Nicænam ſynodum, cum Rufinus, Hieron., & Aug. ut vetuſtiſſimum laudent, ſed ſolæ ſynodi Nycæna & Conſtantinopolitana fuerunt ante an. 400. celebratæ; ergo a nulla œcumenica ſynodo ſymbolum Apoſtolicum editum eſt.

Prob. II. ex traditione. Rufinus enim in Expoſ. ſymb. ait, conſtare traditione majorum, Apoſtolos in unum adunatos hoc ſymbolum condidiſſe. Idem docuit S. Leo Magn. Ep. ad Pulcheriam, Innocentius l. 2. de Myſt. Miſſæ 49. Iſid. l. 2. de Eccl. offic. 22. Venantius Fort. Præf. in ſymb. exeg., aliique a Voſſio ipſo laudati. Communem hanc eſſe traditionem demonſtrant Genebrardus, Fevardentius, Boverius, N. Alex. &c. Nec dicas, laudatos PP. non eſſe primi aut ſecundi ſæculi, ut enim ſileam Irenæum, Tertull., alioſque ſupra laudatos, Rufinus certe, Leo Magnus, & Iſidorus ſymbolum Apoſtolis tribuunt ex *traditione majorum;* ergo &c. Prob. III. ratione. Etenim non ſolum catholici omnes nobiſcum ſentiunt, ſed etiam oppoſitum ſummæ arguunt temeritatis: ita Genebrardus, nec non theologi Pariſienſis, & Colonien. facultatis. Lutherus ipſe in Colloq. a Feverd. laud. *Extra Spiritum S. & Apoſtolum non potuiſſe*, ait, *Symbolum hoc ita componi per mille ſæcula.*

Ob. I. Voſſius. Falſum eſt, ſymboli nomine collationem ſignificari, ut catholici putant; ergo &c. II. Neque conveniunt de fine, modo, ac tempore, quo conditum eſt. III. Ante Rufinum 400. anni elapſi ſunt, antequam de hoc ſymbolo eſſet auditum. IV. Rufinus ipſe non ait: *Apoſtoli, ſed: Qui*

ſym-

ſymbolum tradiderunt; ergo erat incertus de ejus auctore. V. Apoſtolicum dicitur hoc ſymbolum ratione doctrinæ, non inſtitutionis; ergo &c. R. ad I. neg. ant., de quo vid. not. 2. R. II. neg. conſ. Non enim aſſertio noſtra ſola nominis etymologia fulcitur, ſed traditione majorum, ut ſupra dictum eſt. Ad II. diſt. ant. Non conveniunt de modo & tempore, & tamen conveniunt de loco, conc., ſecus, neg. Vide not. 3. Ad III. neg. ant. Obtinuit enim hoc ſymbolum ab ipſo Apoſtolorum ævo, fatente ipſo Calvino: ejuſque ante Rufinum meminit Tertull., & Irenæus; Rufinus ergo non ex ſua ſententia, ſed ex majorum traditione rem enarrat. Ad IV. neg. conſ. Referuntur enim ea verba ad Apoſtolos, quorum antea meminit. Ad V. neg. ant. Vid. prob. 1.

Ob. II. Voſſius. Si hoc ſymbolum ab Apoſtolis conditum eſſet, id non prætermiſiſſet S. Lucas in Actibus, ac traditum eſſet omnibus Eccleſiis. 2. nec ſingulæ ſuum cudiſſent ſymbolum, atqui diverſa ſunt quæ leguntur apud Irenæum, & Tertullianum, in Romana, Aquilejenſi, & apud Orientales; ergo &c. R. ad I. neg. ſequelam. Adeo enim erat divulgatum ac notum, ut non opus fuerit ſymbolum illud literis tradere, præſertim cum eo fine editum ſit, ut non in tabulis, ſed in corde eſſet inſcriptum, ut ait Hieron., & Aug. Traditum proinde eſt Apoſt. ſymbolum omnibus Eccleſiis, quas latere non potuit, quod omnium cordi eſſet inſcriptum. Ad 2. diſt. min. Diverſa ſunt apud Iren. & Tertull. &c. quoad verba, conc., quoad ſenſum, neg. Illi enim non ſymboli verba exſcribunt, ſed ſenſum: Eccleſiæ vero laudatæ quædam verba, ob exortas hæreſes, aut expoſitionis gratia addidere. At in Romana Eccleſia inviolatum ſervatum eſt, teſte Rufino, & Ambroſio.

Ob. III. Dupin. PP. primorum ſæculorum, hujus ſymboli auctoritate contra hæreticos uſi non ſunt, ſed tantum conati ſunt demonſtrare, ejus doctrinæ

Apoſto-

Apoſtolos auctores eſſe; ergo &c. R. I. neg. ant. Irenæus enim c. 2. l. 1. præmittit fidem, quæ traditur in ſymbolo, eſſe derivatam ab Apoſtolis, ut hæreſes, quas refellit, ſymbolo Apoſtolico demonſtret adverſas. R. II. neg. conſ. Patres enim noluerunt hoc ſymbolo hæreticos refellere, quia ſola traditione conſtat ab Apoſtolis editum, cum forte hæretici traditiones oppugnarent, cumque validius aliunde revinci poſſent, noluerunt his armis uti.

Ob. IV. Baſnagius. Si hoc ſymbolum ab Apoſtolis conditum eſſet, eſſet in canone, divina quippe in eo verba eſſent, divina materia, & ordo eſſet; ergo &c. Nec dicas, non eſſe exaratum manu Apoſtolorum, nam Epiſtola ad Eph. per Tychicum ſcripta eſt, ad Rom. per Phœben, & tamen ſunt in canone. II. Hoc ſymbolum eſſet perfecta fidei teſſera; ergo fruſtra nova ſymbola prodiere. III. in Miſſa non canitur; ergo &c. IV. in 9. articulo habetur *Eccleſiam catholicam*, ſed talis tunc non erat Eccleſia; ergo &c.

R. ad I. neg. ſeq. maj. Non eſt enim in canone, quia non eſt traditum, ut ſcribatur, ſed ut audiendo perdiſcatur, ait S. P. Serm. 222. Ad prob. diſt. conſ. *Canonicum* eſſet, hoc eſt fidei regula, quo ſenſu traditiones non ſcriptæ *canonicæ* ſunt, conc., hoc eſt in canone ſcripturarum, neg. Hoc ſenſu Paulinæ Epiſtolæ vel ejus manu, vel aliena, ſed auctoritate divina conſcriptæ, *canonicæ* ſunt. Fallitur autem Baſnagius, dum ait, laud. epiſtolas a Tychico, aut Phœbe exaratas, cum ab iis non ſcriptæ fuerint, ſed delatæ, ut conſtat ex Eph. ult. & Rom. 14. Ad II. neg. conſ. Quamvis enim ſymbolum Apoſtolicum adeo perfectum ſit, *ut omnes hæreticorum opiniones ſolo poſſint hoc gladio detruncari*, ut ait in Ep. ad Pulch. M. Leo, additæ tamen ſunt poſtea voces aliquæ; non ob fidei defectum, ſed ob hæreticorum audaciam. Vid. auctorem l. 7. c. 19. Ad III. neg. conſ. In Miſſa enim canitur ſymb. C. Politanum non aliud ab Apoſtolico, ſed hujus explica-

tivum adverſus hæreſes poſteriores: illud vero in collatione baptiſmi ter ſaltem in divinis officiis & ſæpe in orationibus privatis uſurpatur. Ad IV. R. hanc vocem poſtea additam, ni velis ex tunc præviſum Eccleſiam brevi fore catholicam.

CAPUT III.

De Apoſtolica ſymboli expoſitione.

IN duodecim articulos dividitur ſymbolum Apoſtolorum.

Articulus I. eſt: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli, & terræ.* Symbolum Orientale addit, *unum, & inviſibilem, & impaſſibilem*, quæ verba cenſet Rufinus addita *hæreſeos cauſſa Sabellii*, qui Patrem eſſe paſſum aſſeruit. Deſunt alicubi, ea verba; *Creatorem cæli, & terræ.* Principio itaque dicitur: *Credo*, fides enim initium ſalutis eſt ex Ap. Hebr. 11. eaque vox ore profertur: quod enim *corde creditur ad juſtitiam, ore confeſſio fit ad ſalutem*, ex eodem Ap. Rom. x. Profertur autem ea vox ſingulari numero, quia ſinguli ad baptiſmum accedentes debent fidei actum & profeſſionem emittere. Nonnihil inter ſe differunt: *credere Deo, credere Deum*, & *in Deum*, Primum, ſignificat aſſenſum Deo revelanti, ſecundum exprimit Dei exiſtentiam, tertium fidei directionem in Deum, ut finem ultimum: quæ directio fieri nequit, niſi credamus, Deum eſſe, ejuſque promiſſis fidamus. Si ergo credis *in Deum*, credis *Deum*, credis *Deo*, & hæc duo in illo verbo continentur. II. dicitur Deus *unus* contra Polytheos, & Gnoſticos, qui duo coæva principia agnovere *Deum, & materiam*, & contra Manichæos, qui Deum bonum, ac malum admittebant. Additur nomen *Patris*, quia rerum omnium cauſſa & origo eſt, & ut intelligatur, Patrem eſſe Filii. Hæc eſt ergo fides in primam Trinitatis Perſonam, in qua Dei Patris nomen conjungitur, quia *non ante Deus eſſe cœpit*, & po-

ftea Pater, fed *Deus femper & Pater eft*, ait auctor Serm. 181. de Temp.

III. Dicitur *omnipotens* contra hæresim Valentinianam, quæ negabat, Deum non condidisse, quæ facta funt ex iis, quæ non erant. Excluditur etiam hoc verbo mentiendi aut peccandi potestas: *Si enim Deus mentiri, fi inique agere poffet, non effet omnipotens*, ait S. P. de Symb. ad Catech. Significat etiam ea vox, *quod omnia regit*, ac providentiam Dei confitetur contra Marcionitas, qui ajebant, mundum esse fub tyrannide Diaboli. Denotat etiam apud Cyrillum, eum, qui nullo loco *circumfcribitur nec minor eft cælo*, adeoque Dei immenfitatem, rejecta Socinianorum fabula, qui Deum fummo cælo includi putant. IV. Dicitur: *Cæli & terræ creator*, contra Atheos mundum fortuito conditum esse autumantes. Oftenditur etiam in creatione, Deum nulla indiguisse materia, & omnia fecisse *fola verbi poteftate.* Revincitur etiam hac voce hæresis Menandri, & Carpocratis, qui mundum affirmarunt productum ab angelis.

Articulus II. eft: *Et in Jefum Chriftum Filium ejus unicum Dominum noftrum.* Symbolum Orient. non habet: *Dominum noftrum*, fed fuppletur ex Act. 2., Corinth. 8., & Eph. 4., ubi tribuitur Chrifto *Domini* character: explicatur autem hoc articulo catholica fides in fecundam Trinitatis perfonam, quam a temporali nativitate dicimus, Chriftum Jefum, ac Filium Dei unicum, ideoque Patri confubftantialem, quia Filium natura. *Ceteri quippe filii dicuntur adoptionis tantum gratia*: ait Rufinus. *Si filium unicum*, ait S. P.; *ergo ejufdem fubftantiæ, omnipotentiæ, cujus eft pater; ergo Patri coæternum.* Refelluntur hoc articulo Valentiniani, Cerinthiani, Ebionitæ, Ariani, Sabelliani, Neftoriani, ac Sociniani. II. Dicitur *Jefus* hebraice, latine Salvator: ficuti *Chriftus* græce *unctus* latine dicitur, quibus verbis oftenditur contra Judæos, Chriftum esse Redemptorem in lege pro-

 miffum,

missum, prophetam, sacerdotem, & regem. Est autem Christus propheta Luc. 7., sacerdos Hebr. 7., rex Luc. 1., & Joan. 18.; habet ergo omnes Messiæ characteres. III. Dicitur *Dominus* Matth. 28. & alibi, cum sit Dominus *ingenita potestate*, *non concessa*, ait Rufinus: ejusque Dominium est plenissimum, & universale ex Matth. 11., & Jo. 3. Specialiter Jesus dicitur Dominus, quia Diabolum ejecit, hominem redemit, idololatriam eliminavit, & Ecclesiam sibi comparavit.

Articulus III. est. *Qui conceptus est de Spiritu S., natus ex Maria Virgine.* Aquilejense, & Orientale non habent, *conceptus*, at S. P. Aug. Serm. ad Comp. utrumque ponit, *conceptus, & natus*; quibus verbis I. Jesu Christi conceptionem fatemur divinitus esse peractam in utero Virginis, *in qua operatus est Spiritus S., non homo maritus*, ut ait S. P. Serm. 213., atque ita refelluntur Ebionæi dicentes, Christum e Josephi semine conceptum, item Phantasiastæ ei tribuentes corpus umbratile. II. negamus contra Eutychetem Filium Dei conversum in carnem.

Articulus IV. est. *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus, descendit ad inferos.* Deest in Aquilejensi, & Orientali, *passus, & mortuus.* Abest a pluribus: *Descendit ad inferos.* Rufinus vero legit, *ad infera*: alii hæc referunt ad art. 4. I. Ergo dicitur Christus, *passus*, ludibria nempe, flagella, & cruciatus, de quibus Evangelica historia. His refellitur Marcion, qui ait, Christum in phantasmate passum, aliique ei tribuentes impassibile corpus. Pilati mentio, ait auctor serm. 181. 3. *ad temporis significationem, non ad personæ illius pertinet dignitatem.* Forte etiam Pilati ibi fit mentio, ut cum penitus Judæis tunc sceptrum esset ablatum, appareat stultos esse, qui adhuc Messiam præstolantur. II. Dicitur etiam *crucifixus*, adversus insaniam Basilidis, Mahumetis, & Manichæorum, quorum primus ait, non Christum, sed Simonem Cyrenæum, alter Judam Iscario-

riotem, postremus dæmonem suffixum cruci. Hinc etiam apparet humilitas Christi, qui seipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem crucis. Hinc etiam adversus Pelagianos originariam labem, Redemptoris gratiam, & regenerationem Spiritus confitemur: nam si Christus mortuus est; ergo omnes mortui sunt, atque ex ligno, unde mors exiit, surrexit & vita. III. Dicitur in cruce mortuus; cum autem per Athan. mors sit *animi a corpore divulsio*; fuit ergo in Christo perfecta humanitas ex corpore animoque conflata, quo etiam sensu sepultum credimus: *Ut veram carnem Christi*, ait Chrysol. serm. 60., *mortemque probet confessio sepulturæ*. IV. Dicitur: *Descendit ad inferos*, quæ verba commentitia esse, & perperam apposita criminantur hæretici: sit itaque

Propositio. Christi descensus ad inferna catholicum dogma est.

Prob. I. Scripturis. Nam Ps. 15. habetur: *Non derelinques animam meam in inferno*, quæ verba de Christo accipit Petrus Act. 2. Habetur in hebræo vocabulum שאול *Sheol*, quod licet *sepulcrum*, & *infernum* promiscue significet, ut demonstrat cl. auctor; non potest tamen Ps. cit. significare *sepulcrum*. Id enim significant partim verba præcedentia: *Caro mea requiescet in spe*, partim sequentia: *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*: nec anima sepulcro clauditur. Vide Lorin. in hunc loc., & in 2. Act. Frustra Calvinistæ reponunt, animam accipi aliquando pro corpore. I. Enim hoc dici nequit de corpore mortuo, & ab anima sejuncto. II. Quia Act. 2. habetur ψυχὴ, quod eam significationem non patitur.

Prob. II. Ex PP. Irenæo (a), Tertulliano (b),

 Atha-

(a) *L. 4. adv. hær. c. 26.* (b) *De An. 12.*

Athanaſio (*a*), Hilario (*b*), Cyrillo (*c*), Auguſtino (*d*), Hieronymo (*e*), Leone M. (*f*) &c.

Ob. I. Hæc traditio orta eſt ex prava intelligentia v. 10. Pſ. 15. *Non derelinques &c.*, ubi hebræo *Sheol* ſepultura dumtaxat ſignificatur; ergo &c. R. Neg. ant. Nam illud Gen. 42. *Deducetis canos meos ad inferos*, hebraice habet *Sheol*, quod omnes exponunt de ſepulcro. Idem etiam occurrit 3. Reg. 2. Unde auctor libri Tobith *Sheol* reddit τὸν τάφον *foveam*, & Scindlerus *terram*; ergo &c. R. neg. ant. Ad prob. neg. ant. Falſum eſt enim *Sheol* ſepulturam tantum innuere, nam ex R. Levi *Sheol* eſt *venter terræ depreſſior*. Ex hæreticis etiam Druſius ad 73. Gen. ait: *Sheol tam infernum ſignificat, quam ſepulturam.* Idem aſſerit Amama, qui etiam Aben-Ezran reprehendit, quem nobis opponunt hæretici. Neque *Sheol* ſepulcrum ſignificat illud Gen. 35. *Deſcendam ad filium meum in infernum*; Jacob enim putabat, filium non ſepultum, ſed a fera peſſima diſcerptum eſſe. Adde, quæ ſupra in prob. 1. notata ſunt.

Ob. II. Græca phraſis ἐν ἅδȣ *in inferno* nil aliud ſignificat, niſi locum inviſibilem; ergo inſcite admodum inde ſtatus animarum poſt mortem infertur: hinc Voſſius ab אדמה *adamah terra* derivat, ex qua primus homo dictus eſt Adam. R. neg. conſ. Innumera enim ſunt apud profanos ſcriptores loca, in quibus hoc nomine deſignatur receptaculum animarum. Odyſſ. lib. 11. *Aden* eſſe locum invenies, ubi degebat anima Patrocli, Achillis &c. Hinc fabula de Æneæ ad inferos deſcenſu; hinc Elyſii, & Tartara. Nec Patres græcas fabulas imitati ſunt, ſed potius Græci ex ſacris libris ſuam theologiam hauſerunt, veris falſa plura miſcentes,

(a) *De Adv. Chr.* (b) *In Pſ.* 53. (c) *Catech.* 4. (d) *In Pſ.* 83. (e) *In Jo.* 2. (f) *Serm.* 8. *de Paſſ.*

ſcentes, ut probat Huetius in Dem. Ev., & Voſſ. in Theol. gent. Reapſe Ἀδην reperies Gen. 37. Pſ. 15. Act. 2. Fallitur ergo Voſſius *Adim ab Adama terra* derivans: cum ſit potius ab עדן *Eden* paradiſo voluptatis, de quo Gen. 2. quod præter verborum ſimilitudinem, oſtendit illud Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiſo:* ubi veteres *Eden* intelligunt, ideſt receptaculum animarum. Unde intelligimus Chriſtum deſcendiſſe in ſinum Abrahæ, ſive, ut noſtrates loqui amant, in Limbum Patriarcharum, eoſque præſentia ſua recreaſſe.

Ob. III. Veteres PP., qui ἅδην ſtationem animarum accipiunt, ex hebraicæ linguæ imperitia, & ex Græcorum, fabulis in plura abſurda prolapſi ſunt; ergo &c. Prob. ant. Irenæus l. 4., ait, Chriſtum ſpiritibus in inferno degentibus Evangelium prædicaſſe, Hermas miniſtraſſe baptiſmum; ergo dogma iſtud ex populari credulitate invectum eſt. R. Neg. ant. Ad prob. neg. conſ. Cum enim perdificilis ſit locus primæ Petri c. 3. 19.: *His qui in carcere erant ſpiritibus veniens prædicavit* &c., hæc verba ita accipiunt Irenæus, Hermas, & Clem. Alex., quaſi Chriſtus apud inferos prædicaverit, & baptiſma contulerit: at S. P. Aug. Ep. 99. ad Ev. ea exponit de prædicatione Chriſti Spiritu divinitatis etiam incredulis facta tempore Noe, dum in carcere corporis detinerentur, quæ interpretatio eſt omnibus planior, eamque probat D. Th. 3. p. q. 52. art. 2., & immerito rejicitur a Bellarm. Dici etiam poteſt cum Damaſceno, aliiſque, Chriſtum poſt mortem prædicaſſe incredulis ad increpationem; ob varias ergo hujus loci expoſitiones temere aſſeritur, catholicum dogma e Platonica philoſophia derivaſſe.

Ob. IV. Illud: *Deſcendit ad inferos* omittitur in ſymbolo Nicæno, Antioch., Sardicenſi, C. Politano, Pelagii, Chariſii &c. atqui ſaltem Nicænum non omiſiſſet, ut probaret contra Arium, Chri-

ſtum animam habuiſſe; ergo &c. Ita Voſſius, & Clericus, quem jejune refellit Serryus. R. neg. min. Definiens enim Nicæna ſyn. Chriſti divinitatem contra Arianos oppoſuit *omouſion*, nec opus erat etiam addere, quod tota Ariana ſecta admittebat, hæc enim ſubſcribebat ſymbolo Ariminenſi, in quo expreſſe habetur Chriſti deſcenſus ad inferos. Nec male Rufinus ait, deſcenſum animæ ad inferos in verbis præcedentibus, *mortuus & ſepultus intelligi*, & ideo deeſt in Nicæno, Sardicen., Antioch. &c., extat in ſymbolo Epiphanii, & Cyrill., in quibus nil obſtat, aliquas particulas ſubſtantiam non immutantes occaſione hæreſum additas eſſe.

Articulus V. eſt: *Reſurrexit a mortuis.* In eo conveniunt omnia ſymbola. Nam ejus fidem firmarunt teſtes innumeri; milites nempe, mulieres, angeli, diſcipuli, Chriſtus ipſe *per dies* 40. *apparens eis.* Dicitur Chriſtus reſurrexiſſe *tertia die, non poſt tertiam diem*, nam triduum nondum erat completum, Chriſtum enim per tot horas jacuit inter mortuos, quot dies poſt reſurrectionem in terris permanſit, nempe 40. a veſperis feriæ ſextæ ad diluculum proximæ dominicæ. Diſſentiunt DD. in aſſignando triduo ſepulturæ ejus. Recte S. Leo ſerm. 1. de Reſur. ait: *Ad integrum diem pars primi noviſſima, & pars tertii prima cucurrit.* Similia habet S. P. l. 4. de Trin. 6. & Ep. 49. Ita unus dies totus, reliqui ſecundum partes præteriere. Hæc Eſtius in Matth. Nec obſtat illud Matth. 16. *Sicut fuit Jonas &c. tribus diebus & tribus noctibus*, eſt enim ea phraſis hebr. denotans dies naturales, atque ex Grotio idem eſt ac τεισὶ νυχθημέροις *per tria dienoctia*, quam phraſim etiam Eſtius agnoſcit. Chriſti reſurrectio ejus virtute *ponendi animam, & ſumendi eam* Jo. 10. peracta eſt. Ideo *reſurrexit* Chriſtus, non ſuſcitatus eſt, ut Lazarus Jo. 22. dicitur tamen Patrem Filium

lium ſuſcitaſſe, quatenus id tota Trinitas eſt operata. Surrexit autem in carne vera, ait S. P. Serm. 24. contra Apellitarum hæreſim, qui oppoſitum apud Tertullianum docuere.

Articulus VI. eſt: *Aſcendit ad Cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* In hoc etiam articulo ſymbola conveniunt, excepta voce *omnipotentis*, quæ in aliquibus deeſt. Aſcendit autem Chriſtus elevans, *quod ſuſcepit ex nobis, in Cælum*, ait S. P. de Symb. c. 7. nempe ratione humanæ naturæ, ſicut inde eam aſſumendo deſcenderat. Aſcendit autem Chriſtus virtute ſua, & Act. 1. dicitur, *aſſumptus eſt:* quo etiam ſenſu dicitur *ſuſcitatus.* Unde refellitur prædicta hæreſis Apellis, qui Chriſti corpus cenſuit in elementa reſolutum. Melius dictum eſt autem, *ad Cælos*, quam *in Cælum*, quamvis Nicænum habeat, *in Cælum*, ſignificans firmamentum, ac beatorum ſedem. Refellitur inde Seleucianorum opinio, qui Chriſti corpus ajunt in ſole locatum ex Pſ. 18. *In ſole poſuit &c.*, ſed hebræus legit: *Soli poſuit tabernaculum in eis*, id eſt in Cælis. *Sedere ad dexteram Patris* non innuit Patri ineſſe humana membra, ait S. P. de Fide & ſymb. 7. ſed dextera Patris ſignificat primo æternam felicitatem, ſecundo judiciariam Chriſti poteſtatem. Neque vox illa corporalem ſeſſionem ſignificat, ſed perennem habitationem, quo ſenſu dicimus: *In illa patria ſedit per annos tres.* Ita S. P. de Symbolo.

Articulus VII. eſt: *Inde venturus eſt judicare vivos, & mortuos;* quibus verbis hæretici refelluntur, qui contra aperta loca Matth. 16. Act. 17. Apoc. 20. judicium negant. Venturus eſt autem Chriſtus in aſſumpta humanitate ex Jo. 5. *Pater enim non judicat quemquam*, nempe ſecundum aſpectabilem formam, quam ſolus Filius ſibi copulavit. Particula *inde* ſignificat, judicem venturum de cælis; nulla ergo antichriſto, & pſeudo-prophetis habenda eſt fides ex ignoto loco prodeuntibus. Vid.

Matth. 25. Chriſti comites erunt Apoſtoli, Martyres, & Sancti omnes, velut judices aſſeſſuri arguentes exemplo improbos, probantes ſententiam judicis, & Chriſto ut ſummo regi adſtantes. De die autem judicii *nemo ſcit*, ait Chriſtus, nec noſtrum eſt *noſſe ejus tempora vel momenta*. Inſaniunt ergo qui ætatem mundi certo definire præſumunt. S. P. A. de Symbolo c. 8. per *vivos & mortuos* juſtos & peccatores intelligit, quo ſenſu etiam parvuli non baptizati erunt judicio ſiſtendi, de quibus plura l. 13. Quod ait Jo. 3.: *Qui non credit, jam judicatus eſt*, ſignificat, infidelibus gehennam jam eſſe ſtatutam, *quia non credunt &c.*, nec in judicio diſceptandum, cur reprobis accenſeantur; ferendam tamen ſententiam, eoſque pro qualitate peccatorum puniendos. Præcipuus judicii finis eſt Dei gloria, Chriſti exaltatio, & felix conſummatio Eccleſiæ principatus ex Ap. Cor. 15. Hinc rejicitur fatalis Gnoſticorum neceſſitas: non enim judicio ſubjicitur, quod libere non fit, ait Apol. 2. Juſtinus.

Articulus VIII. eſt: *Credo in Spiritum Sanctum.* Deeſt in Aquilejenſi credendi verbum, ſed extat in græcis, & in vetuſtis Gallorum, & Belgarum ſymbolis. Ubi deeſt, ſuppleri debet ex particula *et* appoſita Rufini ſymbolo. Repetitur autem *credo*, ut pateat, explicitam fidem in Spiritum S. neceſſariam eſſe ad ſalutem, ut conſtat ex Act. 19. Particula etiam *in* Spiritus S. divinitas ſignificatur, & in tribus perſonis *una natura, una potentia ſumma æqualitas, nulla diviſio*, ut ait ib. S. P. A. Ita refelluntur Macedoniani negantes Spiritus S. divinitatem. Sanctum vero dicimus, quia ejus inhabitatione remittuntur peccata, & anima ſanctitate exornatur: atque ita refelluntur tum Beza, qui ait, Spiritum S. æque ac in juſtis in ſceleſtiſſimis permanere, tum ii, qui negant juſtis inhærere juſtitiam.

Articulus IX. eſt: *Sanctam Eccleſiam Catholicam ſan-*

ſanctorum communionem. Aquilejenſe, & Orientalia non habent: *Catholicam &c.* ſed jure adjecta ſunt, extant enim in Alexandri ſymb. apud Theodoretum l. 1. c. 4., in utroque Symbolo Epiphanii in Ancor. Reliqua contra ſchiſmaticos ſunt appoſita, ſed omnia in voce *Eccleſiæ* continentur, nam ipſa eſt *ſancta, una, vera, catholica, contra omnes hæreſes pugnans &c.*, ut ait S. P. de Symb. ad Catech. Eccleſia ab ἐκκαλέω *evoco* eſt aggregatio fidelium, quos de tenebris gentium Deus evocavit in admirabile lumen ſuum, ut teneant eandem fidem, degant ſub eodem capite, atque eadem ſacramenta participent. Conſtat ergo, Eccleſiæ nomine nos credere unum Chriſtianorum cœtum a Chriſto inſtitutum, ab Apoſtolis per orbem evulgatum, non inviſibilem, nec privatis doctrinis occultum, ſed ſalutaribus fidei ac morum regulis, & certis caracteribus præditum: ideſt doctrina, ſacrificio, cultu, paſtorum regimine, ſanctitate, & vetuſtate; ergo non extat Eccleſia iſta apud Proteſtantes eam conſtituentes in occulto electorum cœtu, Apoſtolicæ cathedræ, & ſacerdotum miniſteria negantes, quique excogitatis ad nutum dogmatibus non Apoſtolos auctores habent, ſed apoſtatas, & ejectos.

II. Dicitur *ſancta*, I. ratione doctrinæ ſanctæ, II. ratione inſtitutoris ſanctiſſimi, qui nobis juſtitiam ac ſanctitatem confert, III. ratione ſacramentorum, quæ rite diſpoſitis remiſſionem peccatorum conferunt, & gratiæ augmentum. IV. ratione rituum, quibus Dei & ſanctorum cultus promovetur. V. ratione plurium fidelium, qui ſanctiſſime vivunt. III. Dicitur *Catholica*, ideſt univerſalis ac toto orbe diffuſa; non eſt ergo vera Eccleſia hæreticorum, qui in provinciarum angulis latitant, ut notat auctor ſerm. 181. de Tem. Apoſtolorum tempore Eccleſia Catholica dici poterat, quia accepto mandato prædicandi Evangelium in toto mundo Eccleſiæ amplitudinis firma ſpes iis acceſſit,

&

& expressa promissio. Catholica etiam dicitur, quia nemo, ubicumque degat, extra ipsam salvari potest, teste Cypr. de un. Eccl. IV. additur: *Sanctorum communionem*, quæ verba duo præcipue significant, nempe appellationem fraternitatis, quam invicem fovent catholici, & bonorum operum, quæ in Ecclesia fiunt, participationem. Auctor Serm. 181. refert etiam ad cives sanctorum, quibuscum societate, & spei communione tenemur, ut nos pro virili eos imitemur, illi pro nobis Deum orent.

Articulus X. habet: *Remissionem peccatorum*. Deest hic articulus in symb. Tertulliani, Irenæi, & Origenis: unde tempore Cypriani quidam esse receptum putant: habent tamen 4. vetusta symbola apud Dupinum. Proxime sequitur ex *Ecclesia*, cujus ministris data est potestas remittendi peccata. Credimus ergo in hoc articulo omnia prorsus peccata per baptismum deleri, ut docet S. P. Ench. 64., quo sensu Nicænum posuit: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Credimus etiam contra Basilidem, Montanum, & Novatum, peccata post baptismum patrata in Ecclesia remitti. Horum primus apud Clem. Alex. ait: remitti sola peccata involuntaria; alter, Hieronymo teste contra Jovin. ajebat, impossibile esse eos renovari per pœnitentiam qui sibi crucifixerunt Dei filium: postremus ex Epiph. Hær. Cathar. ajebat, nullam spem veniæ lapsis post baptisma relinqui. Nos vero dicimus, peccata ante baptismum commissa deleri sacramento regenerationis; quæ postea patrata sunt per sacramentalem absolutionem: venialia vero etiam quotidiana oratione, jejunio, & eleemosyna. Omnia vero supradicta peccata vere dimitti, non tegi dumtaxat contra Lutherum, & Calvinum docet Ecclesia, in qua etiam temporalis pœna baptizatis relaxatur per indulgentias.

Articulus XI. habet: *Carnis resurrectionem.* Nec de ejus vetustate ullus dubitat, nam carnis resur-

rectio

rectio ab initio Evangelii annuntiata est, ex Act. 17., & 1. Cor. 15.: *Carnis* dicitur, non *Corporis*, corpora enim sunt cælestia, terrestria, & aerea, caro autem *speciem* corporis designat: dicitur etiam a Damasceno l. 4. de Fi. 2.: *Nova ejusdem corporis suscitatio*. Refelluntur ex his Origenistæ, aliique opinantes, non carnem hanc redituram, sed corpus aereum. Hinc Rufinus, ut se purget ab hoc errore, affert Ecclesiæ suæ Aquilejen. Symbolum: *Credimus carnis hujus, quam contingimus resurrectionem* (1). Nota, resurrectionem negasse Sadducæos Act. 23., inter quos Hymenæus, & Philetus ex 2. ad Tim. 11. Basilides, Cerdon, & Apelles ex Tert. de Præscr. Valentiniani, Archontici, & Hierachitæ ex Aug. de Hær. n. 11. Aliique apud Vossium, unde Justinus ait: *Non solum a gentilibus, sed etiam ab hæreticis impugnari*, quos perstringit Tertullianus, Augustinus, Estius, Vossius &c., quibuscum sit

Propositio I. Expectanda est universalis corporum resurrectio.

Prob. I. Scripturis. Jobi enim 19. habetur: *Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea*, & Ps. 4.: *Numquid, qui dormit non adji-*

---

(1) Idipsum narrat Gregorius M. in hunc locum de Eutychio Patriarcha C. Politano, qui opinabatur, corpora nostra post resurrectionem subtiliora ac leviora ipso aere esse evasura; quæ opinio ab ipso Gregorio Magno tunc S. Rom. Sedis legato in urbe C. Politana tam valide confutata est, ut Eutychius ipse suum errorem agnoscens in ipso mortis articulo sumpta suæ carnis pellicula exclamaverit: *Confiteor, quod omnes in hac carne resurgemus.* Vide notam 113, quam Versioni Italicæ Jobi, de qua infra in Not. 2, inseruit vir doctissimus Jo. Baptista Talleonius Archidiaconus Eccl. Auximanæ pag. 116,

adjiciet ut resurgat? Is. 26.: *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent.* Ezech. 37.: *Ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de tumulis vestris, & scietis, quia ego Dominus, cum dedero spiritum meum in vobis, & vixeritis.* Dan. 12.: *Et multi de his, qui dormiunt in pulvere evigilabunt.* Os. 13.: *De manu mortis liberabo eos;* ergo &c.

Opp. Grotius, Mercerus, Vossius, & Rabbini complures. I. Jobi locum hebraice sic efferri: *Scio quod Redemptor meus vivit, & novissimo surget super pulverem, & postquam pellem meam corroserint hanc, rursus illa circumdabor:* ait ergo Job, posse Deum exeso corpori pristinam formam restituere. II. Isaias, & Ezech. explicantur a doctis viris de insperata Israelitarum liberatione, qui ob summas calamitates mortuis æquantur; ergo &c. III. Loca alia nunquam adversus Sadducæos ab antiquis Rabbinis prolata sunt; ergo non erant ad rem; ergo ex vet. Test. non probatur resurrectio mortuorum. IV. Immo plura ibi occurrunt opposita ut Ps. 1.: *Non resurgent impii in judicio*, & Ps. 77. homo dicitur: *Spiritus vadens, & non rediens.* Job. 14. *Lignum, si præcisum fuerit, virescit; homo vero cum mortuus fuerit, ubi quæso est?* Eccl. 3. *Unus interitus est hominum & jumentorum.* Sed hæc resurrectionem mortuorum evertunt; ergo &c.

R. ad I. neg. cons. Neque enim vulgata cum hebr. textu pugnat; siquidem verba illa: *Redemptor meus novissimo surget* &c. innuunt, ait Estius, quod surget ad suscitandum *sua præsentia mortuos in die judicii.* Deinde textum hunc ad Christum referri, qui resurrectione sua nostram repromisit, & Clarius scribit, & constat ex Græca, & Syriaca versione apud Walt. T. 3. p. 41. Prima ergo habet: *Scio, quia æternus est, qui me resoluturus est super terram ad resuscitandam cutem meam.* Secunda: *Ego scio, quod Salvator meus vivit, & in consummatione super terram appariturus.* Deinde hebr. נקף *nakaph* non solam corrosionem, sed omnimodam

modam destructionem significat, unde Anglorum versio apud Amama, *Etiamsi post pellem meam hoc corpus destruant*, & scholia Geneven. *Quand meme je seroy du tout consommé;* ergo Job non solam cutis instaurationem, sed etiam corporis consumpti resurrectionem sperabat. Præterea non solum Aug. l. 12. de C. D. 29. ait: *Job resurrectionem carnis prophetavit, sicut in exemplaribus, quæ in hebræo sunt, invenitur*, sed etiam Munsterus, atque Castalion (1). Vide auctorem.

Ad II.

(1) Ad refellendam Grotii, aliorumque Novatorum commentitiam interpretationem lubet hoc loco proferre alterius anonymi Calviniani sententiam, in libro, quem inscripsit: *Observationes Miscellaneæ in librum Job* Amstelodami an. 1758. Ubi auctor tam in examine oraculi celeberrimi Job. 19. vers. 25. 26., & 27., quam in observatione ad idem cap. 19. contendit, illud esse oraculum typicum, duosque habere sensus litteralem nempe, & mysticum æque a divino scriptore intentum. Primum quidem de *temporali liberatione*, alterum vero de *ultima* corporum *resurrectione*. „ Præclarum il- „ lud Oraculum (inquit „ loc. cit.) de certissima „ ultimæ resurrectionis „ spe accipi debere gra- „ vissimis rationibus evi- „ ctum dedit Thomas „ Scherlock contra Gro- „ tium, & alios. Quas „ rationes ambabus ulnis „ amplectimur, ea tamen „ lege, ut sensum libera- „ tionis præsentium ma- „ lorum, & instauratæ „ fortunæ non exclu- „ dant. „ Egregie pro more suo, utrumque sensum expressit vir cl. Marcus Antonius Talleonius Patricius Auximas in sua elegantissima Jobi Versione, quam Italico carmine adornavit, ac Domini nostri Papæ CLEMENTIS XIII. augusto nomini inscripsit ann. 1764., ubi laudatum Jobi locum ita reddidit:

Ad II. neg. conſ. Ut enim, ait in hunc locum Hieron. *Numquam poneretur ſimilitudo reſurrectionis ad reſurrectionem Iſraelitici populi ſignificandam, niſi ſtaret ipſa reſurrectio, & futura crederetur; quia nemo de rebus non extantibus incerta confirmat.* Idem oſtendit Tertullianus de Reſurrect. carn. c. 30. Danielis verba confirmantur a Chriſto Jo. 5., & Oſeæ locus repetitur 1. Cor. 15., ibique aptantur reſurrectioni; ergo &c. Ad III. neg. conſ. Veteres enim Rabbini ideo Sadducæos hiſce propheticis teſtimoniis non refellebant, non quod non eſſent ad rem, ſed quia *Sadducæi*, ut obſervat Hieron. in 22. Matth., *quinque tantum libros Moyſis recipiebant, Prophetarum vaticinia reſpuebant*, aut ſaltem pro canonicis non habebant. Eadem habet Tertull. de Præſcr. 45. Ad IV. neg. ant. Ad I. prob. diſt. ant. *Non reſurgent*, hoc eſt non conſiſtent, & cauſſa cadent,

---

So che il mio Redentor vive, e da queſte
Pene trarrammi; e ſo che al dì finale
Riprenderò la mia caduca veſte;
E che di nuovo della pelle fraie
Sarò coperto, e coll' antica ſpoglia
Preſenterommi al giudice immortale.

„ Hoc Θεσπεσίῳ carmine „ audito (ſubdit anony„ mus) quis adeo blen„ nus, aut ſtipes ſit, qui „ non ibi cernat carnis „ reſurrectionem, qualis „ in Evangelio expectan„ da proponitur, ad vi„ vum expreſſam? Aut „ non illico clamet, ſpi„ ritum ſe agnoſcere Pau„ linæ παῤῥησίας æmu„ lum: *Scio cui credide„ rim, & confido, quod „ potens ſit ſervare depo„ ſitum meum ad illam uſ„ que diem* 2. Tim. 1. 12. „ Adeo nempe hunc ſen„ ſum totius orationis „ δεινότης animo inſinu„ at, ut ad alterum dilu„ tiorem nonniſi συγκα„ ταβάσει quadam ac„ commodari, & depri„ mi potuiſſe cenſeatur. „ Hactenus egregie rem „ noſtram Anonymus.

dent, nec juftificabuntur, conc., hoc eft non revivifcent, neg. Ad II. Prob. dift. ant., & ibi defcribitur vita hominis fluxa vadens, nec radiens nifi divinitus, vel quia nulla fperanda eft ex gehenna redemptio, conc., fecus, neg. Ad III. R. Job non negare refurrectionem, quam affirmat c. 19. fed ait futuram conftituto tempore, & poft cælorum tranfitum. Ad IV. ait Eccl., nil mirum, fi in hac vita mali a bonis non difcernuntur, cum vix fit difcrimen homines inter, & pecudes, adeoque bonorum præmia manere poft mortem.

Prob. II. Ex nov. Teftamento Matth. 22. *De refurrectione mortuorum dictum eft, ego fum Deus Abraham &c. non eft Deus mortuorum, fed viventium.* Jo. 5. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis funt, audient vocem filii Dei &c.*, & c. 11. de Lazaro, ait Martha: *Scio, quia refurget in noviffimo die.* Act. 24. Paullus ait, a fe credi *refurrectionem futuram juftorum, & iniquorum:* & 1. Cor. 15. id probat, I. ex refurrectione Chrifti: *Si Chriftus refurrexit a mortuis, quomodo refurrectio mortuorum non eft?* II. Ex veritate Apoft. prædicationis: *Si Chriftus non refurrexit, inanis eft prædicatio noftra.* III. *Quia, fi in hac vita tantum in Chrifto fperantes fumus, miferabiliores fumus omnibus hominibus.* IV. A pari: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chrifto vivificabuntur;* ergo &c.

Prob. III. Ex traditione. Polycarpus apud Eufebium l. 4. H. E. 15. Deum laudat, quod fit cooptatus *in confortium Martyrum in refurrectionem vitæ æternæ animæ fimul & corporis.* Eandem veritatem profitetur Juftinus, Athenagoras, Tertullianus, Irenæus, Ambrofius, S. P. A., aliique.

Prob. IV. ratione. I. enim anima & corpus bona, aut mala opera exercet; ergo utraque debet five præmium, five fupplicium referre: *Caro* enim, ait Tertull. de Refurr. 7. *dum miniftra animæ deputatur, confors invenitur: fi temporalium, cur non æternorum?* Juftum eft enim, ait Gazæus, *animæ* [*fo*-]

 nis

nis corpus frui, cujus in adverſis ſocietatem non declinavit. II. Ex comparatione Adami cum Chriſto, ſicut enim ille mortem, ita iſte omnibus vitam promeruit. III. Ex Martyrum tolerantia &c.

Ob. I. Sadducæi: reſurrectio mortuorum eſt impoſſibilis; ergo &c. R. neg. ant. Ut enim ait S. P. lib. 22. de C. D. c. 5. cum ea ab univerſo orbe credatur, non eſt incredibilis; ergo nec impoſſibilis, non eſt enim Deo impoſſibile, quod eſt homini: huic enim impoſſibile eſt ſine ſemine animans produxere, quod potuit Deus. II. De facto ſuſcitavit Elias filium Sareptanæ, Eliſeus Sunamitidis, Chriſtus Viduæ, Jairi, & Lazarum, Petrus Thabitam, Paulus Eutychum; ergo &c. III. Idipſum fatentur Ethnici. Suſcitatum Armenium quendam ſcribunt Plato, Valerius, Plutarchus, aliique Reſuſcitatam mulierem narrant Heraclides, Diogenes, Galenus, Plinius. Idem contigiſſe Ariſtæo tradunt Herodotus, & Plutarchus: quas fabulas non ſcripſiſſent, ſi eas incredibiles putaſſent, ait Grotius l. 2. de Ver. 7. IV. Certa eſt Chriſti reſurrectio, eamque ex Judæis non negat Joſephus, Rabbi Jehuda, & Bechai. V. Ipſi Platonici putarunt, animas, poſtquam cum Diis requieverint, velle reverti ad corpora; ergo &c.

Ob. II. Platonici. Nequit terrenum corpus cælo conſiſtere; ergo &c. R. neg. ant. Poſſunt enim divina virtute immortalia corpora in cælis permanere, ut aves in aere; nam & homo terrenus ex aere vitam ducit. II. Cum Dei, aut dæmonis virtute Veſtalis aquam cribro continuit, & imbres in nubibus conſiſtunt penduli, cur non poſſunt corpora? III. Plumbum ita ab artifice diſponi poteſt, ut aquis innatet; ergo & corpus ita a ſummo artifice aptari poteſt, ut feratur in aera. His exemplis Platonicos refellit S. P. lib. 22. de C. D. c. 11.

Propositio II. Reſurrectio fiet in eodem corpore, quod diſſolvitur.

Prob. I. Ex reſurrectionis vocabulo oſtenditur, quod excidit, hoc reſurgere. II. Qui in monumen-

tis audient vocem Filii Dei, ſunt ipſa cadavera mortuorum; ergo in ſua carne reſurgent. III. Chriſtus ex Ambroſio l. 2. de Sacr. 6. invenit reſurrectionem, *ut redintegraret cæleſte beneficium, quod fraude fuerat ſerpentis amiſſum;* ergo &c. IV. Non omnes immutabimur ex Ap. ibidem; multi enim in ictu oculi requieſcent & reviviſcent, ait S. P. l. 20. de C. D. c. 20. ſed hi in ſuo corpore ſurgent; ergo & alii. V. Chriſti reſurrectio eſt typus univerſalis, ſed Chriſti ſuſcitatum eſt idem corpus, ergo & omnium. VI. Hoc, non aliud corpus fuit cum anima paſſionis ſocium, aut gaudii; ergo & iſtud pœnæ ſervatur, aut gloriæ.

Ob. I. Corpus in cineres eſt reſolutum; ergo nequit in priſtinum reſtitui. II. Quædam corpora mures, feræ, aut piſces vorarunt, eaque in carnem aliorum animantium verſa ſunt; ergo &c. III. Cui bono ſuſcitatio abortivorum, & monſtrorum. IV. Nullæ ultra erunt nuptiæ; ergo fœminæ non reſurgent. V. Idem corpus eoſdem haberet humores peccantes; ergo eſſet corruptibile. VI. In altera vita nullæ erunt epulæ & carnis voluptates; ergo nec membra.

R. Hæc omnia Dei omnipotentiam non excedere. Ad I. neg. conſ. Sicut enim ſemen, ubi corruptum & mortuum fuerit, radices figit, emittit florem, reſuſcitatque extinctum triticum, ita ex Ap. ibid. *Seminatur corpus animale, ſurget ſpiritale.* Ad 2. neg. conſ. Nihil enim iſtorum eſt, *quod omnium Creatoris aut lateat cognitionem, aut effugiat poteſtatem*, ait S. P. lib. 22. de C. D. c. 20. Et S. Paulinus de Obitu Celſi: *Sed licet e membris in humum tranſmiſſa ferinis, membra hominum vivo ſemine ſalva manent.* Ad III. R. S. P. ib. 14. abortiva, ac monſtra integris membris, atque ætate perfecta Dei poteſtate ſuſcitanda: *Hunc enim perfectionis modum habent latenter in ſemine, cum etiam natis nonnulla adhuc deſint.* Ad IV. neg. conſ. Non eſt enim *vitium fœmineus ſexus, ſed natura.* Neque ex earum aſpe-

ctu consequetur libidinis oblectamentum. *Nam prius quam peccassent, nudi erant, & non confundebantur vir & fœmina; corporibus ergo illa vitia detrahentur, natura servabitur*, ait S. P. ib. Ad V. neg. sequelam; Quamvis enim plura corporis membra, ut alvus, & ubera pristina non exercebunt officia, aderunt tamen ad corporis ornamentum: hinc Prudentius in Apoth. *Qui modo vivit, erit, nec me vel dente, vel ungue fraudatum revomet patefacti fossa sepulcri.* Ut enim ait Tertull. c. 60. *Omnis compago pristina necessaria est navis saluti, licet vacaturæ.*

Propositio III. Corpora resurgentium bonorum æque, ac malorum erunt incorruptibilia, non erunt tamen utrisque eædem affectiones.

Prob. I. pars. Ex Ap. 1. Cor. 15. *Mortui resurgent incorrupti*, quæ verba de omnibus *tam bonis, quam malis* intelligenda esse ait D. Thom. l. 4. contra Gent. 89. ergo &c. II. ex fine, nempe ut ii transferantur in vitam, aut in mortem æternam, pro ratione meritorum, ut habetur Matth. 25.

Prob. II. pars. Nam præter incorruptionem, & immortalitatem utrisque communem, I. Corpora Sanctorum comitatur decor & venustas, de qua Ap. ib.: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria;* Deus quippe *reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*: quod pulchre explicat Gazæus exemplo artificis, qui statuam æream Achillis minutissime confractam denuo conflat, & expurgat in aurum, & inducta priori forma aureus apparet Achilles, qui fuerat æreus. II. Erunt etiam corpora beatorum mirabili prædita agilitate, de qua Ap. ibi: *Seminatur in infirmitate, surget in virtute*, & S. P. ib. c. ult.: *Ubi volet spiritus, ibi protinus erit corpus.* III. Iisdem quoque erit subtilitas, de qua Ap. ibidem; *Seminatur corpus animale, surget spiritale*, ubi innuitur puritas, vis penetrandi, & perfecta subjectio spiritui: unde tranquillitas, impeccantia &c.; carebunt ergo beatorum corpora opacitate, pondere, & corruptione.

Dices: Christus post resurrectionem suam manducavit, & cicatrices ostendit; ergo non erat incorruptibilis. R. cum Aug. dist. ant. Manducavit &c. ex egestate, aut infirmitate, neg., ex potestate, & caritate, conc. Hoc sensu etiam angelos incorruptibiles ab Abraham, & Tobia hospitio susceptos manducasse scriptura testatur. Exhibuit etiam cicatrices, ut sanaret vulnus incredulitatis. Sed de qualitatibus corporis gloriosi dictum satis. Ut de corpore damnatorum nonnulla dicamus, observat S. Thomas, ea nec spiritalia fore, nec agibilia, sed ponderosa, ac passionibus subjecta: non lucida, sed tenebrosa. Nam & ipsa anima carnis affectiones experietur, erit a Deo aversa, cruciatibus subjecta, & a lumine divinæ cognitionis aliena.

Articulus XII. habet; *Vitam æternam*, quibus verbis damnantur Epicurei negantes animæ immortalitatem, Pythagorici fluxum perpetuum vitæ, & interitus admittentes, Gnostici merita negantes, Origenistæ finem supplicii reproborum statuentes. Evangelio ergo credimus, quod habet Matth. 25.: *Et ibunt hi* (impii *in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.*

LIBER XXIII.

De Theologalium virtutum officiis.

POSTQUAM profanæ religionis vanitatem, & Christianæ soliditatem superiori libro spectavimus, danda est opera, ne fides nostra sit inanis & vacua: sed vividæ spei, & caritati conjuncta. Cujus rei gratia quomodo credere, sperare, ac diligere oporteat sedulo investigandum. Erit itaque hujus libri triplex dissertatio, de fide nempe, spe, & caritate.

DISSERTATIO I.

De Fide.

AGemus hoc loco de fidei nomine, definitione, ac objecto, tum de ejus analysi ac norma, tandem de ipsius necessitate, ac subjecto.

CAPUT I.

De Fidei nomine, definitione, & objecto.

FIDEI nomen a *fio* derivat Tullius l. de Off., eo quod fiat, quod dictum est: eoque nomine significatur a Latinis promissorum constantia, auctoritas, fiducia, atque veracitas. Hinc fidem dare, fidem fallere, liberare, tribuere &c. Hic autem accipitur pro animi qualitate, qua firmissime assentimur iis, quæ a Deo sunt revelata, de qua Gen. 15.: *Credidit Abraham* Deo &c. Definitur in scholis: *Virtus divinitus infusa, per quam intellectus firmiter assentitur iis, quæ a Deo revelata sunt propter ipsius revelantis auctoritatem.* Ab Apostolo autem Hebr. 11.: *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium;* quam definitionem *descriptivam* esse, non essentialem Juenin, & minus accuratam l' Herminier immerito existimant. Sit ergo

Propositio. Apostolica fidei definitio essentialis est, & accurata.

Prob. Fides enim loc. cit. dicitur ab Apostolo: ἐλπιζομένων ὑπόστασις *hypostasis*, *subsistentia*, sive *substantia* dicitur fides triplici titulo. I. Quia adeo firmam rerum sperandarum persuasionem gignit, ac si præsentes ob oculos versarentur; ergo *substantia* dicitur metonymice, quasi *virtus faciens subsistere in intellectu*, ut explicat Chrysostomus, aliique; ergo idem affirmat Apostolus per *hypostasim*, quod allata definitione Scholastici. II. Vox illa significat, quod fides sit spei nostræ *basis & fundamentum;* ergo fidei virtus non est fiducia illa, quæ est actus spei, & fidem præexistentem supponit.

III. Sub-

III. Subſtantia dicitur, quia eſt inchoatio beatitudinis: & ſicut ſubſtantia eſt qualitatum ſubſtratum, ita fides eſt prima virtus, cui aliæ ſuperadduntur. Nomine *rerum ſperandarum*, intelligitur fidei objectum, Deus nempe, gloria, reſurrectio &c. Additur: *Argumentum non apparentium*, ubi ἔλεγχος, non ſolum indicium, ſed firmam perſuaſionem exprimit, aſſenſumque firmiſſimum; ergo &c.

Opp. L' Herminier. Ap. ibi non explicat fidei naturam per genus, & differentiam; ergo &c. Pr. ant. Quod enim dicatur: *Sperandarum rerum ſubſtantia*, commendatur fides, non definitur; cum idem ſit, ac baſis ſpei chriſtianæ. II. Fides non ſe extendit ad res ſperandas tantum, ſed etiam ad timendas, ut infernum &c. III. Fides ſe extendit etiam ad evidentia, ut eſt Dei exiſtentia &c.; ergo &c. R. neg. ant. Ad prob. neg. ant. *Hypoſtaſis* enim ibi metonymice accipitur, nec ſolum ſignificat ſpei baſim, ſed etiam virtutem, quæ cauſſa eſt illius firmiſſimæ perſuaſionis, ut ſupra dictum eſt. Ad II. neg. conſ. Ideo enim Apoſt. addidit: *Argumentum non apparentium*, ut oſtenderet, plura ad fidem ſpectare; quæ non apparent. Ad III. diſt. ant. Fides ſe extendit ad evidentia, prout creduntur ob ſolam Dei revelantis auctoritatem, conc., prout argumentis oſtendi poſſunt, nego.

Quæres I. an aſſenſus hujuſmodi ſit liber, ſupernaturalis, ac diſcurſivus? R. affirmative: alia eſt enim evidentia divinæ revelationis, alia objecti, & rei revelatæ, ex. gr. Trinitatis, & Incarnationis myſterii. Liber eſt ergo aſſenſus fidei, quia, licet explorata ſit Dei revelantis auctoritas, objectum tamen non eſt evidens, ſed impervium, & obſcuriſſimum. Eſt etiam ſupernaturalis, tum quia nullo rationis lumine Deo non revelante fidei myſteria poſſunt apprehendi, tum quia ejus certitudo nulli naturali momento innititur, ſed Apoſtolicæ prædicationi &c. eſt denique aliqualiter diſcurſivus, quia ab evidenti Dei revelatione, alias infert

fidei veritates. Sequitur etiam ex dictis, objectum *materiale* fidei esse omnem veritatem a Deo revelatam, quæ, si obscura sit, est objectum fidei necessario & per se, ut Trinitatis mysterium, si vero sit evidens, ut Dei existentia, est objectum fidei per accidens.

Quæres II. an fidei objecta creverint successu temporis? R. cum distinctione, si objecta fidei quoad substantiam intelligantur præcipua mysteria aut *implicite*, aut *explicite* credenda, eadem semper fuere: omnes enim PP. veteris testamenti, ab Adam usque, in Deum, & in futurum mediatorem credidere, licet non adeo aperte revelatum esset Trinitatis, & Incarnationis mysterium; ideoque *tempora variata sunt, non fides*, ait S. P. Tr. 45. in Jo. Si vero objecta fidei accipiantur *explicite*, certum est usque ad Apostolos semper crevisse, plura enim per Moysen & Prophetas, plura per Christum sunt revelata; nec tamen credendorum substantia est immutata: sed veluti semen, quoad substantiam non est immutatum, cum in plantam & ramos excrevit decursu temporis. A tempore autem Christi, & Apostolorum, quos Spiritus S. *omnes veritatem* edocuit, quidquid a Romanis Pontificibus, aut plenariis Conciliis decernitur, ex scripturis, aut Apostolica traditione decernitur.

Dices: non semper spectavit ad fidem, e. g., Judæ Epistolam esse canonicam, animas Sanctorum statim post mortem Deo frui, Tridentinam synodum esse œcumenicam &c.; ergo &c. R. neg. conf. Nam propositiones universales circa scripturarum canonem, beatorum statum &c. semper in Ecclesia obtinuere, licet ab aliquibus sint in dubium revocatæ: particulares vero ex universalibus deducuntur: ita ex quo œcumenicum sit omne concilium plenarium, & legitime convocatum, sequitur talem esse synodum Tridentinam: ex quo Rom. Pontifex canonice electus sit Petri successor, sequitur talem esse Clementem XIII. feliciter regnantem.

Quæres

Quæres III. quodnam ſit objectum fidei *formale.* R. eſſe ſummam Dei veracitatem, ſive Deum ipſum, in quantum fallere, & falli neſcius eſt. Revelatio autem eſt medium, per quod nobis ea, quæ credenda ſunt proponuntur.

Quæres IV. Quomodo fides dividatur. R. dividi fidem in *actualem* & *habitualem*, illa eſt actualis aſſenſus revelatis per gratiam exhibitus: hæc vero eſt permanens in anima affectio, per quam fideles dicimur, licet non ſemper actus fidei eliciamus. Fides ergo etiam in pueris, & dormientibus extat, nec ullo peccato deletur, niſi infidelitate, vel hæreſi. Dicitur tamen ſine caritate fides *informis*, quia caritas forma eſt, & perfectio aliarum virtutum. Fides autem caritati conjuncta dicitur fides *formata.* Tandem prout fides in juſtificatione cum ſpe & caritate inſeritur, ut in baptiſmo, dicitur *infuſa*, prout repetitis actibus roboratur, dicitur *acquiſita*: ſi per dilectionem operatur, *viva* eſt, ſine operibus, *mortua eſt.*

CAPUT II.

De fidei reſolutione, & analyſi.

NOT. I. Scholaſtica diſputatio de reſolutione fidei inter catholicos facile dirimitur, ſi diſtinguantur motiva credendi, objectum *formale*, judex credenda proponens, & regula ab ipſo judice adhibita, nempe Dei verbum ſcriptum, ac traditum. Reſolvitur ergo fides I. in motiva credibilitatis, ut in præviam diſpoſitionem, ut certus ſim revelationis divinæ. Reſolvitur II. in auctoritatem divini teſtimonii, tamquam in objectum *formale* fidei, cujus cauſſa aſſenſus redditur fixus, & ſtabilis. Reſolvitur III. in divinam revelationem, ut medium, per quod credenda Eccleſiæ innoteſcunt. IV. reſolvitur in auctoritatem Eccleſiæ, ut vivum judicem controverſiarum fidei.

Not. II. Arduam eſſe quæſtionem hujuſmodi, ſi contra hæreticos diſputemus: hi enim totum fidei

cardinem in humana ratione conſtituunt: eaque de ſcripturis, eorum ſenſu, aliiſque fidei capitibus abſolute definiunt. Tales fuerunt olim Manichæi, Abaelardus, & nunc Sociniani. Alii unam fidei regulam ſacram ſcripturam agnoſcunt privato ſpiritu cuique Deo docente perſpicuam, rejectis Apoſtolicis traditionibus, & Eccleſiæ decretis: contra quos ſit

Propositio I. Statui nequit fidei norma in ſola humana ratione.

Prob. I. Scripturis. Matt. 11. Chriſtus ait: *Abſcondiſti hæc a ſapientibus, & revelaſti ea parvulis*, & ib. *Caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus.* Apoſt. 1. Cor. 2.: *Sermo meus non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus.* Et 1. Theſſ. 2. Deo gratias agit, quod fideles prædicationem acceperint, *non ut verbum hominum, ſed ſicut eſt vere verbum Dei:* Ex quibus ſic arguitur: Fidei arcana latent ſapientes, & eruditos, revelantur illiteratis, & parvulis, nec dialecticis artificiis, ſed vi & efficacia divini verbi. Sed non ita eſſet, ſi naturalis ratio eſſet rerum credendarum regula, & norma, ergo &c.

Prob. II. Ex PP. Baſilius hom. 19. in Pſ. 115. fidem vocat: *Aſſenſum nulla prævia inquiſitione nitentem.* S. P. Aug. Tr. 40. in Jo. *Credimus, ut cognoſcamus, non cognoſcimus, ut credamus: quid enim eſt fides, niſi credere, quod non vides?* Athanaſius de ſalut. adv. *Non enim fides de re evidenti concepta fides dici poterit.* Ambroſius l. 1. de Abr. 3. ait: *Rationem præveniat fides.* Greg. M. hom. 26. in Ev. *Nec fides habet meritum, cui ratio præbet experimentum.*

Prob. III. ratione. I. Fides ex Apoſtolo eſt: *Argumentum non apparentium;* ergo &c. II. Fides aut probabilibus argumentis expenditur, aut demonſtrativis; ſed illa gignunt hæſitationem, non *firmiorem propheticum ſermonem;* hæc fidei meritum tollunt; ergo &c. III. Plura ſunt mirabilia, *de quibus*

bus ratio reddi ab homine non poteſt, ait S. P. Aug. lib. 21. de C. D. c. 5., *& ipſi rationi naturæ videntur contraria, & tamen ſunt*, ut quod narrant de Agrigentino ſale, qui in igne fluit, in aqua crepitat, de fonte Debris noctu fervido, die vero frigidiſſimo. Sed hæc falſa eſſent, niſi ea credenda eſſent, quorum rationem reddere non poſſumus; ergo &c. IV. Nemo eſt, qui certa ratione demonſtrare poſſit, hunc non illum eſſe patrem ſuum, ſed talem credit interpoſita matris auctoritate; hanc vero obſtetricibus famuliſque enuntiantibus, qui ſane filium furari poterant, ſpuriumque ſupponere: quanto ergo magis Eccleſiæ falli ac fallere neſciæ credendum eſt, licet myſteria omnia ratione percipi nequeant? V. In oppoſita ſententia non eſſet laudanda aut Abrahæ fides, qui contra ſpem in ſpem credidit, aut B. M. V. quæ Angelo nuntianti rationem fide præveniens humilem præbuit aſſenſum, aut Apoſtolorum, qui ad nutum ſecuti ſunt Dominum: Laudandus eſſet Zacharias, qui fidem ratione tentavit, nec increpandi diſcipuli non credentes Chriſti reſurrectionem, ſed hoc eſt abſurdum; ergo &c. Ita S. Bernardus contra Abaelardum, & Ap. Hebr. 11., ubi fidem ex actis vet. PP. mirifice laudat.

Ob. Eccl. 19. habetur: *Qui cito credit, levis eſt corde*, & Jo. 1. Ep. 4: *Probate Spiritus, ſi ex Deo ſint;* ergo ratio norma eſt credendorum. Adde Catholicos ad Eccleſiæ auctoritatem confugere, ut plebem ſuperſtitione deterreant, ut myſteriorum nomine abſurda animis inſerant, ut aciem ingenii efficta imagine religionis perſtringant; ergo &c.

R. Ad I. neg. conſ. Aliud eſt enim requiri rationis criterium in eligenda religione, aliud nihil eſſe credendum, niſi quod ratione percipitur: certe, ſi alicui Chriſti fides annuntiaretur, ei revocanda eſſent ad rationis normam motiva credendi, ut prudenter ſe gereret; non deberet tamen religionem contemnere, quia plura deprædicat, quorum cauſſa reddi non poteſt. Eccleſiaſticus autem *non de fide in*

in Deum, ſed de mutua inter nos loquitur credulitate, ait cit. loco Bernardus. Joannes loquitur de pſeudo-prophetis, qui Chriſtum in carne veniſſe negabant. Horum placita rationis trutina penſanda ſunt, ſed religione perſpecta, ejus dogmata, quantumvis ſublimia, firmiſſime ſuſcipienda ſunt, non ad normam penſanda laſcivientis ingenii. Ita Apoſtoli perſpecta per ſigna, & virtutes Chriſti divinitate, ſe illi fidei merito ſubjecere. Ad II. Neg. ant. Hæc enim hæreticorum calumnia eſt, quam contra Honoratum Manich. perſtringit S. P. A. c. 7. *Nulla imbutus poetica diſciplina Terentianum Maurum ſi ne magiſtro attingere non auderes, tu in eos libros ſine duce irruis, & de his ſine præceptore audes ferre ſententiam?* Iiſdem verbis urgeri poſſunt Sociniani.

CAPUT III.

De altera hæreticorum norma fidei, nempe ſcriptura, ac privato ſpiritu.

NOT. I. Docent hæretici, ſacram ſcripturam adeo eſſe apertam, ut quiſque etiam rudis ejus dogmata nullo declarante aſſequatur, maxime ad ſalutem neceſſaria: eaque obſcura quidem eſſe ſuperbis, non autem humilibus, qui ſpiritu Dei aguntur: quod ergo abſtruſum alicubi invenitur, alio ſcripturæ loco ajunt dilucide contineri: difficultatem denique non rerum eſſe, ſed verborum, quæ proinde linguarum græcæ, & hebraicæ peritia facile vinci poteſt. Catholici contra negant, ſolam ſcripturam ſat eſſe ad controverſias fidei dirimendas; ac temere aſſumi munus interpretandi ſcripturas Eccleſiæ auctoritate neglecta.

Not. II. Hæreticos ſcripturæ perſpicuitatem aliam externam agnoſcere in verbi miniſterio, & ſcripturæ propoſitione; aliam internam in ſcrutatione fidelium, ac per illam omnia producta eſſe in lucem apertiſſimam, hanc vero modo eſſe enthuſiaſmum, modo divinam inſpirationem. Ita Jacobus Piceninus in Triumph. c. 2.

Not.

Not. III. Nos cum hæreticis ſacra biblia tamquam fidei normam agnoſcimus, ſed illi normam ipſam, & judicem imperite confundunt abuſi auctoritate Auguſt. in Pſ. 21. ubi S. D. utrumque accurate diſtinguit allata comparatione litigantium inter teſtamentum, & judicem; nos ergo & ſcripturam eſſe fidei normam, licet non unicam profitemur, eſſe normam ſimul, & judicem denegamus. Sit ergo

Propositio I. Scriptura non eſt adeo aperta, ut ſola ad omnia dogmata definienda ſufficiat.

Prob. I. Scripturis. Nam Pſ. 118. David fidelis, & humilis ait: *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua*, & infra: *Da mihi intellectum & ſcrutabor legem tuam.* Lucæ 24. *Jeſus incipiens a Moyſe, & prophetis interpretabatur in omnibus ſcripturis* duobus diſcipulis Emmauntis. Act. 8. Spado Candacis rogatus a Philippo, num Iſaiæ locum intelligeret? R. *Quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi?* Sed dici nequit, aut Davidem virum ſanctiſſimum, aut duos diſcipulos de Chriſti morte triſtatos, aut eunuchum diſcendi cupidum, & ſacrorum librorum cultorem fuiſſe ſuperbia tumidos, aut omni fide deſtitutos: neque perculſos tantum difficultate verborum, cum linguam callerent hebraicam; ergo &c.

Nec dicas, iſtos nondum in fide corroboratos: 1. enim de Davide hoc dici nequit, 2. licet Spado, & diſcipuli non omnia myſteria firmiter percepiſſent, ſcripturam tamen eſſe Dei verbum fatebantur; cur ergo prophetarum oracula iis non fuerunt aperta? Ac ſi in fide nutantibus plura videntur ambigua, hi nullo modo trahentur ad fidem: non verbi miniſterio, quod nondum aſſequuntur, non revelatione, quæ per hæreticos ſæpe eſt falſa deceptio; ergo &c. Nec dicant, ſcripturarum perſpicuitatem apparuiſſe poſt Evangelii promulgationem, nam Apoſt. 2. Cor. 3. oppoſitum docet, ait enim? *Uſque in hodiernum diem, cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum.* Et Petr. 2. ep. 3. ſcri-

fcribit, in Pauli epiftolis effe *quædam difficilia intellectu, quæ indocti depravant, ficut ceteras fcripturas*; ergo etiamnum perfeverat, abfque alio lumine obfcuritas fcripturarum.

Prob. II. ex PP. Nam præter Clementem Alex., Origenem, Bafilium, aliofque a Coccio laudatos, S. P. A, quo abutuntur hæretici Pf. 140. ait: *Sunt in fcripturis profunda myfteria, quæ abfconduntur ne vilefcant, quæruntur ut exerceant, aperiuntur ut pafcant.* Et l. 2. de Doct. c. 6. ait: in facris literis *obfcure quædam dicta denfiffimam caliginem obducunt. Quod provifum effe divinitus non dubito, ad edomandam labore fuperbiam, & intellectum a faftidio revocandum, qui facile inveftigata vilefcunt.* Et ep. ad Voluf. 127. ait: *Tanta eft chriftianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, fi eas folas a pueritia ad decrepitam fenectutem fummo ftudio conarer addifcere.* Idipfum fatentur parum fibi conftantes Lutherus, Vitacherus, Brentius, Kemnitius, aliique; ergo &c.

Prob. III. ex ipfis hæreticorum effugiis: ajunt enim I., obfcuritatem fcripturæ verborum effe non rerum; atqui S. P. ib. ait: *Tanta non folum in verbis, fed etiam in rebus latet altitudo fapientiæ, ut acutiffimis contingat, quod eadem fcriptura habet: cum confummaverit homo, tunc incipiet*; ergo &c. II. in eo Evangelii teftimonio: *Hoc eft corpus meum*, nullum verbum obfcurum eft, atqui in ejus intelligentia convenire non poffunt Lutheri, aut Calvini difcipuli; ergo &c. Idem dicendum de iis: *Verbum caro factum eft*, & de aliis: *Arbitramur juftificari hominem per fidem*; de illis enim Neftoriani, & Eutychiani, de his novatores, & catholici invicem digladiantur. Ajunt II., unum fcripturæ locum ex alio innotefcere, atqui fæpe invicem pugnare videntur; ergo viget adhuc mentis perplexio. III. ajunt, veritatis lucem humilibus affulgere, atqui incertum eft, an infit nobis fpiritus humilitatis, an præfumptionis; ergo &c.

Prob.

Prob. IV. ex Ordine Eccleſiæ. Niſi enim Deus Eccleſiæ ſuæ ſcripturæ interpretationem commiſiſſet, nemo inter paſtorem & gregem diſcerneret, omnes doctores eſſent, ac interpretes, ſed Apoſtolus 1. Cor. 12. ait: *Numquid omnes doctores, numquid omnes interpretantur?* ergo &c. Reapſe nulla hæreticorum ſecta potuit hactenus tenere unitatem, quia iſte ad hunc ſenſum, ille ad alterum eadem verba detorquens, dogmata pro libito evertit. II. Scripturæ dignitas poſtulat, ut fidei myſteria abſque arrogantia credantur; quod Lutherus ipſe confeſſus eſt; ergo &c.

Propositio II. Fidei controverſiæ ſolis ſcripturis dirimi nequeunt.

Prob. I. Ex ipſa de ſcripturarum canone controverſia apud Aug. l. 11. contra Fauſt. 2.: *Si non de aliqua* (ſcripturæ) *particula, ſed de toto* (teſtamento) *audies contradicentem quid ages? Quam libri originem, quam ſeriem ſucceſſionis teſtem citabit? .. Vides in hac re quid Eccleſiæ valeat auctoritas &c.*; ergo &c. Item ſi de autographia unius libri, aut textus lis oriatur, aut ſi a diſputantibus varii teſtus citentur, & unus neget auctoritatem alterius, quomodo poteſt hæc diſceptatio componi? ergo &c. III. nulla ſcriptura eſt, qua, e. g., Bartholomæi, & Nicodemi Evangelia, Barnabæ Epiſtola, Petri Apocalypſis &c. accenſeri poſſit apocryphis: ergo &c. IV. Si detur veteres libros poſterioribus comprobari, iſtorum auctoritas unde probatur? Hinc Athanaſius in Syn. rejicit Thomæ Evangelium: *Quia non eſt in catholico canone*, & S. P. A. Pauli Apocalypſim, quia *Eccleſia ſana non recipit*: e contra libros Machabæorum ab hæreticis rejectos auctoritate retinemus, juxta regulam S. P. A. l. 11. de Doctr. 8. V. Hæretici aliquos libros rejiciunt, quod non ſint in canone Judæorum, Synagogæ ergo tribuunt auctoritatem, quam negant Eccleſiæ. VI. Vel Eccleſia eſt hujus controverſiæ judex, vel non: ſi primum, cur ad ſolam ſcripturam heterodoxi

doxi nos provocant? Si secundum, cur ad veterem Synagogam, & ad Ecclesiam trium priorum sæculorum appellant?

Prob. II. Ex scripturarum interpretatione. Etenim hæc verba: *Hoc est corpus meum* literaliter accipiunt Lutherani, Calvinistæ autem figurate & symbolice, atqui si ex sola scriptura lis ista dirimitur, hæretici eundem sensum & dogma unanimiter propugnarent, quod non fit; ergo &c. Deinde, si allati textus sunt ambigui, cur alii non proferuntur tam aperti, ut adversarius acquiescat? Sed etsi proferantur, cur, inquiet Calvinista, affert adversus me scripturam Lutheranus, si ipse scripturæ sensum non percipit? Cur eam mihi exponit, cum mihi obvia sit expositio? Eadem Lutheranus objiciet Calviniano, sicque nullus erit dissidiorum finis.

Prob. III. ex distinctione judicis, & normæ. Sicut enim inter duos litigantes neuter jure bona testatoris acquirit, si aut unus neget producta instrumenta, aut ex his petat caussæ suæ patrocinium, nisi sit judex vivus, qui normam, seu testamentum expendat, dissidentes audiat, & sententiam pronuntiet; ita dignosci nequit ad quos spectet Ecclesia, & hæreditas Christi, si Dei testamentum proferimus, quod utrique ut fidei normam recipimus: *Tamdiu*, ait S. P. Ps. 21., *contenditur de hæreditate, quandiu testamentum proferatur in publicum.* Judex *audit, advocati sedent, populus suspensus est &c.*, ubi S. P. aperte *judicem a testamento* secernit, quidquid Piceninus obganniat.

Prob. IV. ex sacra & Eccl. Hist. Nam Deut. 17. non ad scripturas remittuntur dissidentes, *sed ad sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui erat illo tempore*, ut non solum de ritibus sententiam ferrent, ut contendunt hæretici, sed etiam de controversiis fidei, *de lege* nempe, *& justificationibus*, ut habetur 2. Paral. 19. Hinc Josephus contra App. l. 2. ait: *Omnium rerum judices constituti sunt sacer-*

cerdotes. Antiocheni orta controversia de circumcisione non ad scripturam appellarunt, sed ad Apostolos, qui se hujus controversiæ judices declararunt, dicendo: *Visum est Spiritui S. & nobis.* Eadem via anno 198. caussa Quartodecimanorum finita est. An. 255. damnati sunt Novatiani. An. 266. Samosateni. An. 325. Ariani. An. 431. Nestoriani, quid plura? nulla hæresis proscripta sola scriptura & sine vivo judice lis nulla finita est.

Propositio III. Privatus spiritus non est idoneum de fide judicium.

Prob. I. enim incertum est, num hic spiritus a Deo sit; & prophetas esse, *qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident*, habetur Ezech. 13. Apostolus etiam 1. Cor. 12. negat, singulis dari *interpretationes sermonum*; ergo &c. Adde, spiritum hæreticorum esse spiritum præsumptionis, cum sibi tribuant, quod Christus supremis Ecclesiæ rectoribus repromisit; ergo interpretatio facta privato spiritu est temeraria, adeoque suspecta. Sed etsi fieret divino spiritu afflante, non esset tamen ad faciendam fidem idonea, nisi accedente Ecclesiæ approbatione: Apostolus enim, qui per *revelationem J. C.* acceperat Evangelium, illud tamen cum Apostolis contulit: *Ne forte in vacuum curreret*, ait ad Gal. 2. Hinc S. P. A. ait, quod *Ecclesia illi* (Paulo) *omnino non crederet, si non inveniret Apostolos, cum quibus conferendo Evangelium, ejusdem societatis esse appareret.* Ex quibus sic arguitur: spiritus privatus aut est mendacii, aut veritatis; si primum, ineptus est ad judicium; si secundum, debet ab Ecclesia dijudicari; ergo &c.

II. Privatus spiritus aut omnibus communis est, aut peculiaris: Si primum, cur non conveniunt in singulis fidei dogmatibus hæretici, & scripturas tam diversimode exponunt? Si secundum; ergo huic spiritui fidem substernere est libertatem cuique facere, quod magis libet comminiscendi; nam quod libuit commentus est Lutherus, Zuinglius,

 Osian-

Osiander &c. Deinde privatus ille spiritus, cum aliis alia dictet, non divinus spiritus est, sed humanus; ergo & errori obnoxius. Ad hæc, cum per Novatores privato spiritu careant infideles, ad fidem adduci non poterunt nec prædicatione, nec scripturæ lectione, Dum enim audiunt, aut legunt: *Unum in trinitate Deum &c.* hærebunt animo; ergo ut credant, postquam Ecclesiam certis indiciis detexere, debent se ejus auctoritati imbuendos committere. Uno verbo, privatus spiritus fallax est, non communis, non sibi constans, hominum opinioni se attemperans, varius, levis &c.; ergo nequit aptum esse de fide judicium.

III. Scripturæ, nonnisi Spiritus S. lumine possunt intelligi, atqui nequeunt hæretici ostendere, privatum spiritum esse Spiritum Sanctum, ad hoc enim opus est ut ostendant, se non esse pseudo-prophetas, quod numquam propriæ persuasionis testimonio poterunt comprobare. Hinc Petrus epist. 2. c. 1., ex quo prophetæ locuti fuerint *Spiritu S. inspirati*, infert, propheticam scripturam non esse privato ingenio exponendam dicens: *Omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit*: cujus testimonii sensus est: *S. Scripturæ explicatio propria interpretatione, seu privata doctrina, & auctoritate non fit*, ut ait Estius, Tirinus &c.

IV. Hæretici suorum testimonio revincuntur. Nam Henricus VIII. an. 1540. statuit, neminem, præter Ecclesiæ Doctores, posse scripturas interpretari. Idem docuit Zuinglius, Bucerus, aliique. Hinc tot Novatorum conventus, non tam ad Ecclesiasticam disciplinam, quam ad dogmata definienda: sic Jenensis Synodus contra Zuinglianos, Dordrectana contra Arminianos, Carentonensis contra Calvinianos de Eucharistia, de Baptismo, ac de Justificatione habitæ sunt; ergo &c.

Ob. I. Deut. 30. habetur: *Mandatum hoc non supra te est, neque procul positum*; ergo &c. R. Neg. conf. His enim verbis tantum evincitur, divina præ-

præcepta levia esse, & jucunda: *Si caritas, quæ est plenitudo legis, habitet in corde*, ut ait S. P. q. 54. in Deut. Ubi enim vulgata habet: *Non supra te est*, legit hebræus: *Non est separatum a te*, idest inscriptum cordi, quia Deus legem cordibus Judæorum inscripserat, ait Fagius tom. 1. Crit. S. p. 237.

Ob. II. Ps. 108. habetur: *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*, & Ps. 118., & 105. lex dicitur: *Lucerna, & lumen.* Petrus etiam epist. 2. c. 1. comparat scripturam *lucernæ lucenti in caliginoso loco*; ergo &c. R. Neg. cons. Scriptura enim lucerna est, sed revelatione, & Doctorum expositione præmissa, habetur enim eodem Ps. 118.: *Revela oculos meos*, & *declaratio sermonum tuorum illuminat.* Petrus etiam caliginosum locum ibidem commemorat, ut pateat, & luce ibi opus esse, & eo qui lucem ferat. Quam lucem in obscuris scripturæ locis Hieronymus a Dydimo, Damasus a Hieronymo, ab Augustino Volusianus, Marcellinus, aliique mutuati sunt: ab iis nempe, quibus ait Dominus: *Vos estis lux mundi.* Novatores ergo, qui *facti rebelles lumini* illud abjiciunt, satis ostendunt, *magis tenebras dilexisse, quam lucem.*

Ob. III. Is. 8. jubemur in dubiis recurrere *ad legem magis & ad testimonium*, & Jerem. 31. ait Dominus: *Dabo legem, meam in visceribus eorum & in corde eorum scribam eam*; ergo &c. R. Neg. cons. Is. enim 8. interdicitur Pythonum, & maleficorum aditus, ut constat ex vers. præcedenti: Jeremias autem prædicit novum testamentum, quod cordi inscribitur, *non atramento, sed spiritu Dei vivi*, ait Ap. 2. Cor. 3.

Ob. IV. Jo. 5. Christus ait: *Scrutamini scripturas*; ergo excludit Ecclesiæ judicium. R. I. neg. cons. Aliud est enim scripturam expendere, ut fidei normam, aliud sensum ambiguum definire, & de fidei controversiis ferre sententiam; quod ad vivum judicem spectat, nempe ad Ecclesiam, non

ad normam, nempe ſcripturam. R. II. diſt. ant. Remittit ad ſcripturas tantum, neg., etiam, conc. Chriſtus ergo non ſolum ad ſcripturas Judæos remittit, ſed primum ad teſtimonium Joannis c. 5. 33. poſtea ad opera ſua 5. 36., ulterius ad Patris teſtimonium 5. 37.; ergo &c.

Ob. V. Act. 17. habetur, Beroenſes ſuſcepiſſe Pauli *verbum cum omni aviditate, quotidie ſcrutantes ſcripturas, ſi hæc ita ſe haberent;* ergo ſola ſcriptura eſt judex controverſiarum fidei. R. diſt. ant. *Scrutantes &c.* judicio diſcuſſionis, conc., definitionis, neg. Beroenſes ergo ſcrudabantur *ſcripturas non quod dubitarent de veracitate Pauli, & Silæ, ſed ut prophetica ſcripta cum illorum verbis conferendo, magis in veritate confirmarentur,* ut Grotius exponit. Deinde Beroenſes prudenter ſe geſſere, dum novam doctrinam ſcrutati ſunt, cum nemo teneatur credere, priuſquam *motiva credibilitatis* ad trutinam revocaverit. Sed qui jam fide imbuti ſunt, debent in ea ſupremi judicis auctoritatem agnoſcere, ſine qua religionis unitas ſtare non poteſt; ergo &c.

Ob. VI. Apoſt. 2. Cor. 4. ait, Evangelium non fidelibus, ſed *iis, qui pereunt eſſe opertum.* Et Apoc. 5. dicitur: *Agnus aperuiſſe librum, & ſolviſſe ſignacula ejus;* ergo &c. R. ad I. diſt. ant., & loquitur Apoſtolus de prædicatione Evangelii, conc., de ſenſu Evangelii, neg. Vult ergo ibidem Apoſtolus, prædicationem Evangelii ubique diffuſam aliquibus idololatris juſto Dei judicio non revelari. Ad II. diſt. ant. *Solviſſe ſignacula,* quatenus in Chriſti morte completi ſunt typi veteris Teſtamenti, conc., quatenus ſacrorum codicum ſenſus eſt per ſe cuique conſpicuus, neg. Librum enim aperuit Agnus in medio 4. animalium, Apoſtolorum nempe, quibus Dominus *aperuit ſenſum ſcripturarum.*

Ob. VII. contra 3. Prop. Ap. 1. Cor. 2. ait: *Spiritalis judicat omnia.* 2. Jo. Ep. 1. c. 2.: *Non ne-*

necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed unctio ejus docet vos de omnibus. 3. in Ev. c. 7.: *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet ex doctrina utrum ex Deo sit;* ergo privatus spiritus est idoneus judex controversiarum fidei.

R. ad I. dist. ant. Et nomine *spiritalis* intelligit Apostolus virum perfectum, & jam Apostolicis documentis instructum, ut *animalis* nomine intelligit, qui credit utique, sed ob mentis imbecillitatem nondum percipere potest altiora mysteria, ut pueri & rustici, conc., intelligi fideles indiscriminatim, neg. Producens enim rationem, cur non prædicaverit Corinthiis recondita fidei mysteria, ait: *Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: tamquam parvulis lac vobis dedi, non escam.* Ita Canus l. 2. c. 8. Unde retorq. argumentum. Sunt enim in Ecclesia plures parvuli adhuc carnales, qui nondum escam, idest sublimiorem doctrinam recipiunt, licet sint spiritales permulti, qui eam assequuntur; ergo non omnes fideles habent spiritum interpretandi. R. II. *Animalis* nomine intelligere Apostolum eum, qui sensus ductum, & naturæ lumen sequitur, ut ethnici philosophi, *spiritalis* vero, qui fide & Spiritus S. lumine est illustratus. Hic ergo non ille percipit, quæ sunt Spiritus Dei; nempe Trinitatem, Incarnationem, & alia fidei mysteria. Verum non ait Ap., *spiritalem* proprio spiritu omnia scripturarum arcana pervadere, quod *tentationem superbissimam* vocat S. P. Augustinus. R. III. Illud: *Judicat omnia*, non exprimit: *Omnia definit*, sed *recipit, approbat:* juxta effatum Aristotelis: *Probus de omnibus recte judicat.*

R. ad II. dist. ant. Et ibi excludit Jo. Ecclesiæ magisterium, neg., pseudo-prophetas, quorum multi exierunt in mundum, conc. *Si enim unctio ejus docet nos de omnibus*, ait S. P. Augustinus Tr. 3. in Jo. Ep., *quasi nos sine caussa laboramus. . . ut quid talem epistolam fecisti? quid illos tu docebas?*

 Unctio

Unctio ergo interna non excludit externum magisterium, sed mentem juvat, ut quæ foris dicuntur formentur in corde, sicut internus vigor præstat, ut arbor poma ferat, sed opus est etiam ut agricola extrinsecus adhibeat diligentem culturam. Hæc Augustinus. Ad III. dist. ant. Cognoscet ex doctrina secluso extrinseco magisterio, neg., non secluso, conc. Et sensus est, Judæos fore, ut Evangelium reciperent, si Dei mandatis obtemperassent, cum iis Deus Filium suum dederit *ducem & præceptorem.*

Ob. VIII. Jo. 5. ait Christus: *Ego non ab homine testimonium accipio*, sed acciperet, si ab Ecclesiæ auctoritate penderet; ergo &c. R. dist. ant. Non accipio, hoc est non admitto, neg., hoc est non requiro, aut indigeo, conc. Licet ergo Christus non requirat hominis testimonium, quasi aliunde ipsius veritas non consistat, quo sensu loquitur Jo. 3., & in Ep. 5. ait: *Testimonium Dei majus est*; nego tamen Christum non aliud testimonium admittere: ait enim ibidem: *Alius est, qui testimonium perhibet de me;* & c. 15. de Apostolis ait: *Et vos testimonium perhibetis, quia ab initio mecum estis.* Deinde loquitur Christus de sua divinitate, ac missione, quæ pluribus signis, Patris voce, ac prophetarum oraculis comprobata non indigebat humano testimonio. Si vero ambiguum sit de scripturis, aut de fidei dogmatibus judicium, non potest spreta Ecclesiæ auctoritate veritas inveniri.

Ob. IX. Ex PP. Justinus enim Thryphonem solis scripturis revincit, easque ait, nec interpretatione indigere; ergo &c. Chrysostomus hom. 3. in 2. ad Thess. ait: *Omnia ex scripturis plana esse.* S. P. l. 2. de Doctr. 6. ait: *Nihil fere de* (scripturæ) *obscuritatibus erui, quod non planissime dictum alibi reperiatur*; ergo difficilia scripturæ loca clarioribus exponuntur, ut docent hæretici.

R. I. Perperam sectarios ad PP. auctoritatem con-

confugere. Scripturam enim obſcuriſſimam putat Irenæus, Origenes &c. profundiſſimam Chryſoſtomus, ſine doctore intelligi non poſſe Hieronymus, & caliginem obducere S. P. A. R. II. ad primum neg. conſ. Loquitur enim Juſtinus de Meſſiæ adventu cum Judæo recipiente prophetarum oracula, quibus evidenter Chriſti adventus oſtenditur; ergo ſcriptura in aliquibus perſpicua eſt, non in omnibus. Ad II. diſt. ant. Quoad planiora morum præcepta, conc., quoad loca obſcuriora, neg. Ait enim ibidem: *Si non potueris invenire, vade ad doctorem.* Ad III. diſt. ant. Et S. P. loquitur de omnibus ſcripturæ locis, neg., de aliquibus non excluſa Eccleſiæ auctoritate, conc. Ait enim ib. *fere*, & contra Ep. Fund. c. 5. ait: *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ commoveret auctoritas.* Et contra Creſc. 33. *Qui falli metuit obſcuritate quæſtionis, Eccleſiam conſulat &c.*

Ob. X. Catholici ſcripturam probant ex Eccleſia, & viciſſim; ergo vitioſum circulum committunt, ut ſi quis matris honeſtatem comprobaret ex filii teſtimonio, & e contra. II. Judicium Eccleſiæ eſt hominum judicium, atqui omnis homo mendax eſt; ergo &c. R. diſt. ant. Probant apud illum, qui neutrum concedit, neg., qui alterutrum ſaltem admittit, conc., ita circularetur, qui apud judicem matris honeſtatem teſtimonio filii, & viciſſim comprobaret, cum filii æque ac matris honeſtas ſit judici incomperta. Circulantur etiam hæretici, qui apud nos privatum ſpiritum ex ſcripturis apertiſſimis, & viciſſim oſtendunt; cum nos utrumque negemus, & ſcripturas, quas proferunt, eſſe apertiſſimas, & privatum ſpiritum ad ſcripturas judicandas idoneum eſſe. Nos vero inimicos veritatis, ex ipſo, quod probant, fidei dogmate refutamus. Negant Manichæi vetus Teſtamentum, illos confutamus ex novo, quod approbant. Negant Lutherani Eccleſiæ auctoritatem, hos ſcripturis, quas admittunt, revincimus.

Ubi traditiones oppugnant, opponimus Pauli epiſtolas; ubi ſcripturarum canonem, producimus traditiones, & Eccleſiæ judicium: quæ duo jam ex ſcripturis probavimus. Sicque non ex ignotis ignota, ſed ex probatis ea, quæ negantur inferimus. Ubi vero ſcripturæ loca ex ipſa ſcriptura explicamus, confugimus ad contextum magis expreſſum, ad ſacri ſcriptoris ſcopum, ad probatiorem verſionem, & linguarum ſyntaxim. Ad II. diſt. ant. Eſt hominum judicium, quod divino ſpiritu dirigitur, ne deficiat fides ejus, nec portæ inferi prævaleant, conc., ſibi relictum, ac traditum in reprobum ſenſum, ut eſt Lutheri, Calvini &c. judicium, nego.

CAPUT IV.

De traditionibus.

NOT. I. Nullam, præter ſcripturam, fidei regulam agnovere nedum Sadducæi, ſed Valentiniani, & Gnoſtici: Ariani quoque *homouſion* rejecere, eo quod in ſcripturis non extat. Traditiones etiam reſpuerunt Macedoniani, Eunomiani, Eutychiani, & Pelagiani. Præ cæteris autem Calvini & Lutheri gregales, Chemnitius, Dallæus, ac Baſnagius. Pro traditionibus ex adverſo certarunt Bellarminus, Canus, Valemburgenſes, & Chemnitium refutavit Lindanus, Dallæum l'Herminier, & Nat. Alex., Baſnagium Bacchinius. Ex Noſtratibus, præter Tonti, & Caluſchi legendus Carolus Moreau.

Not. II. Traditio ſumitur etiam I. Pro dogmate in ſcripturis expreſſo, ſic Act. 6. memorantur *traditiones, quas tradidit Moyſes*, nempe ſcripturæ. II. Pro doctrina, quæ prius prædicata, poſtea literis eſt exarata, ut 1. Cor. 11. *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis.* III. Prout verbo Dei ſcripto non continetur, & de hac traditione cum hæreticis decertabimus.

Not.

Not. III. Traditiones hujusmodi alias divinas esse, quæ a Christo Domino oriuntur, ut quæ spectant ad materiam, & formam sacramentorum. Alias Apostolicas ab Apostolis derivatas, ut quadragesimale jejunium. Alias Ecclesiasticas, ut quidam ritus Sacramentorum, ordo precum &c., in quibus distinguendum est, quod servat universalis Ecclesia, & quod in usu est apud peculiares Ecclesias, ut de jejunio sabbati narrat S. P. Epist. ad Casul., illas non istas dicimus ab omnibus esse servandas. Traditiones item aliæ ad doctrinam spectant, ut dogma de scripturarum canone, aliæ ad mores, ut jejunium, aliæ ad disciplinam, ut ablutio, aut immersio in baptismo, aliæ sunt traditiones humanæ pro lubitu inductæ, & sæpe legibus oppositæ, ut Pharisaicæ.

Not. IV. Plures esse regulas ad discernendas Christi, & Apostolorum traditiones. I. Cum Ecclesia tamquam fidei dogma proponit, quod solus Deus potuit constituere, licet scriptum non sit, descendit tamen e traditione divina: Ecclesia enim errare non potest; ergo a Deo id est revelatum. Ita Irenæus (a), Tertul. (b), August (c), aliique. II. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Ita S. P. l. 4. de Bapt. 24. III. Doctrina quovis Ecclesiæ sæculo aut ab universa Ecclesia, aut a præcipuis propugnata, etsi in aliqua peculiari Ecclesia non viguit, ex Christi, & Apostolorum traditione manavit. Ita Lirinensis (d). IV. Si uno ore viri ecclesiastici testentur dogma, aut consuetudinem ab Apostolis derivasse, & contra sentientes ut hæreticos damnent, traditio, aut divina est, aut Apostolica. Ita PP. VII. Synodi, Hieron. &c. Vide Canum, Sylvium, Juenin &c. Contra traditio divina non est,

 aut

(a) *Lib.* 3. *c.* 2. (b) *De Præscr.* 28.
(c) *L.* 2. *de Bapt. c.* 7. (d) *c.* 2. *Commoni.*

aut Apoſtolica, ſi non ab univerſa, ſed in aliqua peculiari Eccleſia ſervetur: ſi non ſit antiqua, & a paucis, licet antiquis, tradatur; ab aliis vero numero & auctoritate majoribus, & a viris Eccleſiaſticis repudietur. Vide Lirinenſem in Common.

Propositio. Admittendæ ſunt divinæ, & Apoſtolicæ traditiones.

Prob. I. Admittendæ ſunt traditiones. I. in lege naturæ, in qua fidei regula non erat verbum Dei ſcriptum, ſed traditum, per quod filii a parentibus religionem, ritumque colendi Deum docebantur; erant ſacrificia, & circumciſionis mandatum, quod ab Abrahami ævo ad Moyſen non eſt literis conſignatum. II. In lege Moſaica: Nam præter remedium originalis peccati pro fœmellis & pueris ante 8. diem decedentibus, de quibus in libris Moyſis altum eſt ſilentium, ſola traditione Judæis notum erat, Moyſen fuiſſe auctorem Pentateuchi, eumque Deo inſpirante exaratum: ſola traditione edocti ſunt de canone ſcripturarum &c. Hinc Pſ. 43. habetur: *Deus auribus noſtris audivimus; patres noſtri annuntiaverunt nobis.* III. In lege Evangelica, quæ prius cordibus, quam tabulis inſcripta eſt: Chriſtus enim nil ſcripſit, nec juſſit ut Apoſtoli ſcriberent, ſed ut omnibus Evangelium annuntiarent; ergo traditio ſcripturam præceſſit, & ſine hac diu Eccleſia permanſit.

Prob. II. Ab Eccleſiæ auctoritate pendet & canon & interpretatio ſcripturarum, ut dictum eſt, atqui non poteſt Eccleſia utriuſque normam recipere, niſi a traditione majorum, per quam vera Evangelia ſuſcipimus, & ſpuria refellimus, ut probat Euſebius l. 6. H. E. 10.; idem dicendum de ſcripturarum interpretatione, quam ex unanimi Patrum ſenſu, & ſecundum *univerſalis Eccleſiæ traditiones* eſſe exponendas Agatho Papa, & Lirinenſis teſtantur; ergo &c.

Prob. III. Plura ſunt dogmata, quæ nobiſcum propugnant hæretici, ut Deiparæ perpetua virginitas,

nitas, Christi descensus ad inferos, baptismi collatio ante rationis usum &c., atqui nequeunt hæc ex sola scriptura demonstrari; ergo &c. Alia quidem ex scripturis inferuntur, sed admissa traditione, ut processio Spiritus S. a Filio, Sacramentorum numerus &c. Si quæ vero in scripturis sunt expressa, facile in contrarium sensum detorquentur Patrum traditione rejecta, ut Grotius observat; ergo &c.

Prob. IV. Ex hæresum confutatione, quæ non sola scriptura, sed traditione præsertim sunt refutatæ. Gnosticos enim refellit Irenæus l. 3. c. 3. ex traditione Ecclesiæ Romanæ, Smyrnensis, & Ephesinæ. Arianos in Nicæna Synodo confutatos, ex vetustis episcopis, & scriptoribus scribit l. 1. H. E. c. 8. Theodoretus. Nestorianos negantes Verbum Incarnatum adorandum eadem adoratione cum assumpta humanitate, *sicut ab initio Dei Ecclesiæ traditum est*, damnavit V. Synodus c. 9. Monothelitas proscripsit VI. Synodus Act. 4. 10., & 18. Discussis etiam omnium PP. testimoniis VII. Synodus confirmavit imaginum cultum ex Ecclesiastica traditione, ergo &c.

Prob. V. Ex scripturis, 1. Prov. legitur: *Audi fili mi disciplinam patris tui*, sed hoc de traditionibus Ecclesiæ exponit Epiphanius; ergo &c. Jo. ult. habetur: *Sunt alia multa, quæ fecit Jesus, quæ non sunt scripta*, sed ex hoc loco traditiones comprobat Divus Thomas; ergo &c. Ap. 1. Cor. 11. ait: *Cetera cum venero disponam*, atqui S. P. epist. ad Jan. probat inde ex Apostolica traditione descendere, quod Eucharistia nonnisi a jejunis accipiatur; ergo &c. Et 2. Thess. 2. ait: *Tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram*, sed inde probat Chrys. Or. 4.: *Apostolos non omnia tradidisse per epistolas, sed multa etiam sine scriptis*, unde concludit: *Est traditio, nihil quæras amplius*; ergo &c. Et 2. Tim. 1.: *Formam habe bonorum sermonum, quæ a me audisti*

ſti, bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum S., atqui depoſitum eſt doctrina per manus tradita, quaſi theſaurus alteri creditus, ut ait Lirinen. Comm. 27.: *Plurima enim Apoſtolus Timotheo, abſque ſcripto tradidit, quæ illi ad memoriam revocans dicit: Formam habe &c.*, ut hunc locum exponit Chryſoſtomus; ergo &c.

Prob. VI. Ex PP. I. Irenæus l. 3. c. 2. ait: *Cum ad eam iterum traditionem, quæ eſt ab Apoſtolis, quæ ſucceſſione presbyterorum cuſtoditur in Eccleſia, provocamus eos, adverſantur traditioni*, & c. 3.: *Traditionem Apoſtolorum in omni Eccleſia adeſt reſpicere omnibus, & qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt epiſcopi in Eccleſiis, & ſucceſſores eorum uſque ad nos, qui nil tale docuerunt, quale ab his deliratur.* Ubi Romanæ Eccleſiæ, Smyrnenſis, & Epheſinæ traditionem producit. Et c. 5. refutatis Gnoſticis ex traditione ait: *Traditione ergo, quæ eſt ex Apoſtolis, ſic ſe habente in Eccleſia, & permanente apud nos, revertamur ad eam, quæ eſt ex ſcripturis, oſtenſionem*: ubi a ſcripturis traditiones diſtinguit, eaſque ſine charta & atramento a fidelibus cuſtodiri, & retinendas aſſerit, licet Apoſtoli ſcripturas non reliquiſſent.

II. Tertullianus de Corona c. 4. pluribus memoratis, quæ pertinent ad Sacramenta ait: *Ejuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætenditur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix.* Et lib. 5. contra Marc. cap. 17. ait: *Eccleſiæ veritate Epiſtolam ad Epheſios habemus emiſſam, non ad Laodicenos.* De Præſcr. c. 28. protulit vulgatum illud proloquium: *Quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum*; ergo &c.

III. Epiphanius Hom. 60. ait: *Traditione opus eſt; neque enim ex ſcripturis peti poſſunt omnia: idcirco alia ſcripto, traditione alia ſancti Apoſtoli reliquerunt. Quod Paulus aſſirmat: Quemadmodum tradidi*

didi vobis. Item alio loco: ita tradidi in Ecclesiis &c. Et Hom. 76. ad illud Prov. 1.: *Audi fili sermonem Patris &c.*, ait: *Patrem Deum partim scripto, partim sine scripto docuisse: matrem vero Ecclesiam decreta quædam habere, quæ dissolvi nequeunt;* ergo &c. IV. Basilius de Spir. S. c. 27. ait: *Dogmata & instituta, quæ in Ecclesiis prædicantur, quædam habentur ex doctrina scripto prodita; quædam ex Apostolorum traditione, quorum utraque parem vim habent ad pietatem.* Ubi plura enumerat, quæ sola traditione servantur, ut crucis signo se communire, neophytum inungere &c., quæ perperam jactat Hermannus, Basilii verbis assuta, cum integra habeantur apud Damascenum Or. 1. de Imag. Et c. 29. ait: *Arbitror Apostolicum esse etiam non scriptis traditionibus inhærere. Laudo, inquit, vos quod omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi vobis traditiones tenetis, & illud: Tenete traditiones &c.* Addit etiam satis aptam comparationem: *Si*, inquit, *apud tribunal scripto destituti multos testes produceremus, nonne sententiam absolventem consequeremur? Quid si etiam temporis diuturnitatem ostenderimus, an non videbimur probabilia dicere?* quæ comparatio movit etiam H. Grotium, ut constat ex ejus discussione Apologetici Rivetiani.

V. Cyprianus in Epistolis ad Pompejum, ad Quintum, ad Jubajanum, ac Stephanum (quas immerito illi abjudicat eruditiss. Missorius, (1) eas namque Cypriano tribuit S. P. A. l. 6. de Bapt. c. 7.) suam

(1) Missorii dissertationem, quam stili venustate, ac verborum delectu summopere commendarunt, præter Rotignium, etiam Lipsiæ eruditi in Act. an. 1736., adeo presse solideque refutavit ejus contribulis, ac de re literaria optime meritus Hyacinthus Sbaralea, ut disertissimus Missorius, non ultra hac de re mutire ausus posthac, fasces veritati submisisse omnibus jure optimo visus sit.

ſuam de rebaptizatione ſententiam ex ſuppoſita traditione munire conatus eſt. Item ad Cæcilium ſcribens monet: *Ut dominica traditio ſervetur, ut calix mixtus vino offeratur.* VI. S. P. A. l. 5. de Bapt. 26. de eodem Cypriano loquens ait: *Quod autem nos admonet, ut ad fontem recurramus, ideſt ad Apoſtolicam traditionem, & inde canalem in noſtra tempora dirigamus, optimum eſt.* Et Ep. ad Jan. 118. ait: *Illa, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ toto orbe ſervantur, datur intelligi vel ab Apoſtolis, vel plenariis Conciliis commendata ac ſtatuta retineri, ſicuti quod paſſio Domini, & reſurrectio &c. anniverſaria ſolemnitate celebratur &c.* Ex traditione probat S. P. ſcripturarum autographiam in lib. contra Fauſt., & alibi. Peccatum originale, & reparatoris adventum antiquis Juſtis ex traditione innotuiſſe docet l. 2. de Pecc. orig. 24. Ceteros PP. Ignatium, Papiam, Polycarpum, Clementem Alex. traditiones agnoviſſe teſtatur Euſebius, apud Nat. Alex., Hieronymus eas laudat contra Lucifer. ſcribens: *Multa, quæ per traditionem in Eccleſiis obſervantur, auctoritatem ſibi ſcriptæ legis uſurpaſſe.* Afferunt Patres reliquos Bellarminus, Gretſerus, Coccius, Moreau, Laurea, aliique; ergo &c.

Prob. VII. ex ipſo traditionum uſu apud heterodoxos. His enim præadamiticum Peyrerii ſyſtema refutarunt, quod Peyrerium ipſum compulit ad Calvinianam ſectam ejurandam. His etiam Socinianos ſcripturæ ſenſum pervertentes confodiunt. His denique Bullus aliique, vindicata Antenicænorum fide, ſe ſe ad inquirenda majorum placita converterunt. Blondellus primitivam Epiſcopi, & Presbyteri ἰσοτιμίαν (a) teſtimoniis Clementis, Hermæ, Juſtini, Papiæ, Irenæi communivit. Salmaſius tranſubſtantiationis dogma impugnavit ex Cyrillo, Theophylacto, Auguſtino, Euſebio &c. Unde Calvi-

(a) *honoris æqualitatem.*

Calvinus fatetur, facile posse inter se & Pighium conveniri: *Si Ecclesiæ traditionem ex certo, & perpetuo sanctorum & orthodoxorum consensu demonstraret.* Melanchthon apud Grotium ait: *Universalis consensus omnium temporum est testimonium, quod hæc ordinatio est Apostolica.* Chemnitius in Exam. Trid. Conc. ait: *Hanc traditionem, qua nobis in manus dantur sacræ scripturæ libri, reverenter suscipimus.* Drusius, Grotius &c. docent, Paulum ex traditione Jannis, & Mambræ magorum Pharaonis nomina didicisse. Angelorum lapsum D. Petro, Trinitatis mysterium Judæis innotuisse asserunt Smithius, & Basnagius. Grotius, & Piceninus, quoad sacros codices nobiscum sentiunt; ergo &c.

Ob. I. Deut. 4. habetur: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*, quod etiam Apoc. ult. repetitur; ergo &c. II. Matth. 15. Christus redarguit Pharisæos dicens: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras, docentes doctrinas & mandata hominum;* ergo &c. III. Ap. ad Gal. 1. ait: *Licet angelus evangelizet, præterquamquod evangelizamus vobis, anathema sit.* IV. *Omnis scriptura*, ex 2. Tim. 3., *divinitus inspirata utilis est ad docendum &c.;* ergo non opus est aliis documentis. V. Hinc Joannes c. 20. ait, quod longe plura fecit Jesus: *Hæc autem scripta sunt ut credatis.* Ex quibus sic arguitur. Nefas est verbo Dei scripto quidpiam adjicere, id enim pharisaicum est, legisque contemptus, ab Apostolo proscriptum anathemate, cum sola scriptura sufficiat; ergo &c.

R. ad I. dist. ant. *Non addetis* ex idololatrarum moribus superstitiosos ritus Dei legem exacte servantes, conc., *non addetis* alia scripturæ volumina, aut traditiones, neg. Si enim his vetitum esset alia tradere, nec prophetarum, aut Evangeliorum volumina, nec Apostolicæ Epistolæ receptæ essent, nec festivitates institutæ, quas Judith, Estheris, & Machab. libri commemorant. Ibi ergo præscribitur cæremoniarum, & legis Domini exacta observatio,

quam

quam nihil immutando ſervare debebant Levitæ, & Sacerdotes. Idem dicendum ad locum Apoc. ult., ubi per τὸ *ad hæc* vetatur additio ipſi libro, ejuſque vaticiniis oppoſita, quod ſoli audent hæretici. Ad II. diſt. ant. Et Chriſtus ibi damnat traditiones a Patribus derivatas, neg., a Sammai & Hillel inductas, & a Phariſæis neglecta Dei lege cuſtoditas, conc. Hi enim auctore Joſepho l. Ant. 13. c. 18. multa quaſi legitima populo tradidere ex Patrum traditione: at legitimis Patrum proprio marte horrenda, & frivola ſcita addidere, ut illud de crebra ante menſam lotione manuum, de qua Matth. 15. Putabant etiam, derelictis parentibus extrema neceſſitate laborantibus, bona ſua utilius in Dei cultum ſacrari, violata naturæ lege, de qua inhumana traditione loquitur Chriſtus Dominus loco citato. Alia hujuſmodi commemorat Hieronymus ep. ad Algaſiam, & Auguſtinus l. 2. contra Adv. leg. *Inter quas illud eſt, Deum primo homini duas creaſſe mulieres;* merito ergo Chriſtus Dominus Phariſæos arguit, quod irritum feciſſent Dei mandatum propter ſuas futiliſſimas traditiones, quas idcirco *doctrinam* vocat, & *mandata hominum.* Ceterum traditiones a Patribus derivatæ non improbantur a Chriſto, ſed laudantur Matth. 23., ut obſervat in Pſ. 2. Hilarius.

Ad III. diſt. ant. *Præterquam*, ideſt *contra quam*, conc., ideſt *ultra*, neg., loquitur enim Ap. de iis, qui ab Evangelio abducebant fideles, dicentes cum lege Chriſti legalia eſſe jungenda. Ita S. P. Pſ. 115., & Hieron. tom. 4. p. 228. Extat enim in græc. παρ᾽ ὃ quod ſæpe *contra ſignificat* apud Stephanum, alioſque: & probat Budæus Grotius, & verſio Arabica, & Æthiopica, quæ habent: *Si annuntiet vobis quidquam diverſum.*

Ad IV. neg. conſ. Apoſtolus enim vocat ſcripturam utilem, ſed non ait ſolam ſufficere. Ibi enim c. 4. Marcus *utilis* dicitur in *miniſterium*, nec tamen

men ſupervacanei Lucas, Titus &c. ſenſum Apoſtoli reddit Syrus: *Omnis ſcriptura utilis eſt etiam ad docendum.* Ad V. diſt. ant. Ut credatis Chriſti divinitatem, conc., itaut omnia fidei dogmata ibi contineantur, neg. Alioquin nec epiſtolas, nec Apocalypſim Joannes edidiſſet, & Pauli epiſtolæ, & alia Evangelia eſſent ſupervacanea, quod abſurdum eſt. Ait ergo Joannes ibi ea, quæ Chriſtus geſſit, poſtquam ſurrexit a mortuis, ſatis oſtendere, ipſum eſſe Dei Filium. Ita D. Thomas, Cyrillus &c.

Ob. II. Nequeunt traditiones ex libris PP. oſtendi; ergo ſunt rejiciendæ. Prob. ant. I. enim acta Conciliorum, veteres liturgias, ac PP. codices plurimos interpolatos eſſe demonſtrat præter Dallæum, Rivetum, & Clericum etiam Germonius; ergo &c. II. Si quæ ſunt incorrupta, ut plurimum dubia ſunt, & ambigua; ergo &c. Prob. ant. Nam *homouſion* reprobatur a priſcis PP., probatur a Nicænis, & *uſia*, *hypoſtaſis &c.* vario ſenſu uſurpatur. III. PP. plura falſa dogmata venditarunt. Papias, Juſtinus, Irenæus, Tertullianus Chiliaſtarum regnum invexere, Cyprianus dogma rebaptizantium, trinam immerſionem Alcuinus. IV. Baſilides, Valentinus, Marcion ſe auditores jactitarunt Apoſtolorum; ergo nil valet in fidei cauſſis veterum auctoritas. R. neg. ant. Ad prob. neg. ant. Licet enim PP. libri nonnulli aut amanuenſium incuria, aut hæreticorum ſint fraude vitiati, temere tamen hoc dicitur de omnibus: de his ergo, qui depravati cenſentur, vide Vindicias P. Couſtant. Neque ex dubiis dogmata confirmamus, ſed ex receptis, & vindicatis: quamquam etiam ſine ſcriptis PP. ſtare poteſt traditio, ut de barbaris, *qui in Chriſtum credunt*, ait Iren. l. 3. c. 4.: *ſine charta veterum traditionem* cuſtodire. Ad II. neg. ant. Ad prob. diſt. ant. Et hæc vocabula probantur, aut improbantur ex varietate circumſtantiarum, conc., fidei dogmatum, neg. Sic *homouſion* improbatum eſt a priſcis PP., quia eo ab-

utebantur Sabelliani (1), confecratum a Nicænis contra Arianos, idem de aliis dicendum eft.

Ad

(1) Negat P. Meranius fæpe laud. in fuo opere de Chrifti Domini divinitate, vocabulum *homoufion* ab Antiochenis PP. contra Samofatenum profcriptum fuiffe, aut improbatum: atque hujus profcriptionis decretum ab anno 270., quo Antiochena fynodus coacta eft, ufque ad 358., quo celebrata eft Ancyrana, a nemine laudatum, aut productum effe conftanter pronuntiat. Saltem Eufebius Arianorum patronus, qui paulo poft concilium fuam de hac voce confcripfit epiftolam, afferit quidem a vetuftioribus ufurpatam, at vero profcriptam effe non fcribit: & l. 7. H. E. partem inferuit epiftolæ Antiocheni Concilii, verum de hac profcriptione ne verbum quidem. Nec dici poteft, hanc profcriptionem alteri epiftolæ infertam, cujus Eufebius meminiffe noluerit; fic enim non favorem, fed damnum potius attuliffet Arianis, quos ftudio profequebatur. Solis ergo Semiariani, hoc factum in vulgus fpargere cœperunt poft annos 90., quo quidem temporis intervallo altum de eo filentium extitit apud Arianos. „ Non me latet „ (fubdit cit. auctor) „ Athanafium, Hilarium, „ & Bafilium hujus facti „ teftes citari, fed im- „ merito teftari dicun- „ tur, quod non fuo no- „ mine referunt, fed ab „ adverfariis objectum „ ita concedunt, ut non „ tam illud exploratum „ habere, quam huma- „ nitatis caufa negare „ nolle videantur. Ne- „ mini fane dubitare fas „ eft, quin nec Athana- „ fius, nec Hilarius, nec „ Bafilius decretum illud „ Antiochenum legif- „ fent. „ Subinde vero ad examen revocatis illorum PP. teftimoniis concludit: „ Ex his fa- „ tis fuperque concludi- „ tur, Athanafium, Hi- „ larium, & Bafilium im-

„ me-

Ad III. diſt. ant. PP. falſa dogmata venditarunt, aliis numero & auctoritate majoribus contranitentibus, conc., ſecus nego. Sicut enim, Baſnagio teſte, nuſquam *in eam calamitatem incidit Eccleſia, ut communi omnium Chriſtianorum conſpiratione liber, qui divinus eſſet, canone pelleretur;* ita nec in eam incidit, ut omnes falſum dogma adoptarent; traditio ergo a Papia exigui ingenii homine evulgata dogma communi aliorum ſenſu probatum maculare non potuit: collatio vero baptiſmi ſub trina merſione reſpicit diſciplinam, quæ variari poteſt ſalva fide. Hinc Toletani PP. *ſive trinam, ſive ſimplam merſionem* ſtatuunt. Ad IV. neg. conſ. Hæretici enim traditione & ſcriptura abutuntur, ſed ſicut ſcripturæ canonem, ita traditiones debemus inquirere in Apoſtolica Eccleſia, ubi eſt continuata ab Apoſtolis Epiſcoporum ſucceſſio.

Ob. III. S. PP. ſententias. Iren. l. 3. c. 1. ait: *Evangelium fundamentum, & columnam fidei noſtræ futurum;* ergo &c. R. neg. conſ. Refellit enim ibi Marcionitas, qui Apoſtolicis ſcriptis alia præferebant a ſe mutilata, *gloriantes emendatores ſe eſſe Apoſtolorum.*

Inſt. Irenæus c. 2. ait, Valentinianos, dum e ſcripturis arguuntur, ad traditiones converti, *quaſi non poſſit inveniri veritas ab his, qui neſciunt traditiones.* R. diſt. ant. Ad traditiones humanas exploſis Apoſtolicis, conc., ad divinas, aut Apoſtolicas, neg.: *Cum enim ad eam provocamus eos, adverſantur traditioni dicentes ſe Apoſtolis ſuperiores,* ſubdit cit. loco Irenæus.

„ merito opinati illius „ decreti teſtes citari, ac „ totam rem auctoribus „ niti Semiarianis, quos „ equidem credere malim „ incertis rumoribus de„ ceptos fuiſſe, quam de „ induſtria hoc decretum „ finxiſſe. Hæc Meranius.

Ob. IV. Tertullianus contra Herm. c. 22. ait: *Adoro ſcripturæ plenitudinem, - - - Væ illud adjicientibus, aut detrahentibus deſtinatum.* II. de Carne Chriſti c. 7. ait: *Non recipio quod extra ſcripturam de tuo infers.* III. De Reſurr. Carn. c. 3. arguit hæreticos, quod cum Ethnicis ſapiant, nec de ſolis ſcripturis quæſtiones ſuas ſiſtant; ergo &c. R. ad I. neg. conſ. Ibi enim non traditiones rejicit Tertullianus, ſed Hermogenem aſſerentem mundum ex præjacente materia creatum, contra illud Gen. 1. *In principio &c.* Poſtea hæc ſubdit: *An autem de ſubjacente materia mundum fecerit nuſquam legi. Væ illud adjacientibus* nempe mundum factum ex materia Deo coæterna, *aut detrahentibus deſtinatum*, ſcilicet Deum e nihilo orbem feciſſe. Ad II. neg. conſ. *De tuo* enim non intelligit traditiones, quas non de *ſuo*, ſed de Eccleſiæ penu Marcion inferret, ſed contortam expoſitionem verborum illorum: *Ecce mater tua, & fratres tui*, quos tentandi animo memoratos contendit hæreticus, non quod Chriſtus matrem, ac fratres haberet. Ad III. neg. conſ. Arguit enim ibi hæreticos, quia ethnicorum more probant obvia ſenſibus, nec ſolis ſcripturis ſiſtunt, aut nituntur, ſed ſenſuum fallaciis. Vide Prob. 6.

Ob. V. Cyprianus ep. 74. ad Stephani verba: *Nihil innovetur &c.* ait: *Unde eſt iſta traditio? ea facienda, quæ ſcripta ſunt Deus teſtatur;* ergo &c. R. neg. conſ. Cenſuit enim Cyprianus, traditionem a Stephano præſcriptam commentitiam eſſe, & ſcripturis oppoſitam, paratus tamen *ad Evangelicam, & Apoſtolicam traditionem reverti:* reapſe S. Martyr traditionem opponit Eccleſiæ Africanæ.

Ob. VI. Baſilius in Reg. brev. ait de epiſcopo: *E divinis literis ediſcat rectum, & neceſſarium;* ergo &c. II. Epiſt. 80. *Stemus*, inquit, *arbitratui inſpiratæ a Deo ſcripturæ;* ergo &c. III. In Aſceticis ait infidelitatis indicium eſſe, etiam ea, quæ non ſunt ſcripta introducere; ergo &c. R. ad I. neg. conſ.

conſ. E ſcripturis enim ediſcit epiſcopus *depoſitum* cuſtodire, *&* *traditiones* tenere, ut ait Baſ. ad Amphil., ex iiſdem ediſcit, ut ſit miniſter Chriſti, & diſpenſator myſteriorum Dei, ut habet in breviori Reg. 95.; ergo &c. Ad II. neg. conſ. Ibi enim vetat Baſilius *inuſitatam* ſcripturæ interpretationem, quæ præter vocis novitatem, ſenſum etiam *novum afferret*, *&* *apud S. viros nuſquam in uſu* fuiſſet, quibus verbis traditiones confirmantur, non evertuntur. Ad III. neg. conſ. Refellit enim ibi hæreticos pro lubitu ſcripturas mutilantes, aut alterantes.

Ob. VII. Chryſoſtomus in Pſ. 95. ait: *Si quid dicitur abſque ſcriptura, auditorum cognitio claudicat;* ergo &c. II. Hom. 49. in Matth. ait: *Volentes firmitatem accipere fidei, ad nullam rem fugiant, niſi ad ſcripturas;* ergo &c. III. Hom. 13. in 2. ad Cor. Scripturam vocat exactam rerum omnium *lancem, ac normam.* R. ad I. neg. conſ. ibi enim Chryſ. verbi Dei præcones exagitat, qui conciones ſuas profana tantum eloquentia ſtruunt, *ſine teſtibus*, *&* *ſola animi cogitatione*, ut ait ibidem Chryſoſtomus. Ad II. neg. conſ. Ibi enim homiliæ auctor de his loquitur, qui adventante Antichriſto, non alium Redemptorem agnoſcent, niſi quem viderint e cælo venientem, ex Matth. 24. Addit tamen ib., nos in fide perfectos fore, ſi non tantum *ſcripturis*, ſed etiam *doctrinæ ſacerdotum aſſidui fuerimus.* Ad III. diſt. ant. Vocat ſcripturam normam formandis moribus exactam, maxime PP. commentariis illuſtratam, conc., dirimendis fidei controverſiis, abſque Eccleſiæ judicio, neg. Scripturam autem eſſe morum regulam nemo ambigit.

Ob. VIII. Hieronymus in Pſ. 86. ait: *Quamvis ſanctus ſit aliquis poſt Apoſtolos, non habet auctoritatem;* ergo &c. II. In 1. Micheæ ait, Eccleſiam non egreſſam *de finibus ſuis*, ideſt *de ſcripturis ſanctis.* III. In 1. Agg. habet: *quæ abſque auctoritate ſcripturarum, quaſi traditione Apoſtolica confingunt, percutit gladius Dei.* IV. Contra Helvid. tom. 4. p. 141.

p. 141. ait: *Quæ non sunt scripta renuimus.* V. In 23. Matth. ait: *Hoc quia de scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* VI. In 1. ad Tit. *Sine scripturarum auctoritate garrulitas non haberet fidem;* ergo &c. R. ad I. neg. conf. Rejicit enim ibi S. D. privatam commentationem, non Ecclesiæ traditionem. Ad II. neg. conf. Urget enim ibi hæreticos domum suam construentes *in vicinia scripturarum*, eas nempe contortis expositionibus pervertentes. Ad III. R. Hieron. refellere *observationes varias de Tatiani radice crescentes*, quas sponte *confingunt* hæretici, nec ab Apostolica traditione accepere. Ad IV. neg. conf. Non enim Ecclesiæ traditiones ibi exprimit S. D., sed hæreticorum, nempe *Mariam nupsisse post partum.* Ad V. R. Loqui de opinione *ex quibusdam Apocryphorum somniis* excerpta de Zachariæ occisione eum patrem fuisse Jo. Baptistæ. Ad VI. neg. conf. Urget enim ibi subdolos quosdam, qui perversam doctrinam divinis testimoniis roborare nituntur. Vid. auctorem.

Ob. IX. S. P. ep. ad Hieron. 82. ait, solis scripturis convenire, nullum earum auctorem scribendo aliquod errasse; ergo sola scriptura est fidei norma. II. Lib. 2. de Doctr. 9. ait: *In scripturis inveniri omnia, quæ continent fidem moresque vivendi.* III. Tract. 49. in Jo. ait: *Electa sunt, quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur;* ergo &c. IV. De bono Vid. c. 1. ait: *Scriptura nostræ doctrinæ regulam figit;* ergo &c. V. Lib. 2. contra Max. c. 14. hæreticum provocat ad solas scripturas; VI. Lib. 2. de Pecc. m. 36. ait: *Non adjuvantibus scripturarum certis clarisque documentis cohibere se debet humana præsumptio;* ergo &c.

R. ad I. neg. conf. Vult enim ibi S. P. nullius privati scriptoris libros excipiendos *tamquam Prophetarum, & Apostolorum, de quorum scriptis dubitare nefarium est.* Nam ea, quæ *non scripta, sed tradita sunt*, ait, *vel ab Apostolis, vel a plenariis Conciliis*

ciliis ſtatuta eſſe. Ad II. diſt. ant. Et loquitur de præceptis, fideique præcipuis myſteriis, quæ cuique perſpicua ſunt in Eccleſia, conc., de complexu dogmatum univerſorum, neg. Subdit enim ibi: *Spem ſcilicet & caritatem*: ac l. 5. de Bapt. c. 23. ait: *Multa tenet Eccleſia, quamquam ſcripta non reperiantur.* Ad III. diſt. ant. *Sufficere videbantur, ut credamus* in Chriſtum, *datis veluti ſuæ virtutis indiciis*, conc., dogmatum plenitudinem, neg. Ad IV. diſt. ant. *Quoad vitam moreſque*, & aliqua fidei dogmata, conc., quoad omnia neg. Ad V. neg. conſ. Provocat enim S. P. Maximinum ad ſcripturas, quia auctoritatem Nicæni Concilii reſpuebat, & Ariminenſem objiciebat; vult ergo S. P., ut argumenta ex ſcripturis depromerentur, quas uterque agnoſcebat. Ad VI. neg. conſ. Neque enim obſcuriſſima quæſtio eſt, ubi Apoſtolicæ Eccleſiæ traditio ſit explorata.

Ex his autem quatuor Regulæ eruuntur, quibus alia PP. teſtimonia exponi poſſunt. I. eſt: PP. ad ſolam ſcripturam hæreticos provocant, cum ſola ad errorem refellendum ſat eſt. Ita Irenæus Marcionem, Tertullianus Hermogènem, Auguſtinus Maximinum ſola ſcriptura refellit. II. eſt: ut diſtinguantur ea, quæ ab omnibus fidelibus credenda ſunt, ut præcipua ſidei myſteria, ab iis, quæ ab Eccleſia ejuſque rectoribus cuſtodiuntur, ut canon ſcripturarum, traditionis vetuſtas &c. Hoc pacto exponendus Baſilius in Reg. brev., Chryſoſtomus in 2. ad Cor., S. P. l. 2. de Doctr. 9. &c. III. eſt: ubi PP. ad ſcripturas provocant, eos accipiendos ſive de quæſt. obſcuriſſimis, ſive de hiſtoriolis, & novis dogmatibus ex libris apocryphis hauſtis. Ita Hieronymus in 23. Matth. Auguſt. l. 3. contra Ep. Pet. 6. &c. IV. Ut dicta PP. accipiantur de ſcripturis rite expoſitis juxta ſenſum Rom. Eccleſiæ. Ita Cyrillus Catech. 4., aliique.

Ob. X. Eccleſia Romana nonnullas traditiones antiquavit, ut de lacte & melle in baptiſmo Neo-

phytis traditis, de Euchariſtia domi ſumpta, & ſub utraque ſpecie. II. Alias ut Apoſtolicas intruſit, ut jejunium 4. temporum, Ss. cultum, Crucis adorationem, & feſtum B. V. conceptionis. III. Plures mutavit, ut de dilatione viſionis, pro qua alteravit S. Leonis collectam, & de indiſſolubilitate matrimonii, qua in re ſæpe diſpenſavit: ergo &c.

R. ad I. Uſum lactis, & mellis, cum ad ſolam diſciplinam ſpectaret, potuiſſe jure mutari, eaque auguſtioribus ceremoniis fuiſſe expreſſa. Euchariſtiam ad privatas domus deferri cœptum eſt in perſecutionibus, ſed eam ſumendam de manu *præſidentium*, ſeu miniſtrorum conſtat ex Tertull. de Cor. c. 3., ſive diaconorum ex Ambroſio l. 1. de Off. 41. De communione ſub utraque ſpecie alibi ſermo erit. Ad II. neg. ant. Jejunium 4. temporum a Victore aut Calixto inſtitutum, dicitur a Leone ex *Apoſtolica traditione deſcendere*, quia jejunium Apoſtoli commendarunt, & Eccleſia ſtatuit fixos dies, ut ait Lupus in not. ad Syn. Victoris. De cultu Ss., & S. Crucis alibi. Ad feſtum vero Conceptionis B. M. V. (quam longe ante Latinos Græci coluere) ſat eſt pia fidelium opinio. Ad III. vide lib. 3. diſſ. 2. In antiqua S. Leonis collecta non eſſentialis gloria, ſed accidentalis deprecabatur, ut ibidem dictum eſt. Matrimonium vero rite celebratum numquam Eccleſia diſſolvit, & diſpenſationes juſta de cauſſa impertitur.

Ob. II. ex ratione. I. Apoſtoli *Miſſi* dicuntur; ergo ſolum docuere Evangelium, ſed ſi quid aliud Apoſtoli, aut ſucceſſores ſuperaddidere, humanum erat, ergo non eſt fidei fulcrum. II. Quæ tranſeunt de aure in aurem quotidie mutantur; ergo non potuit traditio incorrupta ab Apoſtolis ad nos pervenire. III. Fides noſtra Pythagorica eſſet, aut Mahumetana, ſi e traditione penderet; ergo &c.

R. ad I. diſt. ant. Apoſtoli miſſi ſunt cum poteſtate

testate plenaria ligandi, aut solvendi, conc., secus, neg. Sicut enim legati *plenipotentiarii* regum plura proprio marte suorum principum institutis adjiciunt, prout tempus & occasio videtur exposcere: ita Apostoli scripturis sacris traditiones Apostolicas addidere ad Dei cultum, & Ecclesiæ regimen.

R. II. neg. cons. Nulla enim scripta extabant, cum dictum est Apostolis: *Prædicate Evangelium* &c. Nec Christus eos omnia docuit ante ascensionem suam, ait enim Jo. 16.: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.* Itaque ait S. P. in Jo. 98.: *Adjicienda illis fuerant, quæ nesciebant, non quæ didicerant evertenda.* Sicut enim non relinquitur fundamentum, dum alia adduntur ad ædificium, ita nec fides evertitur, cum ei accessere post Christi ascensum scriptura, traditio etiam &c. Deinde neg. subs. Cum enim traditiones a Spiritu S. descendant, non humanæ dicendæ sunt, alioquin humanum esset Testamentum vetus, & novum ab hominibus scriptum, quod impium est. Homines enim sunt traditionum promulgatores, non auctores, eisque testimonium addunt, non firmitatem; sicuti ergo regia diplomata exhibentes fidem merentur; ita etiam qui Apostolicas exhibent institutiones: eoque majorem, quo illorum munus antecellit dignitas sacerdotum.

Ad II. dist. ant. Mutantur seclusa speciali Christi assistentia, conc., ea supposita, neg. Seclusa ergo Dei providentia nec verbum traditum, nec scriptum servatum est, ut enim illud disperdi in auribus & lingua vitiari potuit, ita istud potuit amanuensis adulterare, tinea corrodere, ignis incendere. At providentia admissa utrumque servatum est. Adde perpetuum Ecclesiæ usum, scripta PP. &c. quibus ea quæ transeunt de aure in aurem moribus, consuetudine, disciplina firmantur. Ad III. nego sequelam. Nam ad credendum Ecclesiæ

certa momenta nos trahunt, quibus carent Pythagoræi, & Mahumetani.

CAPUT V.

De interioris fidei ad ſalutem neceſſitate.

NOt. I. In adultis interiorem fidem requiri ex Trid. ſeſſ. 6. c. 6., & ex Ap. Hebr. 11.: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Ap. autem præcipit fidem cordis Rom. 10.: *Corde creditur ad juſtitiam*, Tridentina vero fidem intelligit, qua *libere movemur in Deum credentes.* Nec Deus verba, ſed voluntatem attendit. Excitanda eſt autem hæc fides repetitis actibus, præſertim dum ſacramenta ſumuntur, dum urget tentatio &c., *nec ſufficit myſteria fidei ſemel credidiſſe*, ex Innoc. XI. Rom. Pont.

Not. II. de hac interiori fide quæritur, an ita debeat eſſe explicita, ut neceſſitate medii neceſſarium ſit credere Deum unum, ac trinum, & Incarnationis myſterium. Dicitur autem neceſſarium neceſſitate medii, ſine quo finis aliter obtineri non poteſt, ut baptiſmus infantibus; dicitur vero neceſſitate præcepti, quod poni debet, quando id fieri poteſt, ut eſt adultis ſacramentalis confeſſio &c. Sit itaque

Propositio I. In veteri teſtamento neceſſaria erat fides mediatoris, ſed non explicita.

Prob. I. pars. Ex Ap. ad Gal. 3.: *Quoniam*, ait, *in lege nemo juſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt, quia juſtus ex fide vivit.* Et Hebr. 11.: *In hac enim teſtimonium conſecuti ſunt ſenes;* Atqui Ap. loquitur de fide mediatoris ex Rom. 3.: *Juſtitia per fidem Jeſu Chr. in omnes, qui credunt in eum, non enim eſt diſtinctio.* Et infra: *Unus eſt Deus, qui juſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem;* ergo &c. Prob. II. Aug. Ep. 157. ad Hil. ait: *Etiam antiquos juſtos habuiſſe ipſum ſpiritum fidei, hoc eſt incarnationis Chriſti.* Et de Catech.

tech. Rud. c. 28. ait: *Eos ſalvos factos eſſe credendo quia veniet, ſicut nos credendo quia venit.* Prob. III. ratione. Fides enim eſt una, & unum ſpiritum gignit, eandem ſalutem affert, & ab exordio mundi invariata fuit, ex Aug. ep. 102. & alibi &c. II. Nemo ſine Chriſto ſalvari poteſt; ergo &c.

Prob. II. pars. I. ex Hebr. 10. conſtat, legem habuiſſe umbram futurorum bonorum. II. Ex Aug. ep. ad Dard. 187., ubi ait, fidem, qua juſti illi ſalvi fiebant, *ſuo tempore fuiſſe revelandam.* III. Ex utriuſque teſtamenti diſcrimine: in vet. enim legalium involucris tegebantur, quæ nunc ſunt revelata myſteria: ergo &c.

Ob. I. Ap. Rom. 2. ait: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis ſunt faciunt;* ergo &c. Hinc Jo. Apoc. 7. vidit in cælis *turbam magnam ex omnibus gentibus, & populis, & linguis.* Et Clemens Alex. inter electos recenſet Græcos Philoſophos; ergo &c. R. diſt. ant. & Ap. loquitur de gentibus ad fidem converſis, ut etiam Jo. in Apoc. 7., conc., de infidelibus, ſubdiſt. Et hi, *quæ legis ſunt faciunt*, quoad ſubſtantiam, & officia virtutum, conc., quoad modum, ut vitam æternam promereantur, neg. Clemens vero docet, philoſophos quoſdam divinitus fide illuſtratos extra Judæorum fines ſalutem conſecutos, ſed fidem cuique neceſſariam fatetur in 2. Strom. Idem tradunt Origenes, & Chryſoſtomus.

Ob. II. contr. 2. part. Caiphas, Nathanael, & Martha Chriſtum *Filium Dei vivi* appellarunt. Sed ſine *explicita* fide in Chriſti divinitatem non potuit haberi tam ſingularis confeſſio; ergo &c. R. diſt. maj. appellarunt ex divino afflatu, conc., a ſemetipſis, neg. Caiphas enim ſicuti divino afflatu ait: *Expedit ut unus moriatur*, ita forte Filium Dei Chriſtum agnovit, niſi velis Principi ſacerdotum aliquid fuiſſe manifeſtum, quod plebs ignorabat. Idem de Martha affirmat S. P. Tr. 49. in Joann., hæc enim tamdiu a Domini ore pependerat. De Nathanaele

naele ſcribit Eſtius, ipſum fortaſſe non intellexiſſe *filium naturalem*, ut Petrus Matth. 16.

Propositio II. In nova lege neceſſaria eſt ad ſalutem fides explicita Trinitatis, & Incarnationis.

Prob. I. Nam 16. Marci habetur: *Prædicate Evangelium omni creaturæ... qui vero non crediderit, contemnabitur*: atqui Evangelium fidem explicitam Incarnationis, & Trinitatis inſinuat; ergo &c. Prob. II. Ex Auguſtin. epiſt. 177., ubi ait: *Cum dicit Apoſtolus manifeſtata eſt, oſtendit, quia tunc erat, ſed tamquam in vellere occulta, nunc autem velut in area manifeſtata*; ergo S. P., qui in utraque lege fidem requirit, nunc ob Evangelium revelationem exigit *explicitam*, & manifeſtam.

Propositio III. Hæc fides tum ad ſalutem, tum etiam ad juſtificationem omnino requiritur.

Prob. I. Ex Ap. ad Gal. 2. *Non juſtificatur homo, niſi per fidem J. C., & nos in Chriſto Jeſu credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti.* II. Ex Trident. Seſſ. 6. *Diſponuntur ad juſtitiam, dum divina gratia fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus promiſſa ſunt, atque illud imprimis, juſtificari impium per redemptionem, quæ eſt in C. J.* III. Ex Aug. Nam de N. & Gr. 2. ait: *Omnis humana natura juſtificari nullo modo poteſt, niſi per fidem, & ſacramentum ſanguinis J. C.* IV. ratione; ſi quis ſine fide in Chriſtum juſtificari poteſt, poterit etiam ſalvari. Juſtus enim, niſi a gratia excidat, jus habet ad gloriam; ergo ſi ſalus eſt ex fide Chriſti, erit etiam gratia ex Apoſt. *Juſtitia Dei per fidem J. C.*

Ob. I. Scripturæ de juſtis indiſcriminatim loquuntur; ergo ſi juſti vet. Teſt. per fidem implicitam in Chriſtum juſtificati ſunt, erunt etiam in hoc ſtatu. Auguſtinus etiam exigit in juſtificandis eundem fidei ſpiritum pro vetuſta, & præſenti ætate, ex Prop. I.; ergo &c. II. Cornelius nondum *explicita* fide imbutus, dicitur *juſtus, & timens Deum.*

III. Apoſt.

III. Apoſt. non aliam fidem requirit, quam in Deum remuneratorem Heb. 11.; ergo &c.

R. diſt. ant. Indiſcriminatim loquuntur, & docent etiam, veterem legem fuiſſe umbram futurorum, nunc autem eſſe revelatam, conc., ſecus, neg. Sicut ergo ex unitate fidei infertur, antiquis juſtis neceſſariam fuiſſe fidem & gratiam Chriſti, ita ex utriuſque Teſtamenti diſcrimine, in quorum uno latebant quæ erant in altero revelanda, concluditur, fidem olim implicitam, nunc apertam eſſe, & explicitam. Ad II. diſt. ant. Dicitur juſtus per gratiam *actualem*, per quam Auguſtino teſte, *Non ſine aliqua fide orabat, & donabat*, conc., per gratiam habitualem, neg. *Si enim poſſet ſine fide Chriſti eſſe ſalvus* ait S. P., *non ad eum mitteretur Apoſtolus.* Ad III. diſt. ant. Et Apoſt. ibidem loquitur de fide juſtificante ex toto, neg., ex parte, conc. Loquitur enim Apoſtolus de iis, quæ antiquos juſtos exſtimularunt adverſa æquo animo ferre, quod nempe Deum præ oculis haberent, & remuneratorem ſperarent. Vid. auctorem.

Ob. II. Incredibile eſt Deum O. M., *qui vult omnes homines ſalvos fieri*, damnare eos, qui legem naturalem ſervantes, nequeunt áudire Evangelium. Nec deſunt ex Auguſtino *ultimæ gentes*, ad quas nondum fides pervenit; ergo iis ſaltem ſufficiet fides implicita. Sicut enim credentibus urgente neceſſitate ſat eſt Baptiſmus in voto, ita facientibus quod in ſe eſt ſufficit fidei votum, ubi *explicita* fides haberi nequit. Tandem, ſi puer baptizatus in ſilvis relictus, aut mutus, aut ſurdus ſit, neque Evangelium audire poſſit adultus, cum ſit ornatus inhærente juſtitia, ſalutem conſequetur; ergo &c.

R. Non ſufficere ad ſalutem naturalis legis obſervantiam, licet hæc ſine gratia actuali ad juſtificationem non ſufficiat: *Si enim de lege Judæorum*, *ait Apoſtolus: Si per legem juſtitia; ergo gratis Chri-*

Christus mortuus est, quando justius dicetur de lege naturæ, ait S. P. de Nat. & Gr. 2. Deus ergo vult omnes salvos fieri voluntate antecedente, non consequente, & efficaci, quæ solos spectat prædestinatos. *Ac per hoc, qui Evangelium non audierunt, & qui eo audito credere noluerunt, & qui non potuerunt, sed lavacro regenerationis non accepto perierunt, non sunt ab illa consperfione discreti, quam constat esse damnatum*; ergo barbaræ gentes in ea massa relictæ non damnantur ob ignorantiam invincibilem Christianæ fidei, sed vel reatu originis, vel additamento propriæ voluntatis. Si vero sint ab ea damnatione discretæ, procuratur eis audiendum Evangelium, & in finem perseverant. Si ergo puer ille post baptismum Deum voluntaria culpa non deserat, illi annuntiabitur Evangelium, aut ab homine, aut ab Angelo, aut per intimam inspirationem, ut in Cornelio, & in Eunucho reginæ Candacis factum est.

Dices. Sufficit baptismus in voto; ergo & fides explicita in voto. R. neg. cons. Nam susceptio baptismatis, cum si actus *imperatus*, potest absque voluntatis culpa impediri; fides vero, cum sit actus elicitus, nequit ab extrinseca caussa amoveri. Adde, fidem in voto esse fidem *explicitam*: quæ enim non creduntur, nec desiderantur. Porro si absque fide in Christum salutem consequi possunt, qui Evangelium non audierunt, cur tot præcones Evangelici Apostolorum exemplo remotissimas orbis oras peragrarunt, cum magno vitæ discrimine? Jure ergo Lovanien. Facultas hanc propositionem doceri vetuit: *Fides explicita de Deo trino, & Salvatore J. C. non est ita necessaria, ut sine tali fide non possit obtineri salus*, & Inn. XI. indignos absolutione eos declaravit, qui prædicta ignorant mysteria.

CAPUT

CAPUT VI.

De externa fidei confeſſione.

Quæremus hoc loco. An liceat fidem negare, an ſaltem diſſimulare, occulere, vel ejus cauſſa fugam arripere. Sit itaque

PROPOSITIO I. Nunquam licitum eſt fidem negare.

Eſt contra Elceſaitas, qui apud Auguſtinum H. 23. docebant, fidem in perſecutione negandam ore, & corde ſervandam, contra Priſcillianiſtas, quorum illud erat effatum: *Jura, perjura, ſecretum prodere noli*, Georgium David Anabaptiſtam, alioſque Anglos libertinos: & prob. I. ex Apoſt. Rom. 10.: *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*; ergo oris confeſſio neceſſaria eſt, præſertim interrogante tyranno, ait enim Chriſtus: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus &c.* Et Matth. 10.: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*: & Luc. 9.: *Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet illam.* Et Ap. 2. Tim. 2.: *Si negaverimus, & ille negabit nos*; ergo &c. II. Cyprianus de Lapſ. ſcribit, vix ad pœnitentiam recipi *Libellarios*, qui nempe mortis metu de facta idolis immolatione chirographum pecunia extorquebant, etiam ſcelere non patrato; merito ergo Innocentius XI. huic oppoſitam propoſitionem proſcripſit. III. Auguſtinus de Fid. & Symb. ait: *Fides officium a nobis exigit & cordis, & linguæ.* Tr. 66. in Jo. *Qui negat hominem Chriſtum, non reconciliabitur per mediatorem Deo*; ergo &c. IV. Accedit ratio. Quodlibet mendacium iniquum eſt; ergo iniquiſſimum erit mendacium in fide. 2. Vitam confert Chriſtum profiteri; ergo mortem infert ipſum negare. 3. Oppoſita ſententia ex Aug. l. contr. mend. c. 2.: *Martyres inhonorat, imo aufert omnino martyria*; ergo &c.

Ob. I.

Ob. I. Pſ. 14. laudatur: *Qui loquitur veritatem in corde ſuo;* ergo ſufficit fides & veritas cordis. II. Chriſtus Herodi, ac præſidi interroganti nil reſpondit. III. Tyrannus non eſt judex legitimus fidei; ergo &c. R. ad I. neg. conſ. Subdit enim Pſ. *Qui non egit dolum in lingua ſua*, & Ap. *Ore autem confeſſio fit &c.* Ad II. diſt. ant. Non reſpondit, cum rogatus de fide fuit, neg., cum non eſſet, rogatus de fide, conc. Nam de fide rogatus reſpondit Luc. 23. & Jo. 18., cum non reſpondit, fuit ejus humilitas, & patientia, nec agebatur de fide. III. neg. conſ. Etſi enim ſinceram confeſſionem non expoſceret obſequium poteſtati debitum; poſtularet tamen veritas & religio.

Propositio II. Non licet religionem ſimulare.

Prob. I. ex 2. Mac. 6. ubi Eleazarus, hortantibus amicis veſci carnibus ſacrificii R. Non eſſe ætati ſuæ *dignum fingere*, ſed id ſibi *maculam & execrationem* allaturum: per quam *omnipotentis manus nec vivus*, inquit, *nec defunctus effugiam:* & c. 7. narratur ſeptem fratrum illuſtre ea de cauſſa martyrium. Apoſtolus 1. Cor. 10. vetat fidelibus veſci idolothythis, etiam *propter conſcientiam.* Luc. 9. ait Chriſtus: *Qui me erubuerit, hunc filius hominis erubeſcet;* ergo &c. Prob. II. ex PP. Cyprianus (*a*), Irenæus (*b*), Tertullianus (*c*), Auguſtinus (*d*) &c. nec non antiqua concilia damnant veſcentes immolatitiis carnibus. Ambroſius l. 10. in Luc. *Non ſatis eſt*, inquit, *involuta reſponſio, ſed aperta confeſſio.* S. P. A. de Mend. c. 6. ait: *Hoc ſi liceret, potuit, Chriſtus præcipere ovibus ſuis, ut lupinis amictæ pellibus ad lupos venirent.* Fulgentius lib. 1. de Fid. ad Traſ. c. 1. ait: *Pene id eſſe fidem molle aſſerere, quod negare.* Prob. III. ratione. I. Veritatis idea ea eſt, ut quiſque talem ſe exhibeat exterius, qualis eſt; ergo &c. II. cum interiorem ani-

(a) *De Lapſ.* (b) *Lib. 1. c. 1.*
(c) *De idol. 3.* (d) *De bon. conj. 16.*

animum patefaciant verba, vel ſigna, peccat, qui moribus, ritibus, inſidelium veſtibus utens, & conſuetudine Chriſtum negare videtur, aut erubeſcere. Vide auctorem l. 20. c. 10. ubi objecta ſolvuntur.

Not. ab hac propoſitione pendere graviſſimam de Sinenſibus ritibus controverſiam, quæ enim cultum politicum referunt, ut templum profanum ingredi, & Domino etiam thura adolenti exhibere famulatum cum Naaman Syro, die natali coram parentibus procumbere, & Imperatoris nomen menſæ impoſitum venerari, Confucium in gymnaſiis honore proſequi non ſunt flagitioſa. Sed videndum, num alia ſint hujus generis, neque in his ſpecimen lateat idololatriæ? Sic veſci idolothytis ſi abſit periculum ſcandali licitum eſt: *Omne quod in macello venit*, manducate, ait Apoſt. 1. Cor. 10. ſecus ſi adſit ſcandalum, aut jubeat princeps idololatra in ſignum religionis; tunc enim imitanda eſt Eleazari fortitudo, & præceptum Apoſt. ibi: *Nolite manducare.* Idem dicendum de Judæorum azymis, de conviviis hæreticorum, de veſtibus &c. Licet enim iis uti, quæ ſunt honeſti muneris aut dignitatis &c., ut quas induit Joſeph inter Ægyptios, Daniel apud Chaldæos, Jeſuitæ apud Sinenſes. Cavendum tamen, ne Chriſti oves pellibus lupinis ſe contendant. Quidquid ergo hæreſim, aut ſuperſtitionem redolet omnino fugiendum, ut intereſſe cœnæ Calvinianæ, ſuſcipere a Lutherano miniſtro Euchariſtiam, communicare eorum ritibus, adire frequenter templa &c.

PROPOSITIO. Poteſt quiſque metu perſecutionis inculpate fugam arripere, ſublato fidei, plebiſque periculo.

Prob. I. pars ab Athanaſio in Apol. de fuga ſua, exemplis Moyſis, qui fugit in Madian, Davidis in ſpelunca latentis, Heliæ, Pauli, & diſcipulorum, qui ſæpe fugam cepere. II. Exemplo Chriſti, qui fugit in Ægyptum Matth. 2. de Templo Jo. 8., in Ephrem Jo. 11., quique Matth. 10. ait: *Cum*

perſequentur in civitate iſta, fugite in aliam. III. ratione. 1. Quia fuga aliquando eſt ipſa morte deterior, nam ab Eſau fugiens Jacob præſentem mortem non timebat. 2. Quia Deus ſanctis ſuis in fuga plures impertitus eſt honores, ut Moyſi, & Jacob. 3. Quia fugientes quaſi medici in uſus indigentium ſervantur, ut Apoſtoli ad prædicandum Evangelium, & Eccleſiam regendam; ergo &c.

Prob. II. pars. Ex Aug. ep. ad Honoratum 180., ubi ait, verba Chriſti: *Fugite &c.* non ita ſervanda, *ut neceſſario miniſterio deſerantur greges, quia deſerta non fuit Eccleſia neceſſario miniſterio.* Non debet enim Epiſcopus imitari mercenarium, *qui videt lupum, & fugit, quoniam non eſt ei cura de ovibus*, ait S. P. ibidem cap. 6.: *Cum plebs manet, & miniſtri fugiunt, miniſteriumque ſubtrahitur, quid erit niſi mercenariorum illa fuga damnabilis?* Excuſat proinde fugam Athanaſii, quia non fugit, *a ceteris miniſtris deſerta plebe catholica.*

Opp. Honoratus apud Auguſtinum loco cit., præſentia Epiſcopi perſecutores magis irritari, itaut ſpectantibus paſtoribus viri cadant, fœminæ conſtuprentur, incendantur Eccleſiæ; ergo &c. R. S. P. neg. conſ. Non enim propter hæc, quæ incerta ſunt, debet noſtri officii eſſe certa deſertio, ſi enim certa hæc mala forent, omnes fugam arriperent, adeoque tunc nulla foret epiſcopo manendi neceſſitas. Magis ergo timendum eſt, ne lapides vivi extinguantur, & pereat fidei caſtitas deſerentibus epiſcopis, quam ne illis præſentibus comburantur terrena ædificia, aut fœminæ conſtuprentur in carne. In perſecutione denique magnum fieri in Eccleſia concurſum, aliis baptiſmum flagitantibus, aliis reconciliationem, omnibus conſolationem præſtolantibus. Hæc S. P. ibidem.

CAPUT

CAPUT VII.

De Sinensium ritibus.

APOSTOLICA sedes, pro variis circumstantiis, & Missionariorum relationibus de hac controversia diversa constituit. An. 1645. ad quæsita Jo. Bapt. Morales O. P. respondit, Sinensium ritus esse illicitos. Anno autem 1656., audita relatione P. Martinii S. J., statuit permitti posse sublatis superstitionibus, fideique protestatione præmissa. Orta hinc est controversia, an hoc postremo decreto ritus Sinensium ut civiles permitti debeant, an ut superstitiosi aboleri. Cum hinc inde plura scripta prodi erint, an. 1693. missus est ad Sinas Carolus Maigrot, qui an. 1693. vetuit cultum Confucio, & progenitoribus exhibitum, tabellas eisdem appensas, vocesque *Xang Ti*, *ac Tien*. Hinc novæ lites, aliis has tabellas probantibus, damnantibus aliis. Missus proinde a Clemente XI. Th. de Tournon, qui anno 1704. plura alia Sinensium usu recepta proscripsit, ejusque decretum confirmavit an. 1710. Clem. XI., & 1727. Benedictus XIII. His prænotatis sit

PROPOSITIO I. Non omnes ritus Sinenses an. 1656. a. S. Congregatione probati sunt.

Prob. I. S. Congregatio permisit tantum ceremonias a P. Martinio *prænominatas & propositas:* atqui Martinius retulerat in cultu Confucii nullum interesse sacrificulum, nullas oblationes, aut sacrificia, sed inclinationes tantum, quales viventi magistro fiunt, nec S. Congregationi significavit, Confucio erigi sacras ædes, appendi tabellas inscriptas: *Sedes animæ sanctissimi Confucii*, celebrari ejus solemnitates vere & autumno, fungi sacerdotum munere Mandarinos, adolere thura, immolare victimas, offerre pilos, & sanguinem porci, comburere pannum sericum, nummosque papyraceos, & literatos omnes venientes accensis cæreis in æde Confucii quater genua flectere, ejusque spiritum

adorare, nec dissimilia parentibus, avisque Sinenses præstare: idque testantur non solum Navaretta, & Varus O. P., sed etiam Morales, Faber, Brancatus, Roboredus, aliique; ergo &c. Martinium plura dissimulasse evincitur ex ejus quæsitis ad calcem Apologiæ FF. Prædicatorum Coloniæ an. 1699. tum ex iis, quæ apud Sinas evenere post Martinii reditum. Nam P. Adamus Schaal, & P. Antonius a S. Maria S. J. Decretum an. 1656. improbarunt, teste Navaretta, ob minus sinceram Martinii expositionem. Adde, Martinium palam affirmasse, in urbe *Nang-Cheu* corruptelam exorandi animas defunctorum, nonnisi a 300. annis invectam, quod tamen R. Pontifici, & S. Congregationi ipse reticuit; ergo &c. III. S. Congregatio S. Off. an. 1669. statuit, *Decretum anni* 1645. *esse in suo robore, neque per decretum S. Off.* 1656. *fuisse circumscriptum, sed omnino secundum quæsita in dictis dubiis expressa esse servandum ut jacet.* IV. De Laurea, & Miroballus, ex mandato sacræ Congregationis ejusdem ad quæsitum P. Navarettæ respondit: *Quod si obsequia illa, quæ Confucio exhibentur, sint mere politica, possunt permitti, si religiosa, nequaquam;* ergo &c.

Propositio II. Edictum Caroli Maigrot recte provideque ritus superstitiosos prohibuit.

Prob. I. Ædes enim Confucii revera templum est, & oblationes ibi factæ superstitiosæ sunt & profanæ; ergo &c. Prob. ant. Ædes enim illa dicitur Sinarum lingua *Miao*, ut idolorum Pagodæ vocantur, teste Riccio, Bartoli, Kirchero, aliisque S. J. scriptoribus, licet ædes Confucii non sit templum commune, sed fanum literatorum; ergo &c. II. Confucii cultum illicitum & superstitiosum declaravit non solum de Laurea, & Bona, sed etiam Clem. XI. die 19. martii 1715. in Bulla *Ex illa die.* III. idem evincitur ex Confucii simulacro cum adoratoribus picto in libro Italo, quod inscribitur: *Raccolta di varie scritture &c.* p. 34. ex inscriptionibus

nibus tabellæ, oblationibus &c., atque comparatione cum oblationibus factis idolo *Chin hoan*, quæ ab adversariis etiam damnantur. IV. Confucii cultum etiam missionarii S. J. damnarunt in urbe *Xia-Ting*: teste Navarreta; falsum est ergo, eas ab eorum in Sinas ingressu fuisse permissas. V. Neque progenitorum cultus politicus est, nam in ea tabella non solam defunctorum nomina scripta sunt, sed etiam *Xin-Chu*, idest: *Sedes animæ*, ut fatetur P. Tellier, ex quibus defunctorum memoria & sedes exprimitur. VI. Constat, Sinas hisce cæremoniis prospera a defunctis exposcere, teste Greg. Lopez O. P. episcopo (quem apologistæ S. J. pro se laudant) Maffejo, aliisque S. J. scriptoribus. Nec Martinius diffitetur, hanc corruptelam exorandi spiritus defunctorum in politicos Sinensium ritus irrepsisse: nequit ergo iste cultus permitti, ut an. 1674. declararunt de Laurea, & Miroballus: imo Rom. Pont. Clem. XI.

Dices cum P. Franc. Xav. Philippucci, ea esse munera defunctis oblata, non sacrificia, R. Etsi id verum esset, non desinerent esse superstitiosa, & quia iis declaratur ibi spiritus adesse, qui hæc munera recipiant, & quia ab ethnicorum parentalibus ab Ovidio descriptis l. 2. Fast. non multum discrepant. VI. Jure vetuit Maigrot, ne Deus Sinica lingua dicatur *Xang-Ti*, sed recepto vocabulo *Thien-Chu*, quod etiam firmavit laud. Bulla Clemens XI. Nam voce *Xang-Ti*, quæ latine redditur: *Supremus imperator*, materiam subtilissimam designari, quam Sinenses summum Deum credunt, Alvarus Semedo, Maffejus, Le Compte e S. J., eorumque oppugnatores testantur: atqui nefas est hæc nomina usurpare, quibus idololatræ percipiunt, Christianos colere diffusum ætherem, orbesque cælestes, & neophyti ante has tabellas prostrati antiquam retinent superstitionem; ergo &c.

Dices, Dei nomen a Sinensibus latino vocabulo proferri non posse, Deique nomen tributum esse

 cælo,

cælo, lunæ, ſideribus, nec tamen a nobis repudiari, ſcripturam quoque cæli nomine Deum ſignificare, & communiter dici: *Roma Pelagium damnavit*, ideſt Rom. Pontifex. Nec latere Sinenſes unum Deum a Chriſtianis coli, non cælum materiale; ergo immerito *Xang - Ti* vetitum eſt. R. neg. conſ. Non enim jubentur Sinenſes adhibere latinum *Deus*, ſed ab ipſis receptum *Tien - Chu cæli Dominus*: neque *Xang - Ti*, aut *Tien*, nomina ſunt appellativa, ut *Deus*, nec poſſunt vero, falſiſque diis convenire, nec quæritur quid hæc nomina poſſint metaphorice ſignificare: ſed quid nativa inſtitutione ſignificent: & an chriſtianis liceat cum iiſdem idololatris genua flectere, & profiteri ſe colere *Xang - Ti*, quod omnes tenent eſſe cæleſtem materiam. Deinde P. Lombardus cenſet, ea voce ſignificari æthereæm materiam, Riccius verum Deum, alii S. J. miſſionarii non ſignificari verum ſpiritum, unde Palmerius eorum viſitator ejus uſum vetuit; ergo vox ambigua *Xan - Ti* a Maigroto, & Clem. XI. merito proſcripta eſt.

Propositio III. Decretum Card. de Tournon eſt æquiſſimum.

Prob. I. enim Clemens XI. an. 1710. decretum illud inviolabiliter obſervari præcepit, datis ea de re Joanni Portugalliæ regi epiſtolis, & accepto nuntio mortis Card. de Tournon ipſum appellavit: *Magnum catholicæ religionis præſidium &c.* addens: *Bonum certamen certavit, curſum conſummavit, fidem ſervavit.* Anno etiam 1715. audita relatione plurium miſſionariorum, poſt naturam diſcuſſionem formulam juramenti præſcripſit, qua omnes ſpondeant, ſe Cardinalis decreta ſervaturos. Eadem ſtatuit etiam Benedictus XIII.; ergo &c.

Nec dicas, Eminen. de Tournon ea decreta edidiſſe, aut rebus non inſpectis, aut Simenſibus chriſtianis ſuperſtitionem affricaſſe, aut Apoſtolicæ ſedi impoſuiſſe, id enim de tanto viro, tali Romani

Ponti-

Pontificis commendatione exornato, poſt tam longam dijudicationem excogitari nequit, maxime cum innumera vitæ diſcrimina pro fide ſubierit. II. Quæ edicto Card. de Tournon inhibentur juſte prohiberi demonſtrat erudito opere Em. Lucini O. P., quod fruſtra conatur impugnare auctor Anonymus in opere tripartito. III. aperte damnat teſſeram illam nuptialem cum imagine idoli Pulleyaris ſola effigies apud eundem ſcriptorem p. 199., & reſticula 108. filis contexta, & croceo ſucco delinita. IV. Nec æquo animo ferri poteſt inſtitutio feſtorum, ob muliebria, dum primum fluunt in pubertate. V. Nec excuſari poſſunt a ſuperſtitione, aut conſperſi in fronte cineres e ſtercore vaccæ confecti, nec ſigna in Luciniano opere delineata, nec diſtinctio nobilium, ab infimæ conditionis fidelibus, quos vocant *Parreas*, ad quos miſſionarii ſacramenta miniſtrare nolunt, nec alia permulta, quæ in eo decreto memorantur; ergo &c. (1)

(1) Non ſunt prætereundæ duæ celeberrimæ conſtitutiones Benedicti XIV., quarum prima incipit: *Ex quo ſingulari*, altera incipit: *Omnium ſollicitudinum*, quibus, præter ea, quæ a ſuis prædeceſſoribus ſtatuta ſunt, prohibetur in baptizandis omittere ſacramentalia, & *ſignanter ſalivam, ſal, & inſufflationes:* Vetatur chriſtianis nomina Idolorum imponere, matrimonium contrahi ab infantibus, *ex genitorum conſenſu, qui matrimonium contrahunt indiſſolubile de præſenti per impoſitionem Taly*, mulieres ad collum deferre Taly, quod imaginem refert Pullejaris idoli, cujus loco permittitur nuptis uſus alterius Taly, *quavis religioſa imagine ornato.* E chriſtianorum nuptiis arcetur fructus, qui vulgo dicitur *Coccò, ex cujus fractione proſperitatis, vel infortunii auſpicia gentiles temere ducunt*, & alia plura

CAPUT VIII.

De fidei ſubjecto.

IN iis, qui in hæreſim prolabuntur, eique inhærent pertinaciter, fidem deficere communiter docent Scholaſtici contra Durandum, licet quidem contendant non integram fidem, ſed fidei partem, in hæretico deperire: remanet enim fides aliqua, ſed falſitati permixta, ut docet S. Bonaventura. Facile hoc diſſidium componi poteſt, ſi objectum *formale* a *materiali* diſtinguamus, Hæretici ergo nobiſcum tenent Trinitatem, Incarnationem &c., quæ revelatione non naturaliter percepere, ſed his non aſſentiuntur ob divinam auctoritatem ab Eccleſia propoſitam; ergo non fide divina, ſed humana, acquiſita, & hiſtorica.

Propositio I. Remanet fides in homine fideli etiam impio.

Prob. I. ex Ap. 1. Cor. 13., ubi aperte fidem a caritate ſecernit: quod etiam præſtat S. P. de Fid. & Op. c. 14. Accedit Trid. Seſſ. 6. c. 28.: *Si quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti &c., anathema ſit.* Alex. VIII. damnat propoſ. 12.: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides*, & 52. Queſnelli: *Fides non eſt abſque amore, & fiducia.* Accedit ratio. Nam fides & caritas diverſum habent objectum, & illa in Deum tendit ut verum, iſta in Deum ut bonum, atqui fides, licet ſummum bonum firmiſſime credat, non tamen eo ita allicitur, ut nequeat ab illo divelli; ergo &c. Tandem nullus virtutis habitus in hac vita deperditur, niſi oppoſita qualitate; ergo ſola infidelitate fides amittitur.

Opp.

---

plura ſanciuntur, ex quibus de controverſia hac celeberrima merito pronunciari poteſt cum Auguſtino: *Cauſa finita eſt* &c.

Opp. *Fides*, per Jacobum, *ſine operibus mortua eſt*; ergo &c. II. per Auguſt. ſola fides, per dilectionem mundat cor, & pia fides ſine ſpe, & caritate non eſt: ergo &c. III. Sine caritate in ſchola Auguſtini nulla datur vera virtus; ergo &c. R. ad I. diſt. ant. Mortua eſt, quia non eſt ea fides, qua juſtus vivit, nec promeretur vitam æternam, conc., quia in peccatore nullos pios motus operatur, neg. Non imputantur quidem hi motus, niſi inchoate, ad juſtificationem ac vitam, ad hanc tamen impii diſponuntur: *Dum credunt vera eſſe, quæ divinitus revelata ſunt: atque illud imprimis, a Deo juſtificari impium per gratiam ejus*, ut loquitur Trid. Ad II. neg. conſ. Vult enim ibi S. P., quod fides ſine caritate nil prodeſt: ait enim Tr. 6. in Jo: *Fides ſine caritate poteſt eſſe, non tamen prodeſſe.* Ad III. diſt. ant. Sine caritate habituali, neg., ſine caritate actuali, qua virtus vitio non labefactetur, dum cupiditate marceſcit, ut l. 18. dictum eſt, conc. Profitetur enim ſchola Auguſtini *habitus* ſupernaturalium virtutum a caritate diſtinctos: licet caritas actibus aliarum virtutum formam tribuat, & perfectionem. Vide auctorem.

Propositio II. Non permanet vera fides in hæretico.

Prob. I. Ex Ap. ad Gal. 5. verſ. 4. ait: *Evacuati eſtis a Chriſto*, ſcilicet *a ſpiritu fidei*, ex verſ. 5., quia inquit: *Perſuaſio hæc non eſt ex eo, qui vocat vos:* ideſt, quia non auctoritatem Dei revelantis, ſed humanam ſequebantur, ut faciunt hæretici. Unde S. P. l. contra Fauſtum 17.: *Qui in Evangelio quod vultis creditis, vobis potius quam Evangelio creditis.* II. Ap. 1. Cor. 3. ait: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt:* quod fundamentum negat S. P. Ench. 5. *aliquibus hæreticis nobiſcum eſſe commune: etenim nomine tenus invenitur Chriſtus apud hæreticos, qui ſe chriſtianos vocari volunt, non reipſa*; ergo &c. III. Accedit ratio. Fides enim non humanæ perſuaſioni in-

 nititur,

nititur, sed auctoritati Ecclesiæ, sed nullus hæreticus ad hanc normam exigit fidem suam; ergo non credit fide supernaturali. Hinc D. Th. 2. 2. q. 5. ait: *Quod in hæretico non manet fides. Unde quicunque non inhæret, sicut divinæ regulæ, doctrinæ Ecclesiæ, non habet habitum fidei.*

Dices. Discipuli, quibus Dominus Marc. ult. exprobravit incredulitatem, & D. Thomas, cui Jo. 20. ait: *Noli esse incredulus*, numquid fidem amiserunt? R. negative. Nam per incredulitatem, qua quis privato homini mysterium nondum sibi exploratum narranti non vult fidem præstare, si habeat paratum animum credendi aut Deo, aut Ecclesiæ, fides non amittitur, & hæc fuit discipulorum incredulitas, ab hæreticorum pervicacia longe diversa.

Opp. I. S. P. A. de Bapt. c. 5. Judæo ad Ecclesiam venienti ait: *Tene fidem resurrectionis mortuorum, sicut tenebas, sed crede Christum resurrexisse*, similiter hæretico: *Tene baptismum sicut tenebas, sed agnosce Ecclesiam*, &c.; ergo agnoscit S. P. in Judæo & Donatista veram fidem resurrectionis, & baptismi. II. S. P. ibid. c. 26. laudat patientiam Schismatici, qui *ne Christum neget, patitur famem &c.*, eamque donum Dei esse ait, licet donum exhæredatorum; ergo &c. R. dist. cons. Agnoscit fidem *materialem*, & ex objecto, nempe quoad unum aut alterum fidei articulum, quem credit, conc., *formalem* & quoad *motivum*, nempe quod credat ob divinam auctoritatem ab Ecclesia propositam, neg. Sicut enim Judæo, & hæretico dictum est, *Tene &c.* ita Ethnico dicitur: *Tene ab uno vero Deo mundum conditum esse, quod tenebas:* atqui hæc fides Ethnici non est supernaturalis, sed a naturali oritur philosophia; ergo nec fides Judæi &c. Ad II. dist. ant. Laudat, ut Dei munus ex *objecto*, quo supernaturalis est etiam fides Judæi, utpote revelata, conc., ex *motivo* credendi, neg. Sic enim naturalis est, vel ex evidentia, vel ex hominum institutis, non ex Dei revelantis obsequio. Laudatur ergo cit. loco

co ſchiſmaticus, ut laudantur Fabricius, & Catilina, ajunt PP. Maurini.

Ob. II. In hæreticis remanet eadem credendi facilitas, & immobilis perſuaſio; ergo &c. R. I. neg. ant. Cum enim eorum fides medio fallaci innitatur, hinc tanta hæreſum variatio, & novorum dogmatum ſeges. R. II. Cum Em. de Laurea, neg. conſ. Nam præter fidem *infuſam* admitti debet habitus fidei *acquiſitæ*, aut majorum inſtitutione, aut conſuetudine, per quam etiam habitu fidei ſupernaturalis ſublato, hæretici adeo firmiter nonnulla credunt, ut pro illis mori parati ſint, ut de Donatiſtis ait S. P. in Breviculo & alibi.

Ob. III. Non tollitur ſcientia, aut fides humana, nec violatur totus Decalogus, ex quo, aut in una concluſione aberretur, aut uni rei non præbeatur aſſenſus, aut unum præceptum violetur; ergo nec fides divina. R. S. Thomas, neg. conſ. Nam concluſionibus unius ſcientiæ aſſentimur propter diverſa media, fidei autem propter unum medium, nempe ob divinam veritatem ab Eccleſia propoſitam. Præcepta etiam ob diverſa motiva ſervantur, nam ſi quis unum tranſgrediatur ob princeps motivum, quod nolit Deo perfecte obedire, *factus eſt omnium reus.*

Propositio III. Nec remanet fides in iis, qui ſunt in termino conſtituti.

Prob. I. Non remanet in beatis, cum non videant *per fidem, ſed per ſpeciem, & facie ad faciem.* Hinc S. P. l. 14. de Trin. 2. ait: *Neque enim jam fides erit, qua credantur, quæ non videntur, ſed ſpecies, qua videantur, quæ creduntur*, ergo &c. Nec fides iis confert ornatum, cum omnem iis decorem conferat ſplendor gloriæ.

Prob. II. de reprobis. Hi enim omnium ſupernaturalium donorum ornatu expoliantur, excepto charactere, quo ab infidelibus ſecernuntur. Nec obſtat locus ep. Jacobi c. 2.: *Et dæmones credunt &c.* ibi enim non inſtituitur comparatio inter dæmonum,

&

& hominum fidem (cum illi ex mentis acumine credant, isti ex Spiritus S. illustratione), sed solum ostenditur, fidem non prodesse ad salutem, nisi serventur mandata.

DISSERTATIO II.

De spe christiana.

OPTIME monet S. P. Aug. Ench. c. 155. *Ex fide nasci spem bonam fidelium*; de ejus itaque necessitate, & certitudine, tum de timore Domini, & oratione, quæ spem christianam comitantur & fovent, breviter pertractabimus.

CAPUT I.

De christianæ spei necessitate, & certitudine.

SPEI nomine hoc loco intelligimus inditam divinitus virtutem, qua pium fiduciæ motum exerimus, & definitur; *Virtus divinitus infusa, per quam certa cum fiducia nostræ salutis & æternæ vitæ bona expectamus.* Hujus spei objectum materiale est ipse Deus, prout est animæ vita, & finis ultimus. Gratia vero, peccatorum remissio, & finalis perseverantia, quæ nos ad Deum perducunt, sunt spei nostræ *objectum* secundarium: quia non per se, sed ratione ultimi finis, & ut media expetuntur. Ex hac fidei, mediorumque distinctione dicitur a theologis, spem oratione dominica, fidem symbolo, caritatem decalogo contineri. Objectum autem *formale* spei est ipsa Dei omnipotentia, & misericordia, quibus æternam vitam possumus comparare: eaque minus recte cum fide, & caritate confunditur. Sit itaque

Propositio I. Spes a fide, & a caritate distinguitur.

Prob. I. pars ex August. c. 8. Enchir. *Quis namque pœnas non credit impiorum? nec sperat tamen*; ergo aliqua creduntur, quæ spei nostræ objectum non sunt, sed potius horroris & timoris. Prob. II. pars ex Trid. sess. 6. c. 6., ubi ait: peccatores ad justi-

juſtificationem diſponi, dum *in ſpem eriguntur*, & can. 3. ait, poſſe hominem Spiritus S. adjutorio *ſperare ſicut oportet*; ergo ſpes ut diſpoſitio juſtificationem præcedit, & ab ipſa ſejungitur. II. damnata eſt 57. Queſnellii prop. *Non eſt ſpes in Deo, ubi non eſt amor Dei*, quod de amore *regnante*, ſeu juſtificante recte exponit Bellelli. III. S. P. Tract. 83. in Jo. ait: *Fruſtra quidem, ſed tamen poteſt ſperare veniam, qui non diligit*; ergo aliquam ſpem eſſe *informem* admittit. IV. Licet peccator nullum habeat gloriæ meritum, poteſt tamen, quandiu vivit, a Dei miſericordia gratiam & remiſſionem obtinere; ergo dum confidit, ſe æternam vitam conſecuturum, ſe reſipiſcat, perſeverat in illo virtus ſpei.

Opp. Ap. Rom. 5. ait: *Spes autem non confundit, quia caritas diffuſa eſt in cordibus noſtris*; ergo &c. II. S. P. ſerm. 31. de V. D. ait: *Solis filiis ſpem eſſe*, & c. 8. Ench. *Spes vero eſſe ſine amore non poteſt*; ergo &c. R. I. diſt. ant. & Ap. loquitur de ſpe *viva*, conc., de ſpe *informi*, neg. Loquitur enim de ſpe, qua quis beatitudinem expectat *per merita, quæ jam habet*, ut exponit D. Thomas 1. 2. q. 65. art. 4. Ad II. diſt. ant. Sine amore inchoato, conc., perfecto, neg. Spes enim ſine aliquo amore eſſe non poteſt, nihil enim ſperatur, ſi nulla ratione diligitur, ut ſcribit Eſtius, Lenſæus &c. Sicut ergo ſpes carnalis ſine amore carnali, ita ſpiritalis ſine ſpiritali amore eſſe non poteſt. Sequitur ex dictis, ſpei habitum etiam in magnis peccatoribus permanere, ut in publicano, quem, dum premebat conſcientia, ſpes ſublevabat. Non remanet tamen in Beatis ſaltem quoad objectum primarium. *Spes enim, quæ videtur, non eſt ſpes*, ait Ap. Rom. 8.: & S. P. *Spes eſt, nonniſi rerum futurarum.*

Nec dicas exiſtere in illis ſpem futuræ gloriæ corporis, hæc enim expectatio, non ſolum firma eſt certitudine ſpei, ſed etiam immutabilis cognitionis ex æternæ vitæ ſecuritate,

ac

ac ſtatu patriæ. Secus de animabus purgandis dicendum eſt, in his enim fides & ſpes perſeverat. At in dæmonibus & damnatis, licet perſeveret inditus amor beatitudinis, nullum ſpes locum habet. Hæretici denique, utpote ea fide deſtituti, quæ eſt *ſperandarum ſubſtantia rerum*, veram ſpem habere non poſſunt.

Propositio II. Non perſiſteret ſpes in eo, cui facta eſſet futuræ damnationis certiſſima revelatio.

Ita Gonet, Suarez, Salmanticenſes &c. contra Hurtadum, Azorium &c. Prob. I. ex Auguſtino l. 25. de C. D. 15., ubi ait, Eccleſiam, ſi ſciret quinam ſint reprobati, pro eis non oraturam, ſicut *non orat pro dæmone*, atqui oratio eſt invictum ſpei argumentum; ergo &c. II. D. Thom. q. 25. De Ver. ait: Deum non poſſe ordinata potentia revelare alicui ſuam damnationem, *quia talis revelatio cogeret eum deſperare*. III. Spes eſt futurorum ex Auguſtino; ergo pendet a judicio practico, quo ſalus nedum poſſibilis percipiatur, ſed etiam futura, alias ſperare poſſent etiam dæmones, quorum ſalus eſt poſſibilis. Dicimus tamen, in hoc ſtatu, quo Deus decrevit unumquemque ſalutem conſequi poſſe, hoc non poſſe contingere: unde, ſi alicui fieret damnationis revelatio, hæc comminatio eſſet, qualis facta eſt Ninivitis: nec ſpe depoſita in cinere & cilicio cum iis agere deberet pœnitentiam. Si vero de abſoluta potentia, hæc revelatio fieret, nec comminatio eſſet, ſed definita, & immutabilis præſcriptio; nullus ſpei locus erit: quia objectum ſpei non eſt bonum poſſibile tantum, ſed etiam futurum.

Opp. Stat cum certa revelatione ſalutis timor, ut in Paulo 1. Cor. 9.; ergo ſtat etiam ſpes cum futuræ damnationis revelatione. II. Hæc revelatio non everteret ſcripturas de miſeratione Dei pœnitentibus repromiſſa; ergo ſcripturæ tunc eſſent baſes chriſtianæ ſpei: PP. etiam docent, de nullo deſperandum quandiu vivit; ergo &c. III. In caſu teneretur quiſque vitare peccata, & legem implere:

non enim ſcientia futuri affert neceſſitatem, nec arbitrium evertit, aut legis naturam; ergo &c.

R. ad I. neg. ant. Paulus enim, cum ad Corinth. ſcripſit, non habebat plenam ſalutis ſuæ certitudinem, ut ex Gregorio, & Proſpero oſtendunt Eſtius, Menochius &c. Adde, Apoſtolum ibi tantum oſtendere afflictationes corporis ad damnationem evitandam requiri. Scripturæ vero ac PP. in argumento laudati loquuntur generatim, non vero in hypotheſi, nec de homine impio in individuo. Ad III. neg. conſ. Tenetur enim quiſque ſervare præcepta, ſi poſſibilia ſint, ſed ad ſpem non ſatis eſt ſalutem eſſe poſſibilem, niſi apprehendatur ut futura. Tenetur autem quiſque a Deo ſperare gratiam, & gloriam. Nam I. Paral. 10. reprehenditur Saul, *quod non ſperaverit in Domino*. Spem quoque in nobis excitant divina promiſſa, ſacra eloquia, Dei beneficia, & miſerationes ejus, quarum non eſt numerus.

Propositio III. Spes noſtra firmiſſima eſt, ſed certitudo timorem non excludit.

Prob. I. pars. I. Ex Dei promiſſis, de quibus ait Ap. 2. Tim. 1.: *Scio cui credidi, & certus ſum.* S. P. in Pſ. 123.: *Spes noſtra tam certa eſt, quaſi res jam perfecta ſit.* II. Ex Chriſti redemptione 2. Petr. 1.: *Regeneravit nos in ſpem vivam*, & S. P. l. 1. de Doctr. 15.: *Quanta ſe fiducia ſpes credentium conſolatur conſiderans quantus quanta pro nondum credentibus paſſus ſit.* III. Ex innumeris Dei beneficiis. Hinc Ap. Rom. 5.: *Spes non confundit, quia caritas diffuſa eſt &c.* Et S. P. in Pſ. 148. ait: *Promiſſionis Dei arrhas accepimus, tenemus mortem Chriſti, ſanguinem &c.*

Prob. II. pars. Nam Ap. Philip. 2. ait: *Cum timore, & tremore veſtram ſalutem operamini.* Pſ. 2. *Apprehendite diſciplinam; ne pereatis.* Ex S. P. de Nat. & Gr. 32. Humilitas exercenda, *ne homo, dum quod Dei eſt deputat ſuum, amittat quod Dei eſt.* Hieronymus de Cuſt. virg. ad Euſt. ait: *Quandiu*

hoc

hoc fragili corpore detinemur, nulla est certa victoria; ergo &c.

C A P U T II.

De timore Domini.

NOT. I. Adversus Lutherum ejusque asseclas, timorem, quem servilem dicimus, esse substantia sua bonum, utilem, & donum Dei, nec reddere hominem impium, seu ad desperationem inducere, ut ajunt hæretici. Exponam autem ea de re Augustini sententiam, quam sequitur D. Thomas, Ægidius, Estius, Morinus, Lupus, Bellelli, aliique.

Not. II. Timorem alium esse naturalem incussum a malo, quod quisque naturaliter refugit, nec est imperatus a voluntate: alium liberum elicitum ex cognitione aliqua, & amore. Ille, cum sit *passio* ex Augustino, nec liber animi motus, non est peccatum; iste vel est ex libero amore, quo animus inhæret bonis fluxis, tamquam ultimo fini, & dicitur amor *mundanus*, de quo ait S. P. in Ps. 127: *Tantum timent, ne aliquid mali in terra patiantur*; vel ex amore sui ipsius, & est timor servilis, ut timor gehennæ tormentorum, quæ, *quia vere futura sunt impiis, timent & continent se a peccato*, subdit ibidem S. P.; vel est ex amore simul sui ipsius & Dei, dicitur initialis, medius inter servilem & castum, quo quis *continet se a peccato, & incipit, quod durum erat amare*, vel ex amore Dei tantum, & dicitur amor filialis & castus, quo timet ut filius offensam Patris, & casta sponsa a sponso deseri: *Incipit propterea juste vivere, non quia timet pœnas, sed quia amat æternitatem; exclusus est ergo timor a caritate, sed successit timor castus.* Hæc S. P. ibidem.

Not. III. In timore servili, intervenit fides timorem excitans ex gehenna, & amor patriæ cælestis. Si quis autem timeat ex sui ipsius non ex justitiæ delectatione, esse potest timor inordinatus, & dicitur *serviliter servilis*. Si vero gehennam ob sui amorem formidet, qui non sit vitiosa cupiditas, nec

summum

summum bonum sibi postponat, timor est ordinatus & rectus; servilitas ergo ad substantiam timoris non spectat: potest enim quis ita timere gehennam, ut seipsum non diligat inordinate; recte ergo definitur ab Augustino serm. 18. de V. Ap. 9.: *Servilis timor est, quo times ardere cum diabolo.* An vero timeatur ob vitiosam cupiditatem, sive ob amorem sui, ad substantiam amoris non spectat. His notatis sit

PROPOSITIO I. Mundanus timor vanus est & noxius.

Prob. I. Scripturis. Matth. 10. habetur: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Et 1. Petr. 3. *Timorem eorum ne timueritis;* ergo &c. Et S. P. Aug. Serm. 161. *Timor vanus est hominum timentium amittere temporalia. Hinc objurgandi timentes mori, & nil agentes, nisi serius mori.* Nam ex D. Thoma mundanus timor, quo quis hæret tamquam fini fluxis bonis, *ex mala radice* gignitur, & noxius est. Secus, si timor sit *passio* innoxia naturæ imbecillis, culpandus non est. Neque malus est timor, quo quis terrenum judicem timet, quatenus *Dei minister est*, ut ait Ap. Rom. 13., *vindex in iram ei, qui malum agit*; is enim timor rationi congruit, nec per se excludit amorem justitiæ; ille ergo timor est mundanus & noxius, quo quis *timet carcerem, & non timet gehennam*, &c. ait S. P. serm. 161.

PROPOSITIO II. Timor servilis est bonus, utilis, supernaturalis, & donum Dei.

Prob. I. Scripturis. Matth. 10.: *Timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* Prov. 14. *Timor Domini fons vitæ, ut declinet a ruina mortis;* ergo &c. Prob. II. ex PP. Augustinus serm. 161. ait: *Cum ergo Dominus timorem incusserit, dicturus ego sum, male times ista?* (idest gehennam &c.) *Non dicam. Plane time, nihil melius times.* Et Ps. 127. De timore gehennæ ait: *Bonus est ipse timor, utilis est.* Eadem habet S. P. in l. de Virg. 38. De Catech. rud. 5., & alibi; ergo &c.

Accedunt Tertullianus, Cyprianus, Basilius, & Patres omnes. Prob. III. ratione. Bona etenim timoris servilis plura connumerat S. P. A. I. *Coercet malam cupiditatem* (a): II. quasi pædagogus legis *volentem peccare animo interiore non sinit* (b): III. Continendo ab externo peccati actu *pellit consuetudinem malorum operum* (c). IV. Viam sternit caritati, & *incipis bona desiderare* (d). V. Corroborat adversus tentationes, dum instat Dominus *flagella ingeminans timoris, & pudoris* (e); ergo bonus est &c.

Dices: S. P. De Nat. & G. c. 57. ait: *Qui timore supplicii, non amore justitiæ se sensit abstinere ab opere peccati, nondum liber est a voluntate peccandi*: ergo &c. R. dist. ant. Et hoc est vitium timoris, neg., timentis, conc. Is enim visco cupiditatis adhuc detentus timet ne crucietur, non vero ne offendat Patrem. Quod ubi paulatim exuit introeunte delectatione justitiæ, timor *servilis fit initialis*, remanetque substantia idem, servilitate abjecta. Hæc porro servilitas, prout adnexa est pravæ cupiditati, non est a Deo, ut docent D. Thomas (f), & Bonaventura (g): neque est de essentia timoris, nec obstat quin timor sit substantia bonus, & donum Dei. Sicut fides bona est, licet *informis; quia servilitas*, ut ait ibidem D. Thomas, *non pertinet ad speciem timoris servilis, sicut nec informitas ad speciem fidei informis.* Sequitur ex dictis, I. timorem esse initium sapientiæ, quia hinc peccator incipit *aliquando sapere*, & sicut per setam introducitur linum,

(a) *L. 3. contra Ep. Petil. c. 83.*
(b) *Ser. de V. Ap. c. 18. n. 8.*
(c) *Ep. 120. ad Hon. nunc 140.*
(d) *Tr. 9. in Jo. Ep. n. 5.*
(e) *L. 8. Conf. 2.*
(f) 2. 2. *q. 19.*
(g) *De 7. don. Spir. S.*

num, *ſic timor primo occupat mentem, ut introducat caritatem*: ut ait Auguſtinus (*a*) & Saleſius (*b*). Sequitur II. eſſe ſupernaturalem, cum ad gratiam diſponat: unde Alex. VIII. hanc propoſitionem damnavit: *Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis*. Sequitur III. recte a Trid. definitum ſeſſ. 6. c. 8., per hunc timorem iniquos utiliter concuti, & ad gratiam diſponi: ac jure proſcriptas eſſe Queſnellii propoſitiones 60. ad 67. huic definitioni oppoſitas.

Ob. I. Lutherus: ex Rom. 5.: *Lex ſubintravit, ut abundaret delictum*, ſed hoc accipitur de legis effectu, ideſt de timore incuſſo ex pœnarum metu; ergo &c. R. neg. min. Aliud enim lex præſtat: redarguit nimirum prævaricatorem, ut convictus ad Dei gratiam confugiat, ſine qua lex juſtitiam non affert, nec reprimit concupiſcentiæ motus, ex Aug. q. 166. in Exod., & Eſtio in Paul. Vid. l. 20. c. 6. in R. ad 6.

Ob. II. Jo. Ep. 1.: *Perfecta caritas foras mittit timorem*; ergo &c. R. S. P. diſt. ant. *Timorem hominum & temporalium malorum*, conc., *timorem Dei & divini in fine judicii*, neg. *Noli altum ſapere, ſed time: ama Dei bonitatem, time ſeveritatem* ait S. D. de S. Virg. c. 38.

Ob. III. S. P. Tr. 9. ſupra cit. ait: timorem tormentum habere, II. Ser. 161. timentem ardere &c. non eſſe laudandum, III. In Pſ. 77. non fieri ex corde, quod fit formidine pœnæ; ergo &c. R. neg. conſ. Ad I. ergo docet S. P., timorem habere tormentum, quia *putredinem tollit, & quaſi videtur vulnus augere: quia vulnus plus dolet cum curatur, quam ſi non curetur*, timore ergo curatur vulnus, nec deterior eo fit peccator, ſed *putredine* ablata longe melior. Ad II. diſt. ant. Ait S. P. *Nondum eſſe laudandum* ob vitium timoris, neg., timentis, conc. *Nondum ergo laudandus, quia times*, quia etſi

 bene

(a) *Tr. 9. in Jo. Ep.* (b) *Philoth. l. 5.*

bene timeas, adhuc tamen peccati labe inquinaris; *& formido est mali, nondum dilectio boni:* quod sane non est vitium timoris te custodientis, sed pravitas tui nondum habentis *amorem non peccantem; ergo nondum laudandus es, licet non ita dolendus, ut ante.* Ad III. dist. ant. Non fit ex corde defectu timoris, neg., timentis, conc. Quoad facta ergo *& qui timent pœnam, & qui amant justitiam non furantur, & ideo, pares sunt manu, dispares corde,* atqui pravitas cordis non est a timore, sed a timente; ergo bonus est timor, licet sit timens iniquus.

Ob. IV. Timor servilis est ab amore sui; ergo est pravus. R. neg. cons. Nam amor sui non est semper inordinatus, & noxius. Qui se diligit absque ordine in Deum, perverse diligit, quique gehennam timet *ut principale* malum, quo a voluptate distrahitur, male timet. Qui vero ordinate se diligit, & gehennam timet, non *ut principale malum,* sed magis timet offensam Dei, bene timet. Timor ergo servilis, quoad objectum, & substantia sua bonus est, & permanet etiam cum caritate; licet quoad subjectum, nempe quoad timentem, qui est adhuc servus peccati, servilitas sit mala.

Propositio III. Præ ceteris laudandus est timor castus.

Prob. Ex Augustino, qui serm. 161. de timore caritatis exponit illud Ps. 18. *Timor Domini sanctus permanens in sæculum.* Et Ps. 127. illum comparat timori castæ sponsæ timentis ne deseratur a sponso. Et num. 9. ait S. P.: *Si diceret Deus, faciem meam numquam videbis, omni terrena felicitate abundabis, fleret timor castus & diceret: imo tollantur omnia, & faciem tuam videam.* Dicitur autem timor Domini *permanens in sæculum &c.*, quia, licet in patria, ubi regnat perfecta caritas, locum non habeat timor pœnæ & offensæ; permanet tamen timor reverentiæ, qui Deo a beatis exhibetur *in sæculum sæculi.*

CAPUT

CAPUT III.

De Oratione dominica.

Definitur oratio a Damasc. lib. 3. de Fid. 24.: *Ascensio mentis ad Deum*, & ab Augustino in Ps. 83.: *Locatio hominis ad Deum*, a D. Thoma 2. 2. q. 83. *Decentium a Deo petitio.* Petuntur autem quæ decent, dum animus *temporalibus æterna præponit*, ut ait S. P. Ep. 130. & dum servatur ordo desiderii & amoris. Unde sine lingua quis orat, dum recte diligit. Necessitas orationis ostenditur ex divino præcepto, ex nostra a Deo dependentia, ex libera gratiarum, & perseverantiæ collatione: ut docet S. P. de Pecc. mer. l. 2. de Corr. c. 3. & alibi. Excitat vero in orantibus fiduciam summa Dei misericordia, & liberalitas, qua Jo. 16. ait: *Petite & accipietis.* Inter Ecclesiæ orationes primum locum tenet oratio dominica, tum auctoritate Institutoris, & petitionum ordine, cum æquitate, plenitudine, ac gravitate verborum: cujus hoc loco expositionem exhibemus ex Cypriano, Augustino, aliisque depromptam.

Præmittitur ergo orationi dominicæ brevis præfatiuncula his verbis: *Pater noster, qui es in cœlis*, quibus tum ad benevolentiam conciliandam, & caritatem excitandam *Patris* nomen usurpatur ex Aug., tum ex aliis ad significandam gratiam creationis, adoptionis, gubernationis, legis, & amoris. Dicitur *noster*, ut nos fratres esse noscamus: & *qui es in cœlis*, ideſt in sanctis: non enim locorum spatio continetur Deus. Deinde vero sequitur

I. Petitio: *Sanctificetur nomen tuum*, ideſt, ut Dei nomen sanctum habeatur ab omnibus, ut sanctificetur in nobis, ut benedicatur ubique ab omnibus, ut longe lateque fama ejus pervadat. Ita S. P. A. aliique. Dicitur autem *sanctificetur*, non *manifestetur*, quia Dei notitia omnibus natura indita est, ait noster Triumphus. II. Petitio est: *Adveniat regnum tuum*, ideſt Dei regnum per doctrinæ

propagationem manifestetur hominibus, ut perveniat ad nos beatitudo sanctorum omnibus præparata; ut adveniat Christus omnes judicaturus, ratione beatitudinis, quæ spei objectum est, non ratione supplicii, ut notat Triumphus. Quæ sane petitio non est præsumptuosa, cum Dei regnum nobis paratum sit a constitutione mundi, illudque Christus acquisierit sanguine suo, ait vetus interpres apud Martenem. Nec additur *nobis*, oramus enim ut perveniat etiam ad alios. Hæc August., Cyprianus, Venantius, Estius &c.

III. Petitio est: *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra;* ad divina præcepta refertur ab Augustino, maxime ad caritatem, per quam angeli in cælis Deo adhærent. Commendatur etiam hoc loco gratiæ necessitas, ac si dicam: *Fac me facere voluntatem tuam.* IV. Petitio est: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Habent plures codices, *supersubstantialem*, ex Græco ἐπιούσιον. At S. P. exponit de pane necessario corpori, de visibili sacramento, & invisibili verbo Dei, Cyprianus de Eucharistia. Ἄρτος edulium significat, seu cibum frugalem; superflua ergo petenda non sunt. *Da nobis* Dei liberalitatem exprimi, *qui dat omnibus affluenter* ex Jac. c. 1. *Hodie* nimiam sollicitudinem damnat, & idem est ac, *in hunc diem* ex græca καθ' ἡμέραν *quotidie.* V. Petitio est: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Omnes *debita* interpretantur peccata, ob quæ pœnas debemus. Hinc Lucas habet ἁμαρτίας. Petitionem hanc faciunt etiam justi, cum in peccata saltim venialia labantur, Christus vero pro Ecclesia. Quæ sequuntur monent veniam iis dandam, qui in nos deliquerunt, juxta præceptum Domini ab Evang. expressum Luc. c. 6.

VI. Petitio est: *Et ne nos inducas in tentationem.* Est hebraica phrasis, & idem valet ac, *ne patiaris in-*

induci, ut legit Cyprianus. His verbis non tentationes refutamus, ſed petimus ne ſuccumbamus. VII. Petitio eſt: *Sed libera nos a malo.* In græco habetur *a maligno*, unde vetuſtus interpres habet, *a diabolo.* Putat Eſtius, 6. & 7. petitionem non eſſe diſtinguendas, ſed Aug. eas diſtinguit, quia non ſolum orandum eſt, ne inducamur in malum, ſed etiam ut ab illo eruamur, quod patimur. *Amen* hebraica vox eſt, petita approbans, græce *ναὶ profecto*, vel *fiat*, latine *quæſo*, vel *utinam.* Ex 1. Cor. 14. conſtat, idiotas reſpondiſſe *amen* ſacerdotum orationibus, quod etiam nunc in Eccleſia ſervatur.

DISSERTATIO III.

De caritate.

De hac virtute agemus ſex capitibus, ubi de nomine, ac diviſione caritatis, de modo, ac tempore, quo actu eſt exercenda; tum de amore puro & Quietiſmo, de amore proximi & ordine caritatis, ac de dilectione inimicorum verba fient.

CAPUT I.

De nomine, diviſione, & objecto caritatis.

NOT. I. Caritas *gratiam, benevolentiam, & amicitiam* ſignificat, & accipitur ſemper in bonam partem. Non ita *amor*, & *cupiditas*, quæ pravum animi affectum ſæpe ſignificant. Proprie etiam gratiam ſanctificantem exprimit, qua juſti redduntur Deo grati, aliquando etiam caſti amoris actum, piam inſpirationem, & boni cupiditatem. Ipſa caritas, amor, & dilectio dicitur, ex Auguſtino, adeoque omnis caritas eſt amor, non viciſſim.

Not. II. Caritatem dividi in *habitualem & actualem. Prima eſt habitus a Deo infuſus, per quem*

voluntas redditur recta, & justa, & ad Deum, & proximum ordinate diligendum exercitatur. Per hanc scripturæ ajunt, nos reddi Dei filios, hæredes, amicos. Patres vero eam vitam vocant, qua Deo copulamur, amicitiam, ac Dei hominisque mutuam communicationem. Vide l. XIX. Hunc vero habitum a Deo infusum, esse virtutem theologicam, cum in Deum tendat, dubitandum non est. Hujusque *objectum* præcipuum Deus est: *Formale* vere objectum est summi boni præstantia. Secunda vero, seu caritas actualis per Aug. l. 3. de Doctr. 10.: *Est motus animi, ad fruendum Deo propter ipsum, & se ac proximo propter Deum.* Hujus autem caritatis actus non semper in Augustiniana schola est justificans, sed sicut caritas habitualis formaliter justificat, ita actualis inchoate & dispositive: itaut dilectio tenuis & languida persistat cum peccato, licet in aliquo extremo casu cum voto sacramenti justificare possit; vehemens tamen & flagrantissima Deo reconciliet, priusquam sacramentum actu suscipiatur. Quapropter nos dividimus caritatem in inchoatam, & perfectam, & negamus omnem dilectionem Dei benevolam stata lege absque sacramenti adminiculo conciliare Deo peccatorem: sed de his alibi. Nunc observa ex Augustino de Nat. & Gr. c. ult. Quod *caritas inchoata, inchoata justitia est, caritas perfecta, perfecta justitia est &c.* Negant aliqui cum Durando, hanc inter Deum hominesque benevolentiam esse veram amicitiam: contra quos sit

PROPOSITIO. Caritas veram parit amicitiam.

Prob. Nam inter Deum, & hominem justum est caritatis consensio; ergo est inter utrumque vera amicitia. Prob. conf. ex definitione amicitiæ, quæ ex August. est: *Rerum humanarum & divinarum consensio, cum benevolentia, & caritate.* Consentit cum Platonicis Marsilius Ficinus, Aristoteles, Aspasius, aliique. Quod vero inter Deum hominemque perfectissima sit caritatis consensio patet: cum

cum enim perfecta voluntas sit summo bono adhærere eoque frui, utrumque vult tam homo justus, quam Deus: atqui hæc est excellentissima animorum consensio; ergo vera amicitia est. Jure ergo Christus Dominus amicos dixit discipulos suos. Luc. 12.: *Dico vobis amicis meis*, & Jo. 15.: *Vos amici mei estis*, & alibi passim.

Ob. I. Per amicitiam quis bonum vult alteri ex affectu erga ipsum, atqui Deus universa propter semetipsum operatur; ergo &c. II. requiritur ut amicus alteri benefaciat, atqui homo non potest Deo benefacere; ergo &c. III. Vera amicitia ex Aristotele est inter inæquales, atqui Deus & homo non sunt æquales; ergo &c. R. ad I. neg. maj. Id enim requirebant gentiles Philosophi ignorantes munera caritatis, divinumque consortium. Vid. prob. Ad II. neg. maj. Sufficit enim mutua benevolentia, qualis est inter regem, & subditum, qui nequit regi benefacere, & tamen datur inter eos vera amicitia. Ad III. dist. min. Non est æqualitas per naturam, conc., per gratiam, neg. Per hanc enim ex 2. Petr. 1. omnes efficimur *divinæ consortes naturæ*; ergo &c.

CAPUT II.

De modo, ac tempore, quo actualis erga Deum caritas est exercenda.

QUIDAM a Merbesio, Piette, Vanroy &c. refutati præceptum diligendi Deum solis externis actibus impleri autumarunt, alii nullo suæ vitæ tempore teneri hominem ad eliciendum caritatis actum: nec omnes norunt qualis a nobis dilectio exigatur. Sit itaque

Propositio I. Deus etiam interiori caritatis affectu diligendus est.

Prob. I. Deut. 6. habetur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua &c.*; ergo &c. II. Proscripta est ab Innocentio

XI. hæc propoſitio: *Non tenemur proximum diligere actu interno*; ergo a fortiori diligendus eſt Deus actu interno, qui voluntatem attendit, non cenſum. III. Caritas eſt *motus animi*, ſi ad Deum gradiatur, *non pedibus*, *ſed affectu*, ait S. P. Ser. 344. &c. IV. ſine caritate, qua Deo adhæreamus, nullus eſt Dei cultus, nulla vera religio, ut ait S. P. l. 10. de C. D. c. 4. V. Si externa officia ſufficiunt, non erit *ſacrificium Deo cor contritum &c.*, non adorabitur *in ſpiritu &c.* Erunt Deo accepti, qui eum *labiis honorant &c.*, quod eſt abſurdum; ergo &c.

Ob. I. Jo. 14. habetur: *Si diligitis me, mandata mea ſervate*; ergo &c. II. Poſſunt impleri mandata ſolo timore pœnæ; ergo &c. III. Bern. Ser. 50. in Cant. ait: *De illa caritate, quæ operis eſt, puto datam legem hominibus. Nam in affectu quis ita habeat ut mandetur?* ergo neque Bernardus docet, a Deo præcipi interiorem affectum. R. ad I. neg. conſ. Apoſtoli enim quibus dicitur: *Si diligitis me &c.* jam diligebant, eiſque præcipitur: *ut diligant, & mandata ſervent, ut innoteſcat quod habent.* Ita S. P. Tr. 74. n. 1.; ergo non diligentibus præcipitur ut diligant, diligentibus vero ut factis comprobent dilectionem. Ad II. diſt. ant.: *Ita ut formido* cuſtodiat, & perducat ad dilectionem, quæ Rom. 13. eſt plenitudo legis, conc., ſecus, neg. Ad III. diſt. conſ. Negat affectum rationis, neg., ſapientiæ, conc. Diſtinguit enim ibi Bern. tres affectiones, *carnis* nempe, *rationis*, & *ſapientiæ*, & hanc ibi ait, in præmium dari poſt opera, de 2. vero ait: *Opera fiunt, & in ipſa caritas ſedet, quæ etſi nondum dulci illo amore ſuaviter reficit, amore tamen amoris ipſius accendit*; ergo &c.

Propositio II. Rationalis creatura ſemper debet aut actu, aut virtute Deum diligere.

Prob. I. Eccl. 13. ait: *Omni vita tua dilige Deum.* II. S. P. l. 1. de Doctr. 22. docet: *Nullam vitæ par-*

partem relinqui, quæ vacare debeat dilectione. III. Rationem affert S. P., quia *Deus est summum bonum, neque ultra quærendum*, in hoc ergo sita est hæc continua dilectio, ut nulli rei creatæ, tamquam fini ultimo inhæreamus: sed studeamus summo bono toto affectu adhærere; aut saltem operemur ob inditam legem honestatis, actus nostros in Deum ex virtute referentes, ne inani gloria labefactentur. Licet enim actus dilectionis nequeat elici omni momento, semper tamen affecti esse debemus, ut amor pondus nostrum cor ad fluxa non deprimat. Quo vero tempore dilectionis actus sit præcise eliciendus, arduum est definire. Alexander VII. an. 1665. sententiam proscripsit docentem, nullo vitæ tempore ad id fideles obstringi. Innoc. XI. an. 1676. aliam damnavit docentem, non teneri ad hoc, ne singulis quidem quinquenniis. Ledesma censuit quotannis innovandum, Merbesius, & Vanroy singulis festis diebus, D. Th., Viva, aliique nostrates ajunt, urgere hoc præceptum ab ipso rationis usu. Nos vero eliciendum censemus etiam in sacramento pœnitentiæ, & in mortis articulo.

Propositio III. Diligendus est Deus ex toto corde.

Prob. ex Deut. 6., & Matth. 22. Id autem fit dum præcipuum studium in Deo locatur, dum nihil Deo præfertur, dum creaturis utimur, ut Deo fruamur. Id vero & *ratio urget*, & *justitia naturalis*, ait Bern. de dil. Deo c. 5. Ratio petitur ex quo Deus sit bonum omnium præstantissimum: justitia oritur ex pluribus beneficiis, quibus nos cumulavit. Diligitur Deus toto corde, si in eum referantur omnia consilia nostra, cognitio, vita &c. Vide Aug. l. 1. de Doct. chr. 22., Salef. l. 1. Phil. 6.

Dices: si ita est, nullus in hac vita hoc præceptum implere poterit; ergo &c. R. dist. ant.

Nul-

Nullus &c., quoad caritatis vehementiſſimam intenſionem, conc., quoad præcipuum ſtudium, neg. Primo modo non impletur hoc præceptum, niſi in patria, ut docet S. P. de Perf. Juſt. c. 8., ſecundo modo impletur etiam in hac vita, ſi nihil appetatur illicitum: *Aliud eſt enim totam non aſſequi caritatem, aliud nullam ſequi cupiditatem*, ait S. P. de Sp. & lit. n. 64. Adde, *fieri toto corde*, quando in id mente ſumus intenti. Jure ergo Trident. damnavit ſectarios autumantes, neminem mortalium poſſe præceptum caritatis implere.

CAPUT III.

De amore puro, damnatoque Quietiſmo.

Not. Proſcripta an. 1311. Beguardorum, & an. 1633. Illuminatorum ſecta, erupit iterum per Michaelem de Molinos, qui circa an. 1687. docuit, annihilandas eſſe potentias animæ: hanc non debere active ſe gerere, ſed ſe regendam committere divinæ voluntati, ſpem denique omnem, timorem, ac ſollicitudinem propriæ ſalutis deponendam. Fictitia hujuſmodi indifferentia ait, animam in ſua quiete orare etiam dum ſomno abripitur, imo dum carnales actus exercentur, eo quod hæc non inficiant ſuperiorem partem illius, qui ſemel Deo proprium ſubjecit arbitrium. Quæ omnia damnavit Innocentius XI. an. 1687.

Not. II. In *Quietiſmum*, licet incautus, prolapſus eſt Camerac. Epiſcopus Franciſcus de Fenelon in libro inſcripto: *Maximes de Saints* an. 1697., ubi admittit ſtatum *habitualem* caritatis *puræ*, ac ſanctæ indifferentiæ, in quo nec æternam ſalutem volumus, dari in eo ſtatu extremas probationes, in quibus ſpes omnis amittitur. Perſtrinxerunt hunc errorem Melden., & Carnoten. epiſcopi, eumque retractavit auctor an. 1698. Sit itaque

PROPOSITIO I. Datur animarum quies a Molinosiana diversa.

Prob. I. pars Cant. 2.: *Ne suscitetis dilectam, donec ipsa velit.* Et c. 5.: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Jo. 13.: *Erat recumbens unus ex discipulis ejus in sinu ejus*: atqui Mystici his verbis *quietem* illam intelligunt, qua anima, quasi dulci somno abrepta, & veluti puer innixus mammis lactemque sugens divinæ dulcedinis jucunditate perfunditur, illamque exteriores sensus ad alia non distrahunt, ut Theresia, Joannes a Cruce, Salesius, aliique scripsere: ergo &c.

Prob. II. pars. I. enim oratio *quietis* ex D. Bonaventura, S. Theresia, Salesio, aliisque ea est, qua anima se ad cordis intima retrahens nec videt, nec sentit nisi Deum: in ea enim cessat anima, & quiescit a terrenis tumultibus ex D. Bernardo: atqui Molinos in sua *quiete* vult animam pati etiam dæmonum violentias, & libidinum incitationes; ergo &c. II. Licet in oratione *quietis* aliquando anima caritatis dulcedine perfusa nil agere videatur ex S. Theresia, ait tamen c. 14. potentias se interius retrahere, non deperdi, eamque esse amoris scintillam, quæ servilem timorem pellit, inseritque filialem. Salesius etiam ait c. 8., voluntatem *nihil agere*, sed recipere amoris dulcedinem, quia non de se cogitat anima, sed de Deo, & licet nullam habeat sensuum exercitationem, in delectatione tamen caritatis non dormitat, cum in parte superiori operetur; ergo huic sanctæ quietis orationi directe illa opponitur, qua voluntas laxatis potentiarum habenis indifferenter se habet, nec virtutum actus elicit: *Ad quid*, ait Laurea (a) *homo se constituit ante Deum, si de eo nec vellet cogitare, nec amare &c.* III. Caritas debet cete-

(a) *Opusc. de contempl.* 7.

ceteris affectibus & sensibus dominari, & voluntas exercere in alias potentias imperium, ex Salef. l. 1. c. 6., ne contemplationis tempore divagentur, *ne evigilare faciant dilectam*, quandiu sponso fruitur in oratione quietis: fictitia est ergo Molinosii *quies*, in qua voluntas non regina, sed captiva nil imperat, eamque ancillæ tumultuosæ, idest sensus, exturbant, a sponsi amplexibus separant, adulterisque amatoribus subjiciunt; ergo &c. Vide auctorem.

Propositio II. Fictitius est status puri amoris, a Fenelonio inductus.

Prob. I. ex ejus confessione. Nam in damn. prop. 22. ait: *Quamvis hæc doctrina esset pura, & simplex perfectio Evangelica, antiqui PP. eam non proponebant passim multitudini justorum:* sed nulla Evangelica doctrina verbum salutis excludit; nec dici potest Patres ut arcanum servasse necessaria *pure* amantibus documenta; ergo &c. II. Opponitur Evangelio, in quo diligentibus Deum præscribitur observantia mandatorum, adeoque fides, spes, caritas, jejunium &c. Spes etiam huic *puro* amori repugnans laudatur ab Apost. 2. Cor. 3., & Philip. 4. ad quæcumque virtutum officia fideles hortatur, sed juxta illud nefarium dogma: *Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet habere curam, nec de inferno, nec de paradiso, nec desiderium habere propriæ salutis, cujus spem purgare debet;* ergo &c. III. Si sponsus retrahat dulcedinis signa incusso quoque reprobationis timore, ut fecit Magdalenæ de Pazziis, id præstat, ut animæ tentationibus vexatæ præbeant exempla humilitatis & patientiæ, neque illas penitus deserit, ut scribit S. Theresia c. 17. vitæ suæ; ergo ea derelictio, qua anima puro affecta amore, etiam desperando, superiori parte sponso adhæreat, est *fanatissimus*. IV. Rectus amor divinæ voluntati non adversatur, quæ præcipit, ut simus *non pigri, spi-*

ſpiritu ferventes, Domino ſervientes, ſpe gaudentes; ergo qui in hoc ſtatu indifferentiæ torporem, ignaviam, deſperationem, aut turpitudinem approbat, divinæ voluntati adverſatur.

Opp. Quietiſtæ exempla Chriſti, qui Matth. 27. clamavit: *Ut quid dereliquiſti me;* ergo deſperavit. Moyſis, qui Exod. 32. ait: *Si non facis, dele me de libro viventium.* Pauli qui Rom. 9. ait: *Optabam anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis;* ergo &c.

R. hiſce exemplis nos non trahi ad indifferentiam, & quietem, ſed ad gemitum & orationem, ut Deus ariditatem noſtram diſſipet dulcedine amoris ſui, quod fecit Magdalena de Pazziis, quæ in ſumma ſpiritus deſolatione magis lacrymabatur, & orabat ex Pucc. c. 38. Ad I. neg. conſ. Supplex enim illa oratio fuit cum ſpe & fiducia conjuncta, exclamavit enim ob ea tantum, quæ patiebatur humana natura, nullum accipiens a divina levamen: at Chriſtum deſperaſſe blaſphemia eſt, cum Patri paulo ante ſpiritum commendaverit. Ad II. neg. conſ. Hieronymus enim & Eſtius illa verba explicant de morte corporis, & de libro hanc vitam viventium, nemo enim deleri poteſt de libro prædeſtinatorum. Ad III. diſt. ant. *Optabam* hypotethice, *ſi modo fieri poſſet* pro Dei gloria, ut exponit Chryſoſtomus, conc., abſolute, neg. Senſus ergo Pauli eſt, optarem diſcindi a Chriſto pro ejus gloria, ſi per legem juſtitiamque Dei liceret; unde in græco habetur ηυχόμην *optarim,* non *optabam.*

Propositio III. Perſiſtit caritas cum intuitu mercedis æternæ.

Prob. I. Scripturis Pſ. 118.: *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem.* Matth. 6. Chriſtus nos petere docuit, ut *adveniat*

veniat regnum Dei. Et infra: *Quærite primum regnum Dei.* Coloſſ. 1.: *Audientes fidem veſtram &c. propter ſpem, quæ repoſita eſt vobis in cælis.* Et Hebr. 11. de Moyſe dicitur: *Aſpiciebat in remunerationem.* Prob. II. ex PP. Amb. l. 5. in Luc. 6.: *Studia virtutum ſive remuneratione torpeſcunt.* S. P. Serm. 345.: *Si te opus turbat, erigat ipſa merces.* Et Eccleſia de ſanctis martyribus canit: *Tradiderunt corpora ſua, ut hæredes fierent &c.* hinc Trid. Seſſ. 6. c. 31. ait: *Si quis dixerit, juſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema ſit.* Prob. III. ratione: finis enim bonorum operum eſt vita æterna, atqui hunc finem ſtatuit Dei liberalitas, inquirit fides, præſtolatur ſpes, & juſtitia rependit: ergo &c.

Ob. I. Qui operatur intuitu mercedis non amat gratis, ſed quærit quæ ſua ſunt; ergo &c. II. Amor, qui proprium commodum ſpectat, eſt amor concupiſcentiæ, non caritatis, ſed qui æternam mercedem ſpectat, ſuam diligit utilitatem; ergo &c. III. Licet merces poſſit optari, magis tamen laudandus amor liberalis, qui eam non quærit; ergo &c.

R. ad I., & III. neg. ant. Gratis enim amat, qui non aliam quærit mercedem, præter bonum ipſum, quod amat; ut enim ait S. P. Serm. 340.: *Quia gratis amamus, mercedem quærimus. . . Nullo modo merces quæreretur ab eo, qui gratis amatur, niſi merces eſſet ipſe, qui amatur.* Qui ergo non habet ſpem beatitudinis, perfecte non amat, quia non deſiderat frui ſummo bono. Hinc Hugo Victorinus l. 2. de Sacrament. 8. ait eos, qui dicunt: *Diligimus Deum, ſed non quærimus præmium ne mercenarii ſimus, eſſe tam ſtultos, ut ſeipſos non intelligant: quoniam ſi aliud quæreres ab ipſo, gratis non amares, ſed non amares, ſi non deſiderares.* Ad II. diſt. maj. Eſt amor concupiſcentiæ non caritatis, ſi finem amoris, quo Deum diligit, in propria

pria utilitate conſtituat, conc., ſi ſit amor concupiſcentiæ, quo propriam felicitatem expetit, ut Deo amore jucundiſſimo inhæreat, neg. Quare amor ſpei & *concupiſcentiæ*, ſeu deſiderii, qui fertur in propriam beatitudinem (ac poſſet in pravum finem deflecti, non defectu ipſius ſpei, ſed vitio ſperantis) dirigi debet caritate, itaut præcipuus finis ſit Deus, ut diligamus æternam vitam, ſed intentione adhærendi Deo.

CAPUT IV.

De amore proximi, & ordine caritatis.

PROXIMUM diligendum eſſe propter Deum demonſtrat ipſemet ordo caritatis. Inſinuatur autem dilectionis præceptum Levit. 19. Matth. 22. Jo. 13. & alibi paſſim. Exercetur cum proximo caritas non ſolis externis officiis, ſed etiam internis, curando ut etiam ipſe toto corde diligat Deum. Sit itaque

Propositio I. Proximus etiam interiori caritate diligendus eſt.

Prob. I. Matth. 22. habetur: *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*, ſed τὸ *diliges* motum animi ſignificat caritati Dei & proximi eſſentialem ex Aug. l. 3. de Doct. 10.; ergo &c. II. Ex Apoſt. 2. Cor. 6. caritas non eſt, quæ ex corde non oritur, ſed diſſimulatio. III. Jo. in 1. ep. c. 3. ait: *Non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate*, ideſt ſinceritate cordis, & operum exhibitione. IV. Præcepta ſervari debent recto fine, ſed is non habetur abſque caritate cordis; ergo &c. V. proſcripta eſt ab Innoc. XI. ea propoſitio: *Non tenemur proximum diligere actu interno*; ergo &c.

Propositio II. Proximi dilectio se ipsum complectitur, parentes, liberos, uxores, propinquos, amicos, & pauperes.

Prob. I. pars. I. cum enim dictum est: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, simul & tui abs te dilectio non est prætermissa. II. ut ait S. P. l. 1. de Doctr. c. 26. ille solus se novit diligere, qui Deum diligit; ergo in amore Dei etiam sui ipsius amor præscriptus est. Nisi enim homo ita seipsum diligat, ut inhæreat Deo, erit *amor proprius*, quo homo vel se, vel quæ sunt extra se, diligit propter se. Ne itaque tam perniciosus amor subrepat, contemnendum est quidquid ad Dei caritatem non refertur, divitiæ, fama, sanitas &c. Prob. II. pars de amore erga parentes, de quo in expos. 4. præcepti. Horum tamen amor divino præferri non debet, Deus enim est *Pater* spirituum, ideoque *huic multo magis obtemperabimus*, ait Ap. Heb. 12. Deinde homines genuerunt filios morituros, Deus creavit in æternitate mansuros. Ex quibus omnibus ostendit S. P. Serm. 344. quanta cura amor parentum sit dirigendus in Deum.

Prob. III. pars, de amore parentum erga filios. Ut enim ostenderet Deus, quanta ipse præ filiis caritate sit diligendus, præcepit olim ut sibi offerrentur primogeniti, qui solent impensius amari, Exod. 13. Extant 1. Reg. 1. Judic. 13. Luc. 1. exempla Samuelis, Sampsonis, Baptistæ &c. Si ergo filii declinent a via Domini, corripiendi sunt & puniendi, ne genitoribus fiat severa objurgatio, & pœna inflicta Heli Reg. 1. 6.

Prob. IV. pars de uxore. Hanc enim diligendam esse constat ex Gen. 2. Matth. 5. Coloss. 3. & nil utilius est, quam vir & mulier bene consentientes, ait Eccl. 25. Nota: S. P. A. Ser. 349. de Temp. caritatem hanc humanam appellat, eamque ait esse posse

posse inter conjuges etiam impios, paganos, Judæos, hæreticos &c., & Apostolus ad Ephes. 5. ait, diligendam a viro uxorem, ut diligitur a Christo Ecclesia, & ut diligitur corpus proprium, nempe, ut studeat ejus saluti, neque ullis immunditiis eam polluat, aut pollui sinat, sicut Christus sanctificavit Ecclesiam, mundans eam lavacro &c. Prima ergo mariti inspectio est, ut mulier vitam ducat probam & honestam. Ex his refelluntur, qui post Nicolaitas putarunt, licere uxori viro consentiente alteri se submittere, quod idem est ac opinari, Christum tradere posse diabolo Ecclesiam suam.

Adulterium *inter probra naturæ turpia* recenset etiam Ulpianus, Horatius, & Tullius: illud damnat divina lex Exod. 20. Matth. 5. Thess. 1. 4. & humanæ leges lib. 20. laudatæ: nec non Ecclesiæ PP. apud N. Alex. Diss. 29. primi sæc. Accedunt rationes ex illata marito injuria, ex morum corruptela, ex confusione prolis, ac patrimoniorum alienatione, ex pœnis ipsis, quibus hujus criminis auctores multati sunt. Nam juncti curribus adulteri ab Hippomene necati sunt; cæsi mille plagis, sectique ab Ægyptiis, præcipitati a Romanis, lapidati ab Hebræis; ergo &c. Qua de re Augustini mentem non est assecutus Platelius, qui in Synopsi scribit, Augustinum Serm. Dom. in monte 29. non audere peccati damnare eum, qui mortis metu uxoris copiam alteri præbet. Nam S. P. loco citato ait: *Sed non ita est æstimandum, ne hoc etiam fœmina viro permittente facere posse videatur,* QUOD OMNIUM SENSUS EXCLUDIT, *quamquam nonnullæ caussæ possint existere, ubi & uxor mariti consensu pro ipso marito hoc facere debere videatur.* Et sensus est, nunquam licere consentiente marito uxorem adulterari, quoniam, etsi videatur id aliquando exigi ad salvandam conjugis vitam, ID TAMEN OMNIUM SENSUS EXCLUDIT, ut pro vita anima maculetur.

Prob. V. pars. De dilectione propinquorum, & amicorum. Hos enim recte diligimus, ſi ordinatam habeamus caritatem, omnia diligentes propter Deum, Deum vero propter ſeipſum, ut docet S. P. l. 1. de Doctr. 27. At religioſi fratres etiam majori, quam fratres carnis ſunt amore diligendi: ut imitemur Chriſti diſcipulos, & naſcentis Eccleſiæ fervorem.

Prob. VI. Pars de pauperum dilectione. Qui ſane præ cæteris diligendi, atque eleemoſynarum ſubſidio juvandi ſunt. Id enim per Eccleſiaſticum eſt *reddere debitum*, de quo rationem eſſe reddendam conſtat ex Matth. 25. Pluribus argumentis eamdem inculcant Baſilius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Thomas de Villanova, aliique.

Quæres: quinam ad eleemoſynam teneantur. R. Eos, quibus liberum eſt rerum dominium: unde uxores impertiri non poſſunt, niſi quæ iis ut impendant pro lubitu conceduntur, ut ſunt in conjuge *extradotalia*, & in filiis familias *caſtrenſia*. Poſſunt tamen utrique tribuere ex conſenſione etiam tacita rectoris domus. Idem dicendum de religioſis, quorum bona cedunt in jura communitatis. Diſtribuendum eſt autem quod *ſupereſt* operi Dei, non quod ſupereſt cupiditati, quæ nunquam impletur, ut inveniantur ſuperflua pauperibus eroganda, ait S. P. in Pſ. 147. Quod mala fide, furto, aut vitioſo ludo poſſidetur, reddi debet, non erogari pauperibus: *De tua ſubſtantia fac eleemoſynam*, ait Tob. 4. & Prov. 3. Errant ergo, qui illud Luc. 16.: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, de pecunia male parta accipiunt. Dicitur enim *mammona iniquitatis*, quia divitias hujus ſæculi habent etiam iniqui, ut explicat S. P. Serm. 41. Denique eroganda eſt eleemoſyna etiam improbis, neque avertenda facies ab ullo pauperum ex Tob. 4. Contingere tamen poteſt, ut melius ſit erronicos in operationem

mitte-

mittere, quam otium fovere beneficiis. Caritatis ordo poſtulat, ut prius tibi victum ac veſtitum *ſufficientem, ac mediocrem* pares, deinde parentibus egenis, poſtea ſervis, ac ancillis. Quod ſupereſt, ſive de militia, ſive de agro, ſive aliunde proveniat, hilari vultu pauperibus diſtribue, ut deleantur peccata, & vita comparetur æterna, ut optime monet S. P. A. Ep. 243.

CAPUT V.

De dilectione inimicorum, ubi de bello, & monomachia.

JUDÆORUM Scribæ, illud Levit. 19.: *Diliges amicum tuum ſicut te ipſum*, de ſolis Judæis, & conſanguineis accepere, contra quos ſit

PROPOSITIO I. Etiam inimici diligendi ſunt.

Prob. I. ex Matth. 44. ubi Chriſtus reſpuens pravam Judæorum interpretationem ſup. citatam ait: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros* &c. Item Matth. 6. ait: *Dimitte nobis, ſicut & nos dimittimus.* Idipſum urget Ap. Rom. 12. Petr. 1. c. 3. PP., ac theologi omnes: congruit etiam rationi dilectio inimicorum, qui habent nobiſcum communem naturam, eodem pretio redempti ſunt, eamdem hæreditatem expectant; ergo &c.

Opp. Deut. 20. juſſit Dominus hebræis, omnes hoſtes interfici, nec fœdus iniri cum Amalecitis; ergo &c. R. diſt. ant. Interfici legitimo belli jure, conc., privata vindicta, neg. Bellum ergo indixerat Dominus idololatris ob impium Deorum cultum: Licitum eſt autem gerere juſtum bellum religionis, aut reipublicæ cauſſa, quidquid Manichæi, Anabaptiſtæ, & Eraſmus obganniant, quos Bellarminus, Eſtius, Lupus, & H. Grotius de Jure bell.

& pac. refellunt. Amalecitas proinde deleri jussit, quod populum Israel injusto bello lacessissent.

Not. tria ad justum bellum requiri, I. Legitimam auctoritatem, qua bellum suscipitur *sive Deo, sive aliquo legitimo imperio jubente*, ait S. P. l. 22. contra Faustum c. 74. II. Æquitatis ordinem, nempe ad *terrendam, aut subjugandam mortalium superbiam*, ait ib. S. P., ideſt dum homines impii, aut patriam aut religionem perturbant. III. Rectum finem, quod *totum bellum agit ratio, & nihil sibi vindicat furor*, ait Hugo Floriac. in Miscell. Baluz. l. 4.

Propositio. His conditionibus fas est Christianis bellum gerere.

Prob. I. Ex veteri Testam., ubi Deus ipse bellandi leges præscripsit, & belli duces Moyses, Josue, Gedeon, Machabæi, aliique commendantur ab Ecclesiastico c. 46. ab Ap. Hebr. 2. ab Ambrosio, & Augustino, aliisque; ergo &c.

Prob. II. Ex novo. Nam Luc. 3. militibus hæc præcipit Jo. Baptista. *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.* Non ait: subdit S. P. l. 22. adv. Man. c. 74.: *Arma abjicite, militiam deserite, neminem percutite, quia sciebat, non esse homicidas, sed ministros legis, non ultores, sed salutis publicæ defensores*; ergo &c. Et Matth. c. 8. Christus Centurionis *fidem laudavit, non illius militiæ desertionem imperavit*, addit ibidem S. P.; ergo &c. Imo jussit Dominus, pendi tributa Cæsari, quæ ex Augustino ibid. *præstantur propter bella*; ergo &c.

Prob. III. Ex Ecclesiæ praxi, quæ militibus baptisma petentibus non præcepit ut castra desererent, sed idola, aut rapinas &c. Militasse etiam in castris Decii, Valeriani &c. Christianos optimos ex Actis sancto-

ſanctorum colligitur: atque eorum precibus imbrem impetratum narrat Tertullianus. Hinc a Rom. PP. benedicitur enſis, & dono mittitur ducibus, & imperatoribus militum.

Prob. IV. ratione. Poſtulat enim caritatis ordo, ut bellum quandoque geratur ad puniendos ſceleſtos, ad humiliandos inimicos, ad Remp. civeſque ſalvandos. Vide Aug. Ep. ad Bon. 189.

Ob. I. Vetat lex Chriſti Matth. 5. ne reſiſtamus malis, Rom. 12. ne malum pro malo reddamus, 2. Cor. 10. ne militemus ſecundum carnem; ergo &c. II. De Chriſti fidelibus ait Iſ. 2. *Conflabunt gladios in vomeres;* ergo bellum repugnat Chriſti manſuetudini. III. Canone 13. Nicæno pœnitentia indicitur redeunti ad militiam. IV. PP. plura in bello damnant flagitia; ergo chriſtianis nefas eſt bellum gerere.

R. ad I. diſt. ant. Et ibi vetatur privata vindicta, conc., bellum legitimum, neg. Ap. vero præcipit, ne vivamus ſecundum deſideria carnis. Ad II. neg. conſ. Non enim chriſtianæ manſuetudini adverſatur, dum indicit bellum neceſſitas, & pugnando expugnantur iniqui, ut victi ad pacem perducantur, ſicut non opponebatur Chriſti manſuetudini flagellis cædere templi profanatores. Iſaias vero prædicit tempus nativitatis Chriſti toto orbe in pace compoſito. Ad III. diſt. ant. Indicitur idololatriæ cauſſa, conc., ob ſolam militiam, neg. Cum enim Imperatores Ethnici nolentes Diis ſacrificare militari cingulo ad ignominiam exuiſſent, idololatriam probare videbantur, qui ad militiam revertebantur. Ad IV. diſt. ant. Damnant flagitia, quæ bellum pariunt, conc., damnant bellum, quod geritur, ut puniantur flagitia, ut pax; & juſtitia ſervetur, neg. Parit etiam bellum plura flagitia, ſed ex hominum vitio.

Propositio II. Illicita est monomachia, sive duellum.

Prob. I. Ex Trid. sess. 25. c. 19. quod monomachos plectit excommunicationis pœna, perpetua infamia, proscriptione bonorum, atque ecclesiastica sepultura. Idem statuerunt Gregorius XIII., Clemens VIII., Alex. VII., qui hanc propositionem proscripsit: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam incurrat.* Prob. II. ratione. Si enim fiat ad virium ostentationem superbia est, si ad notam timiditatis vitandam, stultum est ob improborum existimationem præsentis, ac æternæ vitæ inire discrimen. Secus dicendum est, si fiat ex condicto utriusque partis ad finem truci bello imponendum, tunc enim fit jussu legitimæ potestatis.

CAPUT VI.

De caritatis præcepto circa vitæ aggressorem.

NOT. I. Injustum aggressorem licite occidi posse affirmant Soto, Estius, ac omnes fere Thomistæ, atque ex nostratibus Salonius, Petrus de Aragona, Riccius. Oppositum tamen docent præter Richardum, Gersonem &c. Triumphus, Norisius, Lupus, Vanroy, Gavardi, Piette, aliique recentiores, apud auctorem.

Not. II. Doctores, qui affirmativam partem tuentur, necessarium requirere *moderamen inculpatæ tutelæ*, idest ut defensor id unum præstet, quod necessarium putat ad intentatam sibi necem propulsandam, itaut si possit se fuga tueri, non tractet arma, si hoc sat est, invasorem non vulneret, vel si eum levi vulnere potest repellere, non infligat lethale. Addit S. Thomas, ut defensor intendat conservationem propriæ vitæ, non mortem aggressoris, id-

est

eſt ut nullo modo intendatur mors invaſoris vel ut finis, vel ut medium: itaut mors illa ſequatur tantum per accidens. Nam D. Thomas docet, ejuſdem actus aliquando dari duos effectus, *quorum alter ſit in intentione, alius vero ſit præter intentionem.* Morales autem actus ſuam ſpeciem deſumere ab eo, quod intenditur, atque ex D. Thoma illud *per accidens* dicitur evenire, *quod eſt præter intentionem agentis.* Sed qui aggreſſoris mortem intentat, ut ſuæ ſaluti conſulat, non ita ſe gerit, ut mors illa ſequatur tantum per accidens, & præter intentionem, cum tam finis, quam medium ſint intentionis objectum, ut notum eſt; ergo D. Thomas permittit tantum occiſionem invaſoris, ſi ſequatur per accidens, ut in ægroto deliquium, non autem ſi intendatur ut finis, aut medium, ut explicat Cajetanus.

Not. III. Citra vitium amari poſſe vitam corporalem, ut docet S. P. l. 1. de Doctr. 25., ſed præcipiendum eſt homini, *quomodo corpus ſuum diligat, ut ei ordinate, prudenterque conſulat:* itaut amplius alius homo diligendus ſit, quam corpus noſtrum, quia cum omnia diligenda ſint propter Deum, alius homo poteſt Deo perfrui, quod non poteſt corpus, cum corpus per animam vivat, qua fruimur Deo. Id etiam ſcribit Noriſius culpans tantummodo amorem libidinis, quo vita corporis fruimur. Immerito ergo eum redarguit Riccius, quod dixerit, *dilectionem corporis affectum eſſe brutalem.*

Propositio. Licita eſt injuſti aggreſſoris occiſio, ſi a noxia cupiditate ſequeſtremur, ideſt ſi amori proximi non præferatur amor corporis, & defenſionem ſui moderetur pacatum rationis imperium, quod tamen raro, & forte numquam accidit.

Prob. Hæc vera Noriſii ſententia I. ſcripturis. Exo. 22.: *Si effringens fur domum accepto vulnere mor-*

mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis, quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit (1). In quem locum ait S. P. *Non pertinere ad homi-*

(1) Optima est ab auctore producta Augustini expositio. Non desunt tamen, qui in hebraico textu illud אם־במחתרת *im va machteret in effossione* interpretantur: *Cum instrumento ad muros perfodiendos.* Vox enim *machteret* actum effossionis, & ejus instrumentum promiscue significat. Unde hoc instrumentum genus quoddam arborum intelligunt. Ita fieret, ut impune occidi posset fur cum hoc armorum genere deprehensus: quod satis improbabile videtur. Observant insuper, ob nudam etiam præsumptionem captam, vel ex *perfossorio instrumento*, vel ex ipsa *effossione domus* de animo latrocinandi furis necem fuisse permissam. Sic autem ab homicidii crimine se innoxium putasset quisquis absque vitæ discrimine, certus tamen de furandi animo alterum noctu occidisset. Alii percussorem nocturni furis excusant, quia magis casu, quam data opera, dum aut se, aut sua tueretur, furem occidit. Non enim potuit in tenebris ictus ita librare, ut latronem reprimeret, quin fortuito uno ictu vel altero lethale vulnus inferret. Addunt, Platonem l. 9. de Leg. & Romanos Lege XII. tabularum idem fere, quod Moyses de nocturno fure sanxisse: has vero immunem ab homicidio percussorem non agnovisse, nisi prius vicinorum opem invocasset. Plures existimant, leges in his casibus armorum licentiam singulis civibus quodammodo permisisse, ut in nocturnis furibus non tam privatos aggressores, quam publicæ quietis perturbatores e me-

homicidium, si fur nocturnus occiditur, si autem diurnus, pertinere; poterat quippe discerni, quod ad furandum, non ad occidendum venisset, & ideo non deberet occidi; ergo licite occiditur, qui venit ad occidendum.

Opp. Vanroy, legem Exodi esse judicialem, & de solo foro externo esse accipiendam. Dicitur enim occidi posse furem diurnum, qui se telo defendat, quod in solo foro externo licitum esse docet schola Augustini. II. Adde in veteri lege plura illicita fuisse impunita, ut pœna talionis, libellum repudii &c., unde Augustinus ait: *Impune occidi, non licite;* alias fas esset furem occidere, quando aliter repelli potest. Addi potest ex Auctore versio græca: *Non est illi cædes*, Arabica: *Erit impunitas*, Syriaca: *Non habebit actionem capitalem;* ergo lex illa ad civilem politiam spectat, non ad conscientiæ forum.

R. neg. ant. Vulgata enim, & R. Jonathan habet: *Non erit reus sanguinis*, S. P., & R. Salomoh ait: *Non pertinere ad homicidium, de quo in decalogo;*

---

e medio tollerent. R. Maimonides de Furt. c. 9. dubitans fortasse ex vers. 3. seq.: *Si orto sole* &c. sive ut habet hebræus: *Si autem Sol ortus fuerit super ipsum, sanguis ei* (imputabitur) hanc interpretationem non eximere percussorem furis diurni a reatu homicidii, quocumque animo fur accessisse crederetur ad perfodiendam domum, sive ut res, sive ut vitam domino eriperet, amplexus est interpretationem Jonathanis, & hunc versum sic reddidit: *Si clarum erit perinde ut lux solis, non venisse furem animo occidendi, qui eum occiderit, reus erit homicidii.* Sed hæc contra fidem sacri textus.

logo; ergo nec in interiori foro labes contrahitur. Deinde in ea lege, quæ data eſt ad Judæorum politiam, divina voluntas permiſit homicidium; ergo qui occidit invaſorem, non agit contra voluntatem divinam, ideoque non peccat. Adde legem Exodi, & verba Auguſtini extare in cap. *Si perfodiens* De homic., atqui leges canonicæ obligant in conſcientia; ergo &c. Ad prob. neg. ant. Quod enim occidi poſſit etiam fur diurnus, *qui ſe telo defendit*, nec habetur in Exodo, nec citatur ab Auguſtino ut lex divina, ſed ut civilis; unde aſſerit *occidi impune*; at de occiſione furis nocturni ait, hanc *non pertinere ad homicidium*. Ad II. neg. ant. Non enim illicitum erat dare libellum repudii, pœnam talionis &c., dum a lege permittebantur, ſed illicitus finis, quo Judæi lege abutebantur cauſſa odii, aut vindictæ. Nec ſequitur, occidi poſſe aut nocturnum furem, aut graſſatorem, ſi poſſit mors aliunde vitari, quia ſic pervertitur ordo caritatis.

Prob. II. Ex Catech. R. p. 3. n. 8.: *Qua ratione, ſi quis ſalutis ſuæ defendendæ cauſſa omni adhibita cautione alterum interemit, hac lege* (non occides) *non teneri*; ergo &c. R. Vanroy, agi ibidem de homicidio caſuali, ibi enim numerantur cædes præter voluntatem illatæ. Sed contra. Nam de caſuali homicidio agitur num. 6., at num. 8. agitur de occiſione aggreſſoris, quæ fit non fortuito, ſed ſalutis defendendæ cauſſa; *qua ratione* ergo homicidium caſuale non imputatur ad culpam ex Catech. R., *quia non infertur voluntate, & induſtria*, ita nec imputatur homicidium aggreſſoris, quo intenditur tantum conſervatio propriæ vitæ, quia homicidium illud præter intentionem infertur, ut ex pharmaco ægroti deliquium.

Prob. III. Ex PP. Cyrillus l. 1. in Jo. 35. ait: *Unde Petrus gladium habuit? Quia ſecundum legem*

gladio

gladio ſe defendere licebat. Ambroſius l. 1. de Off. c. 36. laudat Moyſen, qui ſocium Ægyptii nece defendit: ſi ergo hoc pacto ſocium defendere liceat, licet & ſeipſum, ait Eſtius in diſt. 37.

Prob. IV. Nam poſſe vim vi repelli dictat lex naturæ, de qua Tullius pro Milone: lex civilis, præſertim Aquilia ab Auguſtino, & Noriſio laudata: lex canonica cap. *Significaſti* 2. De homicidio, & cap. *Si vero* de ſent. excomm., & alibi; ergo &c.

Dixi: *Si ſequeſtretur a noxia cupiditate*: quæ intervenit, ſi vel ſubrepat ulciſcendi deſiderium, vel animus pro vita corporis nullam adhibeat in repellendo hoſte cautionem. Itaut in foro interiori reus ſit homicidii, qui agitur vindictæ libidine, non dirigens naturæ motum rationis imperio, ſed hærens tamquam ultimo fini vitæ corporali, quam præfert amori ipſius proximi inverſo ordine caritatis.

Porro illicitam eſſe aggreſſoris occiſionem, ſi interſit ulciſcendi libido, manifeſte probatur ſcripturis. Matth. 5., Corinth. 16., Theſſ. 1. 5. &c. hinc S. P. ep. ad Publicolam 154. *De occidendis hominibus, ne ab eis quiſque occidatur, non mihi placet conſilium, niſi forte ſit miles, aut publica functione teneatur*, ubi S. P. de eo loquitur, qui aggreſſorem interimit, ut hoſtem ulciſcatur, quod nulli licet, niſi publico miniſtro. *Hinc* enim *dictum eſt*, inquit: *Non reſiſtamus malo, ne nos vindicta delectet &c., qui vero repelluntur aliquo terrore, ne male faciant, etiam ipſis aliquid fortaſſe præſtatur*; ergo &c.

Peccat etiam qui aggreſſorem interimit, ei præferendo vitam corporis; Auguſt. enim l. 5. de Lib. arb. ait: *Quomodo ſunt iſti peccato liberi, qui pro*

his

his rebus (vita nempe & fluxis bonis) *quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?*

Idipsum docuit D. Thomas q. 64., ubi ait, illicitum esse, *quod homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat, nisi ei, qui habet publicam auctoritatem, qui intendens hominem occidere, ad sui defensionem, refert hoc ad publicum bonum, ut patet in milite pugnante contra hostes, & in ministro judicis contra latronem, quamvis etiam isti peccent, si privata libidine moveantur.* Si ergo privata libido reddit illicitam occisionem patratam a ministro publico, a fortiori injustam & illicitam reddet a privato homine illatam. Addit Triumphus, quod animam proximi plus tenemur diligere, quam corpus nostrum, quod possumus amittere inviti; qui ergo, ne perdat temporalem vitam, non consulit saluti animæ aggressoris, diligit semetipsum inordinate, majoribus minora præponit, & pervertit ordinem caritatis.

Tandem peccare, qui ira aggressorem occidit, nec vitæ suæ defensionem, sed alterius mortem intendit, docet ibidem S. Thomas, & constat ex lege naturæ, quæ nullum nobis in alterius vitam jus impertitur, nisi quando id postulat salus Reip., æquitas, aut majus bonum: hinc sequitur, vix in praxi contingere, ut sine culpa occidatur aggressor. Vix enim fieri potest, ut frenetur motus cupiditatis, aut anima proximi vitæ temporali non subjiciatur: ut ita repellatur injuria, ne ira, & indignatione animus concitetur: Denique, ut tantum per accidens occidatur aggressor. Hinc nostrates, & Maurini PP. negativam sententiam propugnant, quam tradit Ambrosius l. 3. de Off. c. 4., ubi ait: *Non videtur, quod vir Christianus, & justus quærere sibi vitam aliena morte debeat, utpote qui ferientem referire non possit, ne dum salutem defendit, pietatem contaminet.*

Ob.

Ob. I. Præceptum: *Non occides*, nullam exceptionem admittit, niſi divina lege exprimatur; ergo ſemper peccat occiſor. Prob. conſ. ex Aug., qui l. 1. de C. D. c. 21. ait: *Exceptis, quos vel lex juſta, vel Deus occidi jubet, quiſquis hominem quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.* Et l. 22. contra Fauſt. 10.: *Ille utitur gladio male, qui nulla legitima poteſtate in ſanguinem alterius armatur;* ergo peccat.

R. neg. conſ. Ad prob. neg. min. Qui enim cum moderamine inculpatæ tutelæ graſſatorem interimit, utitur publica auctoritate, talem quippe occidi naturæ lex, divina, canonica, & civilis permittit, ut ſupra oſtendimus; ergo niſi violetur ordo caritatis noxia cupiditate &c. culpa vacat occiſor. Reapſe S. P. A. l. 1. de C. D. oſtendit: *Nullam eſſe auctoritatem, quæ Chriſtianis jus voluntariæ necis attribuat*, & contra Fauſtum de eo loquitur, qui cædem intentans *in ſanguinem alterius armatur:* ſed talis non eſt, qui ſolummodo intendit vitæ ſuæ conſervationem, nec cupiditate vindictæ, ſed pacato rationis imperio dirigitur; ergo &c. Quod vero ait S. P. ep. ad Publicolam exponit D. Thomas: *In eo caſu, quo quis intendit occidere hominem, ut ſeipſum a morte liberet:* Sed quia vix contingit in praxi mortem aggreſſoris non intendi, fatemur etiam aggreſſoris necem vix ſine culpa contingere.

Ob. II. Vetat Chriſtus Matth. 5. reſiſtere malo, & Ap. Rom. 12. Malum pro malo reddere; ergo &c. II. Matth. 26. ait Chriſtus Petro: *Converte gladium tuum in locum ſuum;* ergo &c. III. Ambroſius l. 10. in Luc. 22. ait, quod referire licuit *uſque ad Evangelium;* ergo &c. R. ad I. diſt. maj. Vetat &c. ulciſcendi cupidine, conc., pacato rationis imperio, neg. alioquin nefas Chriſtiano eſſet bellum gerere, ſeipſos defendere &c. Ad II. neg. conſ. Chriſtus

ſtus enim non juſtam Petri defenſionem, ſed cæcum amoris impetum refrenavit dicens: *Converte gladium tuum &c.*, ut obſervat Victor Antioch. in Caten. Græc. Poſſevini p. 327., quia non erat impedienda mors pro hominum redemptione decreta. Illud autem: *Omnes, qui acceperint gladium* &c. non ad Petrum ſpectant ex Chryſoſtomo: *Sed ad illorum, qui Chriſto inſidiabantur, ſupplicium*, ſive ad eos, qui occidunt ſine legitima poteſtate, ut exponit Lyranus. Ad III. diſt. ant. Uſque ad Evangelium ad *perfectionem*, conc. ad *æquitatem*, neg. Ait enim ibidem: *Lex tamen referire non vetat, & ideo Petro, ſatis eſt, dicit, quaſi licuerit uſque ad Evangelium, ut ſit in lege æquitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio.*

Ob. III. S. P. Aug. ait, aggreſſoris occiſorem corporis amore conglutinari, & moveri noxia libidine; ergo &c. R. diſt. ant. Ait: *moveri &c.* aliquando, conc., ſemper, neg. Nam ep. 153. ad Macedonium ait: *Cum homo occiditur, multum diſtat, utrum fiat nocendi cupiditate, ut a latrone, aut obediendi ordine, ut a carnifice, an evadendi neceſſitate, ſicut latro a viatore;* ergo per Aug. id non eſt ſemper illicitum. *Sed, ſi tuendorum civium cauſſa fiat, poteſt illi legi, quæ vim vi repelli jubet, ſine libidine obtemperari.*

Ob. IV. Baſilius (*a*), Bernardus (*b*), Cyprianus (*c*), aliique docent, nefas eſſe occidere *nocentem*. II. Canones a Lupo laudati c. 8. de Opin. prob. indicunt pœnitentiam 40. dierum iis, qui diaboli membra interficiunt ſine odii *meditatione*, *& ſe ſuaque liberando;* ergo &c. R. diſt. ant. Nefas eſſe docent

(a) *Ep. ad Amph. can.* 8.
(b) *De Nat. Mil. c.* 1., *& de Præc.* 7.
(c) *Ep.* 56. 37.

docent occidere noxia libidine, conc., ordinata caritate, neg. Basilius enim loquitur de occisore, qui ensem, securim &c. jaculando, *satis præ se tulit, se animi perturbatione vitam non pepercisse.* Bernardus 1. loc. perstringit occisionem, in qua occisor lethaliter peccat, atqui non peccat, qui cædem alteri non intentat; ergo &c. In 2. agit de homicidio voluntario, quod fit intentando mortem aggressoris, agit enim de iis, qui libere legem transgrediuntur. Ad II. dist. ant. Indicunt pœnitentiam iis, qui interficiunt latronem, cum possit comprehendi, vel occidunt voluntarie pro vita corporali, quos sciunt perire perpetuo, conc., qui cædem iis non intentant, neg. Cyprianus vero loquitur de tempore persecutionis, in quo *non occidere, sed occidi propter Dei Filium docemur*, ut ait Lucifer Calar. l. ad Const.

Ob. V. Si licet vim vi repellere &c., licebit etiam injusto aggressori mortem intentare, ejus cor, aut jugulum petendo, ubi nulla superest alia evadendi via; ergo &c. R. neg. seq. ant. Id enim per nos non licet, quia jus ipsum, quod permittit vim vi repellere, præscribit etiam, ut ulciscendi cupido ordine caritatis repellatur; quo servato licite aggressor occiditur. Sic non peccat, qui pro familiæ suique incolumitate occidit nocturnum furem, quia sui & suorum vita unius grassatoris vitæ est præferenda. Similiter moderata defensio adhibenda est *ad vitandam occisionem alterius*, quia ex D. Th. *plus tenetur homo vitæ suæ providere, quam alienæ.* Non potest tamen grassatorem occidere illi mortem intentando, quia nefas est vitam propriam morte aliena comparare. Denique, cum vita corporis amitti possit, sic illa est servanda, ut salus proximi voluntate nostra non pereat: nos quidem defendentes non ut bruta, queis una est vita corporis, sed ut rationales homines, quo-

rum felicitas eſt vita animæ, quæ ſine caritate haberi nequit.

LIBER XXIV.

De variis corporis, & animi oblectamentis.

Ad actuum humanorum officia referri poſſunt plura tum corporis, cum animi oblectamenta, quæ aut virtutibus cohærent, aut iis adverſantur. De quibus breviter eo, qui ſequitur, ordine pertractabimus.

CAPUT I.

De Bacchanalium conſuetudine.

Bacchanalia, quaſi Bacchi ſacra a Baccho nomen habent, qui a βακχεύω *furore agitor* derivatur. Dicitur etiam Liber a vino, quod liberat a triſtitia, cum enim potatur immodice, *tunc venit riſus &c.* ait Ovidius. Dictus etiam Dionyſius a Deo Jove, & Nyſa nympha, ad cujus antrum perductum Poetæ fabulantur. Taurinis cornibus Bacchi ſimulacra ornarunt Græci, quod cornu antiqui biberint, unde vini propinator *Pincerna* dictus eſt. In altera manu thyrſum defert, in alia ſcyphum, inſidetque vehiculo cum pardis bijugibus, quæ ſymbola ſunt ebrioſi, inſani, & furentis. De Bacchi obſcœnitate plura tradunt Lactantius, Clemens Alex., Commodianus, & Arnobius.

Propositio I. Bacchanalium origo & uſus antiquus eſt, fuitque olim valde execrabilis.

Prob.

Prob. I. ex Firmico, qui c. 6. de Err. profan. Relig., ait, eorum auctorem fuisse liberum Thebanorum tyrannum, *ut mente captas nobiles fœminas & libidinum ministras haberet, & scelerum.* Tacitus etiam l. xi. Annal. 31. scribit, Messalinam ludicrum tale celebrasse, ut tegeret adulterium. Livius l. 9. Dec. 4. Bacchanalia appellat viam unicam corruptelæ; ergo &c. II. Ritus Bacchanalium ac verba fuisse turpissima narrat S. P. l. 7. de C. D. c. 21.: sat est honestas matronas ea palam perfecisse, quæ nec meretrices agerent in theatro. Blondus etiam narrat l. 2. de Roma triumphante convenisse nudos cum nudis mulieribus, veluti omne amisissent discrimen. Iidem pene ritus erant idoli Beel-Phegor Num 25.: nam פער *Phegor* est *exponere*, ac *denudare.* Unde Beel-Phegor est Deus turpitudinis, quem Priapum dixere, ex Hieron. in Os. 9., quem cum liquidis seminibus, ac fructuum liquoribus colerent, idcirco hortis præfecerunt. III. Romani Bacchi sacra ab urbe & Italia eliminarunt, teste Tertulliano c. 6. Apol. Scythæ autem apud Herod. l. 4. ea improbarunt, tamquam insaniæ turpitudinem. Phœnices denique, Eusebio teste, in locis abditissimis ea celebrarunt; ergo &c.

Propositio II. Quædam hujus ævi Bacchanalia sunt illicita.

Prob. Hæc enim licentiam longe superant antiquorum; ergo &c. Prob. ant. I. Ex hodierno personarum, sive larvarum usu. Hæc enim ex Cincio, apud Muretum in scenis sunt usurpata, ut personati auctores majori libertate recitarent, atque improbos in scena traducerent ex Hor. Sat. 4. Jam vero in bonos ac malos absque fabularum venustate jaciuntur dicteria. Imo in theatris proprio vultu conviciatores bacchantur. Extra scenas ve-

ro: *Verſibus incomptis ludunt, riſuque ſoluto;* ergo &c. II. Nunc quoque mulieres virili habitu, & viciſſim incedunt, quod Deut. 22. dicitur *res abominabilis apud Deum;* idque, ait Maimonides, in Martis ac Veneris cultum inſtitutum, cui in Cypro viri ac mulieres mutata veſte ſacrificabant, Servio teſte l. 2. Æn.; ergo &c. III. In comœdiis item, choreis, conviviis ludiſque etiam nunc viget veterum Bacchanalium libido, ut infra oſtendemus; ergo &c. IV. Dedecet etiam Chriſtianum virum, quo tempore Eccleſia veſtes jucunditatis deponit, & fideles ad pœnitentiam invitat, quod ſit a Dominica Septuageſimæ, & ſequentibus, crapulæ, & Veneri indulgere; ergo &c.

CAPUT II.

De theatris, comœdiis (1), *perſonis, ac veſtium mutatione.*

Inter Bacchanalium voluptates ſunt theatra, & comœdiæ, perſonæ ac larvæ, & promiſcuæ veſtium commutationes.

PRO-

(1) *De ſpectaculis theatralibus* binas edidit diſſertationes V. cl. P. Daniel Concina O. P., in quarum confirmationem addidit libros duos *de Theatris recentioribus* Benedicto XIV. dicatos, ubi productis innumeris, iiſque invictiſſimis monumentis, nedum ex ſcripturis, ex PP., atque ex illuſtriorum hujus ævi S. R. E. Card. D' Elci, Quirini, Belluga, Delphini, epiſtolis paſtoralibus, ſed ex ipſis etiam inſigniorum S. J. concionatorum Oliva, Segneri, Bourdalove ſententiis gra-

Propositio I. Quædam hujus ævi theatra luxu, & libidine vetera ſuperant.

Prob. I. ex theatrorum ſtructura, quæ apud Athenienſes erant *lignea tabulata*, ait Heſychius, ut olim Romæ, antequam ſaxeum ſtrueret Q. Gallus. Unde Auſonius, *ſcenam tabulatam*, vocat, *nulla mole ſaxea*. Scena quoque ex Servio *ſine arte fuit*, ex ramis & frondibus *ſimpliciter poſitis*, nuda ut plurimum & ſine tecto, atqui moles theatricæ in urbibus noſtris erectæ ſunt ſummo diſpendio, & picturis, auro, aliiſque ornamentis refulgent; ergo &c. II. Ex ſubſelliis. In iis enim Romæ & Athenis ſtabant ſenatores in orcheſtra, tum cives & alii a mulieribus ſejuncti: atqui in hodiernis ſedent permixti viri ac mulieres, proci ac puellæ &c.; ergo &c. III. Ex facta actoribus ſcenicis donatione. His enim quinos denarios in ſingulos

 diſtri-

graviſſimis, quorundam audaciam repreſſit, qui recentiorum Theatrorum abuſus veluti innoxios, & licitos tueri conati ſunt: perſpicue demonſtrans, eoſdem abuſus, non ſecus ac idololatriam, & mimicas obſcœnitates veterum theatrorum a SS. PP. reprobari nec non ab immort. memoriæ Benedicto XIV., qui theatra venalia hujus temporis veluti paganiſmi reliquias pluribus confutavit, tum in lib. 7. de Syn. c. 61., tum in Notif. 76., & 87., ubi etiam graviorum theologorum auctoritates produxit in deteſtationem Comœdiarum & Chorearum: & in aurea epiſtola paſtorali edita an. 1748. expreſſe declaravit cum Thoma Stapletonio, Bacchanalium abuſus nonniſi ægro animo ferri, atque ad graviora Eccleſiæ mala evitanda fuiſſe permiſſos.

diſtributos teſtatur Seneca ep. 81. eoſque ad quinos aureos M. Antonius produxit. Nunc autem, quibuſdam cantoribus, aut cantantibus fœminis vix mille ſufficiunt; ergo &c.

IV. Ex hiſtrionum ornatu, is enim ex Donato ſimplex erat, & compoſitus; atqui nunc ſummam vanitatem, & immodeſtiam oſtentat; ergo &c. V. Numquam paſſi ſunt Romani & Græci fœminis, ut modo ſit, theatra conſcendere, ut ſcribit l. 17. de Com. Boſſuetius; ergo &c. VI. Ex pretio a ſpectatoribus oblato. Solon tres drachmas ſolvi ſtatuit. Scholiaſtes Ariſtoph. *duos obolos* refert. Jam vero vix aureus nummus ſat eſt; ergo &c.

Propositio II. Recentiores comœdiæ ſunt veteribus longe deteriores.

Prob. I. Enim vetus comœdia aut hymnus erat, aut carmen in honorem deorum, unde Etruſcum carmen inſcripſit Dantes: *Divinam comœdiam.* Atque Æſchylus omnium primus fertur pro uno tres hiſtriones abſque fœminis poſuiſſe: atqui non unus aut tres, ſed longe plures, iique fœminis permixti agunt hiſtriones in noſtris comœdiis; ergo &c. II. Poſtquam poemata dramatica inventa ſunt, tragicum nempe, comicum, ſatyricum, & mimicum (quorum primum Theſpis invenit, & Epicharmus Syracuſis, Romæ Andronicus primitus excoluere) horum finis voluptas fuit, quæ pariter *Rithmo, harmonia, & numero*, ait Ariſtot. in 6. Art. poet. Nunc voluptas excitatur verborum turpitudine, impudico geſtu, ornatu veſtium immodico; ergo &c. III. Liberior ſermo in comœdiis ſatyricis, aut Mimicis; ſed honeſtior plane eſt Thais, aut Bacchis Terentiana, quam Coriſca, & Dorinda Guarini; ergo &c. IV. Plauſum vix expleto opere captabant actores his verbis: *Valete & plaudite,* atqui

atqui nunc plena ſunt omnia ſtrepitu riſuque ſoluto; ergo &c.

Propositio III. Hiſtriones ſunt infames.

Prob. I. ex Apoſt. Conſt. l. 8. c. 32.: Ubi *ſcenicorum* actoribus, ſive viris ſive fœminis præcipitur, ut *finem faciant, aut rejiciantur.* II. Tertullianus de Spect. 22. ait: *Scenicos, Xyſticos &c. ignominia, & capitis minutione damnari, curia, ſenatu, ceteriſque honoribus arceri.* III. S. P. l. 2. de C. D. c. 13. verba profert Scipionis apud Tull. dicentis: *Genus id hominum, non modo honore civium carere, ſed etiam tribu moveri notatione cenſoria.* Excipiebantur actores Atellanarum, quæ priſcam italicam diſciplinam referebant, & nos quoque comœdias tantum turpes inſectamur, atque inhoneſtas. IV. Humanis legibus *infamia notatur, qui artis ludicræ cauſſa in ſcenam prodierit* d. l. 2.: *De his, qui infamia not.* Accedunt Cyprianus, Hieronymus, aliique PP. Vide Genettum (*a*) Nat. Alex. (*b*), Lupum (*c*).

Propositio IV. Peccant ſpectantes comœdiam, niſi ea ſit honeſtiſſima, quod raro ſit.

Prob. I. Lact. l. 6. Inſt. 20. ait: *Scenis neſcio an ſit corruptela vitioſior, nam ſcenicæ fabulæ de ſtupris virginum loquuntur, aut de amoribus meretricum.* Tert. de Spect. appellat theatra: *Veneris ſacrarium.* Cyprianus ep. ad Don. vocat: *Morum labes & alimenta vitiorum.* Accedunt Canones V. Synodi, I. Arelat., & Apoſt. Conſt. ſupra laudatæ, quæ theatricos arcent a fidelium communione. Prob. II. pars. Nulla enim fere comœdia eſt, quæ

(a) *Ad* 6. *Præc.* (b) *L.* 4. *in Decal.*
(c) *in Can.* 62. *Trull.*

quæ careat verſu aliquo amatorio, II. cantores exſecti cum fœminis commorantes turpi conſuetudine implicati, verba ipſa illibata cantus modulatione, ſuſpiriis &c. labefactare ſolent; ergo &c. III. Scenica matrimonia ſunt concupiſcentiæ fomenta. IV. Inſectantur ſcenici aut maritorum zelotypiam, aut puellarum pudorem, unde paulatim mariti uxoribus morem gerunt, virgines amatoribus; ergo &c. V. Servi, & paraſiti ſcenarum docent complures, quo pacto derideant, mordeant, decipiant, atque ſupplantent; ergo &c.

Opp. D. Th. 2. 2. q. 169. art. 2. ait, officium hiſtrionum non eſſe per ſe illicitum; ergo &c. II. Nec Scenicæ actiones ab Evangelio vetantur; ergo &c. III. Non enim veræ ſunt, ſed apparentes. IV. Aliqua permittenda eſt cuique voluptas; ergo &c. R. Boſſuet, & nomen hiſtrionis accipit D. Thom. ampla ſignificatione ad homines deſignandos, qui honeſtis facetiis delectant, conc., ſtricte, & proprie, neg. Ad II. R. diſt. ant. Non vetantur explicite, conc., implicite, neg. Vetantur enim ubi reprehenditur concupiſcentia. Ad III. neg. conſ. Nam etiam ſimulatione plurimos blande allectari docet Chryſoſt. hom. 6. in Matth. Ad IV. diſt. ant. Permittenda eſt *ſalva*, ut ait Auſonius, *regula morum*, conc., ſecus nego.

Propositio V. In perſonis quidam ſunt Ethnicis immoderatiores.

Prob. I. Ex antiquarum uſu & inſtitutione; illas enim Aeſchylus primus invexit, ut os contectum undique ſonitus ederet claros, & canoros, ait Gellius l. 5. 7. & oſtendit forma earumdem, atqui novæ ſunt deriſionis, libertatis, & libidinis adminiſtræ; ergo &c. II. Ex facierum ſimilitudine. Erant enim veteres ad riſum accommodatæ: hinc perſonati dicebantur *gumiæ*, *aut manduci* apud Plau-

Plautum, Juvenalem, & Lucilium, ideſt diſtorti, oribuſque deformes, ut conſtat ex epigr. 176. Mart. *Quæ tu derides, hæc timet ora puer.* Cautum tamen pœna capitis, ne alicui ex principibus viderentur adſimiles, atqui nunc cujuſque ordinis hominum aſſumuntur imagines, & parum abeſt, quin ſacræ veſtes ferantur in ambitu platearum; ergo &c. III. curarunt Ethnici ponere in cœnaculis larvam, quæ mortis referret imaginem hoc verſu: *Sic erimus cuncti poſtquam nos auferet Orcus.* Nunc autem larvis, & mortis imagine, triſtique ſenecta juvenes, quaſi non morituri, bacchantur; ergo &c.

PROPOSITIO VI. Deteſtabile eſt mulieres virorum habitu, & viciſſim perſonatas incedere.

Prob. I. Ex Deut. c. 22. *Non induetur mulier veſte virili, nec vir veſtæ fœminea, abominabilis enim apud Deum eſt, qui facit hæc;* ergo &c. II. Ex canone antiquo Bracharen. habetur: *Si quis faciem ſuam tranſmutaverit in habitu mulierum... tres annos pœniteat,* & ex 13. Gangrenſi: *Si qua mulier veſtem virilem ſumat, anathoma ſit;* ergo &c. III. Ex PP. Ambroſius, Hieronymus, Cryſologus &c. docent, hoc ipſam abhorrere naturam. IV. Adſumebant etiam ethnici virilem habitum in cultum Martis, Veneris, & Matris magnæ. V. Ex profanis ſcriptoribus Philone, & Joſepho, Laertio, Columella id improbatur; ergo &c.

Ob. I. Adhibentur veſtium mutationes lætitiæ cauſſa; ergo non ſunt ſacrilegium, ſed jocus. II. Meletius Epiſcopus Ant. filium pagani ſacerdotis fœminea veſte indutum ab ejus furore ſubtraxit; ergo &c. III. Virgines integerrimæ vixere cum cœnobitis in habitu Monachorum; ergo &c. Vide Lupum loc. cit.

R. ad I. neg. conf. Ut enim ait Chryfol. fer. 155. *Non funt hæc ludrica, funt crimina. Quis de impietate ludit &c.?* Ad II. dift. ant. Subtraxit ob vitæ pueri periculum, conc., quod illam mutationem probaret Meletius neg. Non ergo reprehendimus, quæ cauffa religionis aut caritatis fiunt, fed quæ immodice, intempeftive, licenter, & pravæ cupiditatis cauffa fiunt. Ad III. dift. ant. Vixerunt ob effrenem licentiam, neg., ob pudicitiæ cuftodiam, & extraordinariam vocationem, conc. Libenter damus commutandas veftes cum Theodora, aliifque, fi vitæ pudorifque immineat periculum, aut adfit extraordinaria Dei vocatio, fed exemplum hoc perrarum eft, fingulare, & feipfo periculofum.

CAPUT III.

De choreis, faltatoribus, & funambulis.

Juvenes iis præfertim tripudiis oblectari, quæ corporis motu faltuque fiunt, omnibus notum eft, fit itaque

Propositio I. S. Literæ damnant plures chorearum abufus.

Prob. I. Exo. 15. habetur: *Sumpfit Maria tympanum in manu fua, egreffæque funt omnes mulieres poft eam cum tympanis & choris*, fed in hoc tripudio habetur finis divinæ laudis, quo fine carent adolefcentularum noftrarum choreæ; ergo &c. Deinde mulieres plaudebant hymno & faltu feorfum a choro virorum ex Philone l. 1. de Vit. Moyf., atqui faltant puellæ noftrates cum viris junctis palmis, brachiifque implicatis; ergo &c. III. Davidem 2. Reg. 6. legimus: *In jubilo fubfilientem, atque faltantem coram Domino*, ut enim fcribit Ambrofius Pf. 118. *Saltatio in honorem Dei laudabilis habetur*; atqui faltationes hodiernæ funt incitamenta libidinum in obfequium diaboli; ergo &c.

IV. Non alia fuit Præcurſoris Chriſti necatrix, Marc. 6., quam puella ſaltatrix filia Herodiadis; ergo &c.

Propositio II. Idem evincitur exemplo Ethnicorum.

Prob. Lib. IV. Antiq. Homeric. c. 5. refertur antiquus mos, ut ſeorſum viri, ac mulieres choreas agitarent, ac primos omnium ſeptem adoleſcentes, qui cum Theſeo ſervati ſunt, cum totidem puellis ſaltaſſe; ergo &c. II. Conſtat ex hiſtoriis, Romanos & Cretenſes ſaltaſſe cum armis, & optime ſaltantes habitos bello aptos: hinc Priamus filios reprehendit, quod molles choreas agitarent, ſed tales non ſunt hodiernæ; ergo reprehendendæ. III. Saltatores poſthac inſtituti ſunt in cultum Deorum, & choreæ adhibitæ ad Bacchi ſacra, & maxime Apollinis in Delpho. Ac Romæ in honorem Martis, & Herculis Salii; ergo ſaltus hodierni imitantes Herculem, Cyclopa furentem, Daphnem, Niobem, &c. ſunt ex profano more idololatrum. IV. Inhoneſta tripudia improbarunt honeſti viri, & ipſe Martialis epigr. 79. l. 5.; ergo &c. V. Iidem corporis motus in ſaltantibus noſtris, ac in impudicis idololatris obſervatur ex Scaligero de Com. 14.; ergo &c. VI. Dantur etiam inter Chriſtianos funambuli, quorum inſaniam deſcribunt Manlius. l. 5., Petronius, aliique apud Bullengerum T. 9. Ant. Rom. p. 903. ergo &c.

Propositio III. Peccat qui choreas immodice agit.

Prob. I. Scripturis Eccl. 9. habetur: *Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis, ne forte pereas in efficacia illius.* II. Ex PP. Baſilius hom. de Ebriet. ait: *Pedibus geſtientes juvenum intemperantiam in ſe provocare.* Tertullianus de Coron. ait: in ſaltatione hominem contaminari, Hieronymus ep. ad Marcellam idem probat ex eo, quod ſaltator *nunc Herculem robuſtus oſtendit, nunc mollis in Venerem frangitur, nunc temulentus in Cybelem.* Ambroſius l. 3. de Virg. ait:

ait: *Nemo enim, ut dixit quidam* (Cic. pro Mur.) *ſaltat ſobrius, niſi inſaniat*: addit, Præcurſori *plus nocuiſſe ſaltationis illecebram, quam ſacrilegi furoris amentiam.* Et infra: *Saltet, ſed adulteræ filia: quæ vero pudica eſt, filias ſuas religionem doceat, non ſaltationem*; ergo &c. III. ratione. Si enim mulier, & Virgo etiam pudica virorum ſenſus per ſe illiciat, quanto magis illiciet, ſi cum ſaltatrice ſaltans & ipſe verſeris. Merito ergo Petrarca Dial. 34. ait: *Choream Veneris præludium, libidinum ſtimulum laxamentum licentiæ, ubi liberæ manus, oculi, voces* &c.

Propositio IV. Feſtis diebus a choreis abſtinendum.

Prob. I. Ex Can. 23. Tolet. Ex decr. 3. Mediolan. III. Tit. de cultu feſt. Ex decr. Turon. an. 1583., aliiſque apud Nat. Alex., & Lupum. II. S. P. de X. Chord. 13. ait: *Melius fœminæ* Judæorum *die ſabbati lanam facerent, quam in Neomeniis ſuis impudice ſaltarent*: Et Pſ. 32. *Melius tota die foderent, quam tota die ſaltarent.* III. Accedit ratio. Vetantur enim die feſto ſervilia, quia retrahunt a Dei cultu; ergo vetantur etiam choreæ, quibus & a Dei cultu avertitur animus, & cupiditatibus irretitur. IV. Adde civiles leges, objurgationes epiſcoporum, Diœceſanas Synodus, & catecheſes Chriſtianas apud Genettum, alioſque.

Ob. I. Cornelius Nepos ſcribit, ſaltationes honeſtas eſſe, vel turpes ex inſtitutis majorum; ergo &c. R. diſt. ant. Majorum, ideſt Bathylli, aut Theſei, conc., ideſt Baſilii, Ambroſii &c. neg. Deinde veterum ſaltationes fuere exercitationes ad bellum, & adoleſcentium ac puellarum ſeorſim. III. Licet ex inſtituto majorum eſſent hæc indifferentia, in praxi tamen, & ex juvenum intemperantia ſunt obſcœna.

Ob. II. Saleſius P. 3. Introd. c. 34. ſaltationes permittit; ergo &c. R. diſt. ant. Permittit pudicas & honeſtiſſimas, conc. conſuetas & noxias, neg.

Allo-

Alloquitur enim Salesius Philotheam Dei amore succensam, coram parentibus, cœtu honorifico commorantem, eique præscribit, ut id agat perraro, & ad breve tempus, servatis prudentiæ regulis, nec deviando ab ordine caritatis, atqui tales non sunt consuetæ choreæ, quæ fiunt cum ignotis fœminis, blandiloquis, personatis, &c.; ergo &c.

Propositio V. Quidam cantores veteres vincunt improbitate.

Prob. I. Refert Athenæus, Agamemnonem reliquisse cantorem Clytemnestræ monitorem, atqui nullus nisi insanus uxorem pudicam nunc relinqueret musico custodiendam; ergo &c. II. Musici olim palla veste utebantur, eaque sudorem tergebant ex Tacito l. 16. Ann., atqui modo vestium luxu superant Optimates; ergo &c. III. Veteres ex Plutarcho in Inst. *probarunt tantum simpliciores modulationes:* Et Lacedæmonum *erat musica modesta, & severa* ex Cragio. Nunc ad morum corruptelam modulatio theatrica cantica etiam sacra corrupit; ergo &c. IV. Cantare in sacris cum tibiis quibus Spartani & Cretenses in bello utebantur, refugit etiam Alcibiades apud Plutarch.; ergo improbanda est tumultuosa illa musica, qua armati disponuntur ad pugnam. V. Donatio musica olim tenuissima, atqui cantoribus nostris subsidia pauperum, ac poetarum mercedes, quorum illi canunt carmina, effunduntur; ergo &c. VI. Reprehenditur Nero a Svetonio, ob artes, quibus ad molliendam vocem utebatur; atqui præter eas musici hodierni pueros evirant, non servandæ castitatis causa ut Origenes, sed ut vocem referant fœmineam; ergo &c.

Propositio VI. Decet Christianum gravis, & honestus cantus.

Prob. I. Exo. 15. Moyses & Maria Domino cecinere, & Num. c. 10. præcipitur cantus super holocaustis, pacificis, & victimis. III. Reg. 10. a Salomone parata musicalia instrumenta pro Sanctuari

rio narrantur. I. Esdr. 2. habatur cantorum numerus. Eph. 5. & Coloss. 3. monet Apost. psalmis, & hymnis spiritalibus esse lætandum. Etiam PP. consentiunt, Tertull. in Apologet. *Quisquis de scripturis sacris, vel de ingenio potest, provocatur Deo canere.* S. P. A. l. 9. Conf. 12. ait: *Evodius cantare cœpit Psalmum, cui respondebamus omnes.* Ambrosius & Gregorius etiam cantus rudimenta clericos docuere. II. Organa quoque in Ecclesiis pulsari licet. Nam 2. Paral. 34. habetur, fuisse Levitas *scientes organis canere*, & Ps. 105.: *Laudate eum in chordis, & organo.* In Chronico S. Bertini legitur, Imp. Constantinum an. 758. misisse Pupino encænia & organum unum. Cecinisse veteres Christianos absque instrumentis ex eorum inopia non negamus; errat tamen Calvinus organa rejiciens ad abrogatos legis Mosaicæ ritus: nam organa non sunt figuræ futurorum, sed lætitiæ signa ut hymni sunt, & cum iis retinenda non secus ac vestes sacræ, candelæ, incensum, quæ ab hæreticis immerito irridentur. III. Permittuntur etiam honesta cantica, quales rustici & virgines in agris canunt, dummodo sobrietate temperentur. Nam & Cithacœdos, & Tympanistrias virgines laudant scripturæ. IV. Cantilenas vero amatorias, quibus per Augustinum deX. chord. *amimi humani decidunt a virtute in turpitudinem*, vitare debemus.

Propositio VII. Non licet figmenta legerepoetarum.

Prob. I. Ex cap. *Ideo prohibetur* dist. 37.: *Quia per oblectamenta inanium fabularum mentem excitant ad incentiva libidinum.* II. S. P. epist. ad Memor. fabulas damnat, easque *dæmonum cibum* appellat Hieronymus. Item ad calcem Trid. habetur: *Libri, qui res lascivas ex professo tractant, omnino prohibentur.* III. Accedit ratio. Nam *corrumpant bonos mores colloquia prava*; ergo multo magis corrumpunt obscœna carmina lepore, numeris, fabulis, verbisque flexaminis aures demulcentes. Idem dicendum de fabulis obscœnis soluta oratione conscriptis.

CAPUT

CAPUT IV.

De ludis, & venatione.

LUDI nomine non *ludum diſcendi* cum Tullio, ſed *ludum luſionis* intelligo, de quo ſit

PROPOSITIO I. Licitæ ſunt pueris innoxiæ luſiones.

Prob. Sunt enim hi ludi I. Trochus & Bombex, quæ duo apud Baſilium Or. 5. etiam antiquitus extitere. II. Ænea Muſca, quo ludo puer clauſis oculis circumambulat, donec aliquem manu apprehendat. III. Pentalitha, ſeu ludus quinque lapillorum, de quo Pollux l. 9. 7. ait, lapillos ſurſum propelli, & recipi vola converſæ manus ſuperiori. IV. Ludere *par impar*, quo jubetur puer in talorum multitudine divinare numerum par, vel impar, de quo Horatius l. 2. Sat. 3. V. Ludus latrunculorum, quos vocant Itali Scaccos, Græci ζατρίκιον. Hi enim ludi omnes belli imaginem referebant, ut notat Meurſius: quod ludi genus innoxium putat Panormitanus, Navarrus, aliique a Rocca laudati, ac verſibus exornavit Hieronymus Vida Alb. epiſcopus. Dices S. Petrus Damianus ep. x. l. 1. hunc ludum reprehendit non ſecus ac alearum; ergo &c. R. diſt. ant. Reprehendit per accidens ob nimiam frequentiam, & qua epiſcopus coram ſæcularibus tempus luſu terebat, conc., per ſe, neg. Eſt enim etiam in licitis modus ſervandus, plura enim puerum decent, non epiſcopum.

PROPOSITIO II. Ludus alearum eſt eliminandus,

Dicitur alea non ſolum ludere depictis chartis, ſed & quolibet ludo, in quo rationi prævalet caſus, ſive chartis ludatur, ſive taxillis. Prob. I. ex ethnicis, Tullius Philipp. 2. Antonium vocat hominum nequiſſimum, quod in foro alea luderet. Svetonius, in Auguſt. narrat, juvenem infamia notatum, quod luſiſſet alea. Seneca ait: *Aleator quanto in arte melior eſt, tanto eſt nequior.* Horatius

l. 3.

l. 3. ait: *Vetita legibus alea.* Ovid. 2. Triſtium: *Non leve crimen* appellat. Ex Græcis legimus a Platone graviter cæſum adoleſcentem, quod alea luſiſſet. Chilus Chorinthios quosdam alea ludentes videns: *Abſit*, inquit, *ut Spartani cum aleatoribus ineant ſocietatem.* Ariſtoteles comparat aleatorem furi. Xenofon vero aleæ luſum vocat deceptricem dominam voluptatum.

Prob. II. Ex PP. Clem. Alex. l. 3. Pæd. c. 1. ait: *Luxuriæ amorem otioſis aleæ oblectamina ſuppeditare.* Scriptor de Aleator. inter Cypriani opera ait: *Aleæ tabulam dico, ubi Diabolus præſto eſt, ubi poſſeſſionum amiſſio, & pecuniarum perditio &c.* Chryſ. hom. 33. in Ioann. ait: *Quis aleatorum aliquod Chriſtiano dignum opus aggreditur?* Iſidorus l. 18. Orig. 67.: *Ab hac arte*, inquit, *fraus, & mendacium numquam abeſt.* Prob. III. Ex legibus civilibus, & Canonicis. Nam Juſtinianus l. 3. tit. 43. cod. vetat *in publicis, vel privatis domibus alea ludere.* Idem ſtatuerunt Aragoniæ, Galliæ, & Britanniæ Reges. Idem leges Canonicæ cap. *Inter dilectos* de exceſſu Præl., & c. 8. diſt. 35. can. 50. VI. Syn., Lateran. ſub Innoc. III. c. 16. aliaque apud Roccam. Accedit ratio. Nemo enim Decalogum ſic frangit ut aleator. *Cum enim diabolus olim ſe in ſimulacris formaret, aliud crimen adinvenit, quo ſibi ſacrificandum inſtituit.* In Divos & Dei nomen ſunt aleatores irreverentes, quod ſæpe in vanum aſſumunt. Præcepta ſecundæ tabulæ ab aleatoribus violari probat Auctor laud. inter op. Cypriani dicens: *Invicem ſibi manus inferunt, maledicunt, ſe devovent, parentum originem dehonorant: hic aleæ ſonus, illic inceſtus;* recte ergo alea dicitur omnis nequitiæ ſeminarium.

Prop. III. Chriſtianis torneamenta prohibentur.

Prob. autem ex Lateran. 3. c. 20. cap. *Felicis memoriæ.* Extra. De Torneam. *Torneamenta, unde mortes hominum, & animarum ſæpe proveniunt, fieri prohibemus.* Privantur etiam eccleſiaſtica ſepultura,

pultura, qui in iis occumbunt, quod confirmant Romana & Remen. Synodus. Eaque vetuit Clemens V. in Conc. Vienn. ſub pœna excomm. & interdicti: quas tamen cenſuras revocavit Joannes XXII. Accedit ratio. Stultum eſt enim ludere cum vitæ periculo; quod non vitatur, licet congreſſus fiat haſtis ligneis, ut probat infelix caſus Henrici II. Galliæ regis. Adde his ſpectaculis exhiberi imaginem veterum gladiatorum: atqui ea ſpectare nobis eſſe interdictum docent PP., præſertim Theophilus Antioch. apud Baronium ad ann. 120. Dicuntur autem originem habuiſſe non a Græco θορεῖν *circuire*, ſed a Trojæ excidio, in cujus memoriam Aſcanius hos ludos inſtituit.

Propositio IV. Item ſpectacula, ubi feræ cum homine pugnant.

Prob. ex Bulla Pii V. *De ſalute gregis*, in qua *ſub excomm. pœna ipſo facto incurrenda ſpectacula prohibentur, ubi tauri, & feræ in circo vel foro agitantur*, privantur eccleſiaſtica ſepultura ibi morientes, & clericis interdicitur ſub excomm. pœna iis intereſſe. Eadem habent Gregorius XIII., & Clemens VIII. II. ex PP. Athenagoras in Apol. ait: *Cernere eadem affine eſſe homicidio: prohibentes gladiatoria munera, venationes & hujuſmodi ſpectacula.* Eadem habent Lactantius, Ambroſius, Salvianus, & ipſi profani ſcriptores, Tullius, aliique. Ferarum tamen congreſſio inter ſe ſecluſo periculo non prohibetur, dummodo ſpectatores non ſint clerici: talis eſt pugna cervorum cum canibus, tauri cum Leone &c.

Propositio V. Nec non venatio ſilvatica diebus feſtis.

Prob. I. ex c. 4. prop. 3., & I. de legibus in Expoſ. 3. Præc. Non enim die feſto nugis vacandum, ſed Deo ſerviendum. II. Nulla apparet in venatione neceſſitas, ut in teſtamentis, aut venditione

ne rerum, quæ ad victum quotidianum spectant, aut pro ægrotis parantur; ergo &c. III. Id etiam vetuit die festo Conc. Meld. c. 77. Caroli M. Capitula c. 22. &c. IV. Qui aucupium probant in festo, non negant prohiberi venationem, in qua deferuntur casses, & alia fiunt servitutis officia, atqui hæc raro contingit a venatoribus omitti; ergo &c.

CAPUT V.

De immodico vestium, & conviviorum sumptu.

QUO processerit hoc ævo vestium, & conviviorum luxuries omnibus notum est: itaque ad eam refrenendam sit

PROPOSITIO I. Illicitus est nimius vestium cultus.

Prob. Non distat præsens luxus a veteri Romanorum, quem profani scriptores, & PP. reprehendunt, licet illum copia divitiarum, hunc vero licentia foveat. Adhibent enim nunc etiam viri & mulieres & conchylia & purpuras, quibus teste Plin. l. 9. c. 35. *Mater luxuria paria pene etiam margaritis pretia fecit.* In usu sunt etiam antiquorum lacernæ, vel penulæ, si non forma, at sumptibus eadem cum iis, de quibus Martialis: *Emit lacernas millibus decem Bassus.* Gerunt etiam auribus fœminæ, ut ait Seneca: *Locupletis domus censum*, & uno filo unionum insunt *villarum pretia* ex Hieronymo in vita S. Pauli I. Eremitæ, atque in peronibus uniones emergunt e luto, inquit Tertullianus, ac Propertius l. 3. *Matrona incedit census induta nepotum.* Atqui hanc licentiam damnant I. scripturæ, 1. Petri c. 3. habetur: *Quarum fœminarum non sit capillatura, aut circumdatio auri, aut vestimentorum cultus*, nempe nec crispus crinis, nec cultus immodicus vestium &c. Ap. 1. Tim. 2. vult *mulieres* esse *in habitu sancto cum verecundia, & sobrietate ornantes se.* II. Ex PP. Clemens Alex., Cyprianus, Hieronymus, aliique. III. Ex profanis Scriptori-

ptoribus Julius Cæſ. uſum conchyliatæ veſtis, & margaritarum certis perſonis ætatibuſque conceſſit. Ariſt. monet utendum veſte, & apparatu minore, quam per leges licet. Phynthis Pytagorica præcipit fœminis: *Auro, & ſmaragdis ne ornemini*. Alios vide apud Clem. Alex. loc. cit. Accedit ratio. Nam fideles in baptiſmo pompis ſolemniter renunciarunt, hinc Bernardus Ep. 113. ad Sophiam indignum eſſe ait, virginem Chriſtianam formam a pellibus murium, & operibus vermium ſibi mutuari. Tandem ex immodico luxu, ut ait Sixtus V. P. Max. in Bulla edita an. 1586., familiæ re familiari abſumpta ad paupertatem rediguntur. Hinc jurgia virorum, mutua fœminarum invidentia, templorum profanationes, &c. Merito ergo laudatur a Paulino in Epith. ad Julianum *pulchra Rebecca*, quæ, *cum ſponſa veniret ad Iſaac, ſimpliciter velo tecta pudoris erat*. E contra Dina, Herodias, aliæque apud Ezech. 23. in flagitia ruiſſe ſacra narrat hiſtoria; ſervanda eſt ergo præſertim a clericis veſtium moderatio exemplo S. P. Aug., cujus veſtimenta, teſte Poſſidio in ejus vita: *Nec nitida nimium erant, nec abjecta plurimum, quia iis plerique, vel jactare ſe ſe inſolenter ſolent, vel abjicere*. Qua de re merito ſtatuit Trull. Syn. can. 27.: *Nullus etiam, qui in Cleri catalogum relati ſunt, veſtem ſibi non convenientem induat*. Et Hieronymus Ep. ad Euſt. de quibuſdam nimis cultis ait: *Tales ſponſos magis exiſtimato quam Clericos*. Pro mulieribus vero ſervanda Auguſtini regula ad Ecdiciam ep. 199., & Saleſii Philoth. p. 3. c. 25.

Propositio II. Nefas eſt faciem ceruſſa oblinire.

Prob. I. Ex Clem. Alex. 3. Pæd., ubi fœminas irridet, quæ *ſupercilia flava depingunt fuligine, & tollunt ceruſſa nigrorem*, S. Cyprianus de Hab. virg. oſtendit I. Dæmones docuiſſe *oculos nigrore fucare, & genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crines*, II. Omnes fœminas monet:

Quod opus Dei adulterari nullo modo debeat flavo colore, vel nigro pulvere, vel rubore &c. III. Probat exemplo artificis, cui gravis fieret injuria, si quis perfectum simulacrum colore inficeret: *Sic manus Deo inferunt, qui id quod ille formavit reformare contendunt*, eadem habet Tertullianus de Cultu fœm. c. 6., & S. Paulinus loco cit. Hieronymus etiam scribens ad Lætam ait: *Cave ne cerussa, aut purpurisso consecrata Christo ora depingas*, cujus generis vetulam ridet Plautus in Mostellaria.

PROPOSITIO I. Conviviorum luxuries a gentilitate manavit.

Prob. Etenim non solum scriptura docet, quam parce ante diluvium veteres Patriarchæ vitam alerent, sed etiam gentes alias misere victitasse profani scriptores. Servius enim in 1. Æn. scribit, duobus ferculis epulatos antiquos: farre solo ac pulte Romanos: ac eos manu sua sibi cibos parasse scribit Seneca de Consol. c. 9. At ubi luxus prævaluit Romanorum, modum excessit epularis accubitus. Julius Cæs. ad mensam in aureo lecto decubuisse refert Svetonius, argenteos posuit Heliogabalus, Claudius aureum scyphum adhibuit, crystallinum summi pretii Cæcilius. De luxu ciborum exclamavit olim Seneca: *Dii boni quantum unius venter deglutit.* Nec male Musonius ait: *Convivia apparari, in quibus agrorum pretia consumunt.* Quæ si florente Romana Rep. limites excessere, in hoc rerum statu maxime apud fideles ferenda non sunt.

PROPOSITIO II. Inebriari vino scelus est turpissimum.

Prob. I. scripturis. Prov. 20.: *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas.* Is. 5.: *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, ... ut vino æstuetis.* Ap. Rom. 13.: *Non in comessationibus, & ebrietatibus.* Et Eph. 5.: *Nolite inebriari vino, in quo est omnis luxuria.* Vid. 1. Tim. 3., ac 1. Petri 4. Hinc incestus filiarum Loth Gen. 19., & fortuita ebrietas

tas Noe viri ſanctiſſimi inquinavit modeſtiam, nec ſcandalo caruit ex c. 8. Gen. Prob. II. ex PP. Baſilius Hom. 14. ait: *Ebrietas dæmon eſt voluntarius, malitiæ mater, virtutis inimica, fortem virum reddit ignavum, ex temperato laſcivum &c.* Tum probat, quod is *qui ſe privat mentis lumine per ebrietatem, jumentis inſipientibus comparatus eſt.* Addit: *Incontinentia ex vini fonte originem trahens præceps ruit ad omnem impuritatem.* Comparat denique ebrioſos idolorum ſimulacris, *quoniam manus paralyſi affectas habent, pedes infirmos, atque emortuos.* Auguſtinus in Pſ. 103. ait: *Quid inſanius ebrio, quid plerumque iracundius?* Et Ep. 22. & 29. ad Alip. nervos omnes intendit, ut nequitiam hanc maximam ſacris præſertim diebus evelleret ab Africanis.

Prob. III. ratione. Nam ex vinolentia innumera emergunt incommoda; feſtorum profanationes, rixæ, luxuria, blaſphemiæ, bonorum dilapidatio, & ipſa corporis hebetudo, ac mentis perturbatio, quam Lucretius deſcribit l. 3. de Rer. nat. Non hinc tamen vini uſum abſolute damnamus, ſed eo bene diluto & modico, præſertim ſtomacho laborantibus cum Apoſtolo 1. Tim. 5. permittimus, ut enim ſcribit Juſtinus ad Zenam: *aqua neceſſitatis eſt, vinum juvandi corporis gratia datum eſt.* Hinc Ap. ib. c. 3.: *Diaconos non multo vino deditos* eſſe cupit. Jubent proinde Eccl. canones officio, vel beneficio ſuſpendi clericos, qui fuerint in vinolentia culpabiles in Cap. a *Crapula.* Extra de Vita, & honeſt. Cler. Matronas etiam hortatur Ap. ad Tit. 2., *ne ſint multo vino ſervientes.* Qua de re legendum præclarum S. Monicæ exemplum l. 9. Conf. c. 8. n. 18.

Propositio III. Cocolatæ potione non frangi jejunium haud invicte Card. Brancatii argumentis oſtenditur.

Prob. I. argumentum Brancatii eſt, quod cocolatæ hauſtus potio ſit, non cibus in America & Hiſpania,

ſpania, ſed potio ubicumque ſumatur, non induit alimenti ſubſtantiam; ergo &c. R. neg. min. Licet enim cocolata poculo exhauriatur, inter eſculenta majoris ſubſtantiæ referenda eſt. Nam Stube medicus Anglus experimento monſtravit, plus unctuoſi & nutrientis humoris elici ex unica uncia cacao, quam ex libra bovinæ carnis, & Th. Gage refert, ex ea Americanos pingueſcere; licet enim, ait, partes multæ cacao ſint frigidæ, ſunt tamen aliæ permultæ nutrientes ac butyroſæ, quibus calidæ cinnamomi, ac vaginulæ permixtæ ſit, ut ad viſcera diſcurrentes in carnem, & pinguedinem coaleſcant. Nec dicas cum Brancatio, quod poculum conſuetæ potionis cocolatis vix ad 7. horas ſtomacho vires præbet, I. enim contrarium demonſtrat Mangetus, & experiuntur qui ex eo integrum producunt diem, II. quia poſt 7. horas, etiam poſt prandium plures eſuriunt. Deinde, licet cocolata potione ſorbeatur ut lac, non datur tamen ad ſitim extinguendam, ſed ad vires refocillandas; ergo eſculenti rationem habet, vel nutrientis potionis. Quod vero ajunt, Americanis cocolatam potum eſſe communem. R. I. retorqu. arg. Inter eos enim jejunium non frangit, quia vulgaris eſt potio; ergo frangit apud Italos, quibus talis non eſt. R. II. Americanis utpote ſtomacho debilioribus permitti poſſe, non Italis robuſtioribus, niſi ægrotent.

II. Brancatii argumentum eſt: nec vinum, nec cereviſia jejunium frangit, licet utrique ſit vis nutritiva, unde vina propinabantur Athletis, & ex Galeno quædam ita nutriant, ut porcina caro: nec cerviſia inter eſculenta cenſetur, licet ex frumento &c. paretur; ergo nec frangit cocolata, licet vim habeat nutritivam.

R. neg. ant. Oppoſitum enim oſtendit in Theſ. Lovan. cum pluribus eruditis Huygens, præſertim ſi loquamur de vino meraciori, de quo Galenus, aut de eo, quod propinabatur Athletis. R. II. frangi

gi jejunium vino, cui saccarum, cinnamomum &c. permisceas; ergo illud frangit cocolata, cui hæc permiscentur. Nec dicas cum Brancatio, ea mixtione vires accedere vino, a cocolata deperdi, dum aqua infunditur; nam cocolatæ potio æque nutrit ac ejus comestio, imo longe melius & salubrius. Nam particulæ calidiores saccari, ac cinnamomi solutæ magis ac liberæ fiunt cum humidis aptius vehiculum unctuosarum, & nutrientium; cocolata ergo aquæ permixta non exuit esculenti naturam, sed perfectiorem acquirit.

III. Brancatii argum. est parvitas materiæ, quæ ex DD. consensu non frangit jejunium; ergo &c. R. neg. conf. Cum enim uni cocolatis unciæ tanta sit vis nutritiva, quantam Mangetus, Pasquius, Zacchias, Stubæus aliique observarunt, non tam cocolatis quantitas attendi debet, quam nutrimenti natura, maxime in Quadragesimæ jejunio ab Ecclesia instituto ad macerationem (1).

IV. ar-

(1) De hac controversia legi poterit Epistola anonyma ad Archiepiscopum NN., quæ doctiss. P. Danieli Concina O. P. vulgo tribuitur sub hoc titulo: *Memorie istoriche sopra l' uso della Cioccolata in tempo di digiuno*: ubi, postquam hujusce potionis consuetudinem circa ann. 1600. in Hispania, in Italia vero circa dimidium elapsi sæculi obtinuisse observavit, in medium profert theologorum momenta, qui eam propugnarunt, præsertim vero Hurtadi, Cozza, & Brancatii: eaque infirmissima esse putat, atque illusiones futilesque cavillationes a recto omnium sensu & Ecclesiastica disciplina prorsus alienas. Deinde producit Anti-probabilistarum argumenta Laurentii Berti, Petri Ballerini, Henrici a S. Ignatio, Nat. Alexandri, Pontasii, Vigandtii, Tournely &c., eaque omni exceptione majora, atque adeo invicta esse declarat, ut iis permoti

IV. argum. Non læditur jejunium medicinali potione, atqui cocolata ex Brancatio habet medicamenti naturam, nam *roborat naturalem calorem, generat puriorem ſanguinem, diſſipat flatus, & prodeſt ad ſtomachum roborandum*; ergo non frangit jejunium.

R. diſt. maj. Non læditur in ægroto, conc., in ſano & robuſto, ſubdiſt. Si medicamentum ſit nutritivum, & eſculentum, neg., ſecus conc. Deinde retorq. arg. Cocolata roborat naturalem calorem &c.; ergo non eſt frigida admodum, adeoque nutrit, & vim habet eſculentorum. Nec per eam ſervatur jejunium ab Eccleſia inſtitutum, ut *carne mortificati* &c. Nota: Brancatium definire cocolatem concretam, ac denſam jejunio opponi, nec pluſquam unciam eſſe permittendam, alii ſemiunciam concedunt, alii denique poſt Turrianum uncias duas, quibus tamen ob rationes ſupra productas minime aſſentimur. Atque hunc finem habet noſtræ Synopſeos volumen. II. Ex quo ſi cuique veſtrum aliquid utilitatis exurgat aut commodi, laborem noſtrum, atque operam recte in hac parte fuiſſe collocatam jure optimo gratulabimur.

---

moti ipſi etiam inter probabiliſtas præcipui hujuſce potionis uſum jejunii tempore, tamquam illicitum, improbarint: præſertim vero Diana, Caſtropalaus, Villalobos, Silvius, Azor, Jo. a S. Thoma, Sanchez, Lezana, Turrianus, Layman, Tamburinus, Fagundez, Eſchobarius &c. Laudat etiam pro hac ſententia Benedictum XIV. Pont. Max., eumque, non ſecus ac Brancatium & Cozza, ſolam parvitatem materiæ in hac potione permiſiſſe, copiam vero omnimode reprobaſſe perſpicue demonſtrat.

F I N I S.

INDEX



INDEX

SECUNDI VOLUMINIS.

Cap. II.

novo

Cap.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0029893

